DE REPVBLICA, VITA, MORIBVS, geſtis, fama, religione, ſanctitate: Imperatoris, Cæſaris, Auguſti, Quinti, Caroli, Maximi; Monarchæ, Libri ſeptem,

AD ILLVSTRES AVREI VELLERIS EQVITES

ſcripti, authore Gulielmo Zenocaro à Scauvvenburgo, Auratæ militiæ Equite, Imperatoris Caroli Maximi olim: poſteà Philippi Regis Hiſpaniæ, & çe. Caroli filij, Conſiliario, & Bibliothecario, Bincorſtij Toparcha, Comite palatino perpetuo.

Diſpoſuit Deus omnia in numero, pondere, menſura, Sap. 11.

Pax optima rerum, quas homini natura dedit.

GANDAVI,
Excudebat Giſlenus Manilius Typographus, Anno Domini,
1562.
Ex vltima & accuratiſsima authoris autographi recognitione.
Cum gratia, & priuilegio Regis, ad decennium.
Væneunt in arce Bincorſtina apud Lucum Batauorum.

Epitome priuilegij Cæſarei ſignati manu Cæſaris.

FERDINANDVS Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatię, Sclauoniæ Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ & cę. Marchio morauiæ & cę. Comes Tirolis & cę. Cum Imperatoris Diui Caroli Quinti præclariſsimæ memoriæ fratris, & domini noſtri chariſsimi nomen, & memoriam ad poſteros peruenire optemus illiuſq; geſta ac facta ab omnibus cognoſci ac ſciri cupiamus tam præclaros Gulielmi Zenocari conatus ac laudabile inſtitutum non ſolum clementer ac benignè probauimus, verum etiã authoritate noſtra Cæſarea omninò promouendos eſſe duximus.

Quocirca per preſentes literas ſcienter ac animo benè deliberato ac ex Cæſarea authoritate noſtra ſeriò ac firmiter inhibemus ac vetamus vniuerſis, & ſingulis typographis, & bibliopolis atq; alijs quibuſcunq; qui in ſacro Romano Imperio ac Regnis dominijſque noſtris hæreditarijs vel imprimendis vel vendendis libris ſeu quacunq; alia ratione ac modo librariam negociationem exercent ne quis eorum præmemoratum librũ de vita ac geſtis Cæſaris Caroli Quinti à præfato Zenocaro ſcriptum, poſtquam illius ſtudio ac opera in lucem prodierit per totum decennium ab editionis abſolutæ die numerandum intra ſacri Romani Imperij ac omnium prouinciarum, & regnorum noſtrorum fines ac pomeria eodem vel alio charactere æmulari recudere aut vbicunq; recudendum dare vel aliorum opera vbicunq; impreſſum adducere, in alias linguas transferre, in epitomen redigere aut quocunq; quæſito colore, prætextu, & arte mutare alterare vel etiam ſic tranſlatum, & in epitomen redactum ac qualitercunq; mutatum, alteratum, & recuſum, emere, vendere, ac diſtribuere, palam vel occultè poſsit.

Quiſquis verò aliter fecerit & interdictum hoc noſtrum neglexerit, is debebit non ſolum priuari eiuſdem libris impreſsis quos nimirum præfatus Zenocarus vel eius hæredes aut mandatum habentes ab eo auxilio magiſtratus eius loci aut ſua quoq; authoritate apprehendere, & ſibi vendicare poterunt: Verum etiam quindecim marchis auri puri noſtro Imperiali fiſco, & dicto Zenocaro eiuſue hæredibus ex æquo ſoluendis & numerandis mulctari.

Itaq; mandamus vniuerſis ac ſingulis noſtris ac ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis tam eccleſiaſticis quam ſecularibus

cuiuſ-

Lectoribus.

NOn me clam eſt multos ex vobis qui Cæſari viuenti fuerunt inimiciſsimi inſpecto lectoque hoc volumine multò illi factos eſſe æquiores, idq; veſtra fecit cum humanitas tum modeſtia. Quam gratum & admirandum fuit multis mortalibus hos libros à Saxonibus & gallis cupidiſsimè coëmptos fuiſſe? neque quenquam contra hos libros hactenus ſcripſiſſe? Quid ſi ſeptem ſomnia Caroli Maximi legetis? Quo ardore præſagationẽ ſanctæ & piæ mentis eius animaduertetis? Quid accidit aut accidet quod ille non prædixit futurum? Miſeret me tui ô gallia quæ inquilinum tuũ non commodius & humanius tractâſti? Quid ille de concilio tridentino? quid de turca? quid de Mauris? quid de Maxæmiliano Auſtriaco genero ſuo? quid de Philippo filio? quid de Carolo nepote? quid de vniuerſo Reipublicæ ſtatu non ſapientiſsimè veriſsiméq; præſenſit? præſagauit? præſignificauit? præmonſtrauit? prædiuinauit? præſcripſit? præmonuit? ô indigna Carolo Maximo Patria quæ tanti viri, tam diui Monarchę numeros, pondera, menſuras, legere audire meminiſſe dedignata es?

De authoris vita.

SI huius authoris vitam oculis atq; animo circumluſtraueritis nihil homini amarũ, ingratum, acerbũ, accidere poſſe iudicabitis quod non ille conſtantiſsimo animo pertulerit. Nulli illi homines moleſti fuêre: niſi quos tenerrimè dilexit: ſicut aurum igne ſic modeſtia, & patientia, virtus, & magnitudo, & pietas animi eius probata fuit. ô homines ingrati qui illum qui inter vos humaniſsimè vixit ſemper, inhumaniſsimè ſemper tractâſtis? Nolo meum dolorem, eius dolori addere. Qui enim humanorum hominum caſus, & acerbitates tantas in vita pertulit, & adhuc perfert? quo animo meam conſolationem acciperet? INFRACTVS ILLABATVR ORBIS, IMPAVIDVM ZENOCARVM FERIENT RVINÆ.

1 Res geſtæ regúmq;: ducúmq;: & triſtia bella:
2 Quo ſcribi poſſent numero: vel pondere: menſus
3 Primus Zenocarus fuit, hos tu collige verſus.
4 Fockarus hos libros petijt legere, atq; videre.
5 Cur hic per veredos Auguſtam ferre iubebat?
6 Anne ex his numeris didicit SEPTEM MILIONES
7 A Iuſto ſoluendos tunc ſibi Rege Philippo?

DE REPVBLICA, VITA, MOribus, rebus geſtis, fama, religione, ſanctitate Imperatoris, Cæſaris, Auguſti, Quinti, Caroli, Maximi, Monarchæ, libri ſeptem, ad clariſſimos Aurei Velleris Equites ſcripti, Guilielmo Zenocaro autore.

Primus liber.

EST quædam viri illuſtres cauſa æterna rerum, cur ea quæ præterierunt facta ſint: & ea quæ ſunt præſentia fiant: & ea quæ conſequuntur futura ſint.

Hanc cauſam in prouidentia Dei conſiſtere dubium non eſt. Ille enim à ſanctis & veteribus patribus vocatur, QVI FVIT, QVI EST, QVI FVTVRVS EST.

Omnia igitur fieri poſſunt ſicut dictum & effectum eſt ab illo ſupremo numine, ac illa ſuprema poteſtate cœlum atque terras tuentis, atque regentis Dei. Ipſe enim dixit, & facta ſunt: & fata, id eſt, effata illius nemo mutat.

Ait enim Chriſtus in Euangelio: Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.

Eius autem verbi primi cauſarum ſeries eſt ſempiterna: fuit enim voluntas Dei apud Deum ante principium mundi vniuerſi. & in hoc contingentia academica non vitiantur.

Etenim Deus omnia ordinauit ſecundum naturas, & qualitates rerum. Inſpectis itaque rerum naturis, & qualitatibus, multa (vt apparent) fortuito, ſiue (vt ita dicam) contingenter eueniunt.

Habet Deus tamen (vt eſt veriſimile) apud ſe cauſas æternas rerum futurarum, cauſas immutabiles, cauſas à ſua diuina prouidentia incluſas in rerum natura, atque mundo: quare alijs temporibus alios nobis quaſi principes, alios quaſi reges, alios quaſi monarchas proponat. NON ENIM FRVSTRA, ET SINE CAVSA QVID FACERE, DIGNVM DEO EST.

Sed totum hoc cùm fandi, tùm faciendi exordium, à diuina proficiſcitur prouidentia: quæ, qualis, quantaq; ſit, non ſolùm vtilis, ſed honeſta eſt commentatio.

Conſideremus in medio vniuerſi ſummam forma, ſpecie, nomine, [illegible]tem ſapientiam, cum ſumma, incogitata, inexhauſta bonitate, & poteſtate vnitam ante omnem entium eſſentiam, aut priua-

tionem extitiſſe. Quæ tantum omni eſſentiæ, & ſtatui, & rationi, & menti, & ordini, & diſpoſitioni, & elementis primis præſtet: quantum ea quæ habemus chariſſima, iis quæ putamus viliſſima præponimus.

Sit autem in ea lucidius aliquid ipſa luce pulchrius aliquid ipſa pulchritudine. amabilius atq; amantius aliquid ipſo amore: prius omni principio: poſterius omni fine: ſit exiſtendi fons: ſit vnicum vitæ omnis ſemen.

Sitq; ea res perfectior omni perfectione, ſcientior omni ſcientia, temperantior omni temperatione, fortior omni fortitudine, iuſtior omni iuſticia, ſenior omni tempore, numero, menſura, maiorq; omni magnitudine.

Hanc vim & facultatem, Idæam ſiue exemplar eſſe diuinæ prouidentiæ, quæ omnia diuidat, omniaque coniungat imaginemur.

Quemadmodum autem ignis qui ſenſu percipitur, in omnibus & per omnia ſine permixtione funditur: ſecerniturq; à rebus omnibus: lucetq; totus ſimul: abſtruſus eſt: haud cognoſcitur ipſe per ſe niſi adhibeatur materia, in quam vim, facultatemq; ſuam exerceat: vinciri, cohiberi, videri non poteſt: ea in quibus fuerit ad vim ſuam actionemq; commutat: ſuijpſius particeps facit quicquid ei propius quoquomodò accedit: renouat omnia vitali calore: illuſtrat aperto lumine: teneri non poteſt nec miſceri: diſsipandi vim habet: cõmutari non poteſt: ſurſum fertur: celeritate magna eſt præditus: ſublimis eſt, nec humilitatem vllam ferre poteſt: immobilis eſt: per ſe mouetur: alijs motum affert: comprehendendi vim habet: ipſe cõprehendi non poteſt: non eget altero: clàm ſe amplificat in materijs quæ ipſius capaces ſunt, magnitudinem ſuam declarat: vim efficiendi habet: potens eſt: omnibus præſtò eſt: non videtur: ſi negligitur non eſſe cenſetur: attritu autem quaſi irritatione quadam naturaliter ac propriè repentè exiſtit: rurſumq; ſenſum fugiens euolat: & in omnibus ſui communionibus minui non poteſt: permultaſq; alias arcanas habet ignis proprietates: ſicut in lapidibus, in ferro, in ligno, in terra, in aqua, in aëre, in æthere, quotidiè videmus illum emicare, & exiſtere, concurſione, aut concuſsione duarum rerum violentiore.

Ità planè eſt in imaginibus diuinæ prouidentiæ ſenſum humanum mouentibus: vt non abs re ſimilitudinem, & imitationem quandam ipſius prouidentiæ ex igne trahamus: & ſi re vera nihil illi

proui-

prouidentiæ Dei ſimile,nihil æquale, nihil conſentaneum dici aut fingi poteſt.

Si enim cognitio,ſcientiaq; omnis in ijs quæ ſunt verſatur, & in ea quæ ſunt definit:quæ omni ente ſuperior eſt, diuina prouidentia ab omni etiàm cognitione exempta eſt. Neque eius ſenſus vllus, neque viſio,neque opinio,neq; nomen, neq; oratio, neque tactus, neq; ſcientia eſſe poteſt.

Quoniam autem bonitatis diuinæ eſſentia hoc ipſo quod eſt,eorum quæ ſunt cauſa eſt omnium, diuinitatis prouidentia (quæ boni principium eſt)ex omnibus effectis laudari debet.

Quandoquidem & circum ipſam ſunt omnia,& ad eam vt finem referuntur,& ipſa,omnia antiquitate vincit,& omnia in ea conſtát, & eo ipſo quod eſt, omnia in lucem prolata ſunt, ac conſtiterunt, & expetunt omnia ſummum bonum,quod à prouidentia Deifica emanauit. Ea quidem quæ mente rationeq; vtuntur,cognitione: quæ autem his debiliora ſunt,ſenſus iudicio: aliaq; motu vitali, aut quia eſſentiæ,aut quia ſtatui & ſubſiſtentiæ accommodata ſint.

Tàm varios autem hæc prouidentia Dei radios ſuæ efficacitatis effundit in omne mortalium genus vt eius exuberantiæ ordinem, modum, numerum, pij concipiant animo, ore eloqui nequeant qualis ſit.

Sunt enim prius occultæ, poſteà apparentes eius progreſsiones: atq; iterum abſtruſæ & reconditæ,ac rurſus emicantes: vt proprietates,firmitates,ſtabilitateſque rerum ab ea prodeuntes, nunc coniungantur totæ cum toto, ſine vlla admixtione, nunc rurſus ſeparentur, atq; diſtinguantur à toto & ſingulis eius partibus, &(vt ita dicam)ſuum recipiant.

Sicut igitur lumina multarum ardentium lucernarum aut facium,quæ in atrio vno, vnâ ſunt, confuſam manſionem, & ſedem totius luminis faciunt: omnium enim lumina cum vno lumine conſociantur, vnumque ſplendorem ex ſe, qui non ſeparatus eſt eiaculantur:nemoque eſt mortalium, qui huius vel illius lucernæ aut facis lumen diſcernere aut partiri à cæteris poſsit ex aëre, qui ambit omnia lumina,nec concernere alterum ſine altero, propterea quòd tota in totis ſine confuſione, aut permixtione temperata ſint lumina,quin etiam ſi quis vnam lucernam, aut facem de domo detraxerit, ſimul proprium quoque eius lumen vniuerſum diſcedet, cùm interea nihil de alijs luminibus ſecum trahet, aut alijs aliquid de ſuo relinquet.

Ita ſanè eſt de Deifica prouiſione rerum cunctarum,vt omnibus in rebus ordinem,tempus,motum,numerum,pondus,menſuram, finem eius videamus,quomodo autem hæ proprietates rerum cum corporibus coniungantur,aut quomodò ab eiſdem diſcedant perſpicere nequeamus.

Non eſt autem abſoluta inter effecta & cauſas parilitas, ſed effecta quidem cauſarum quas poſſunt præferunt imagines, ſicut ſigni aut ſigilli expreſſæ figuræ, aliæ quidem magis, aliæ minus. Cauſæ autem ſecretæ ac diuulſæ ſunt ab effectis, ſuntq; cauſæ principij ſui ratione ſuperiores,antiquiores,& priores.

Fingamus autem funem magna luce conſpicuum è ſede diuinæ prouidentiæ de ſummo cœlo pendêre,& vſq; ad pectus veſtrum demiſſum.

Si illũ ſtatim manibus apprehenderitis, vt aliquid ex diuinæ prouidẽtiæ ſcintillãtibus irradiationibus luminis nanciſceremini, cùm ille funis immobilis eſſet,vos illum ſemper manibus altius, altiuſq; apprehendendo,vos quidem ipſos ad ipſam prouidentiæ altitudinem,non eam ad vos adduceretis & tolleretis.

Ita eſt in omni magna agitatione mentis, quæ in Dei prouidentiam directa,attollitur quidem ad eam. Illa autem non decidit vt certò perſpici,cognoſciq; à nobis queat.

Quocircà vt ſol noſter non cogitatione aut voluntate, ſed eo ipſo quod eſt,omnia illuſtrat, quæ eius lumen pro modo ſuo capere poſſunt,ita ipſum bonum diuinæ prouidentiæ(quod ſic præſtat ſoli vt ipſe humanis oculis ſol)per ſe,ipſáq; eſſentia ſuæ prouidæ bonitatis,ijs quæ ſunt omnibus, pro eorum captu prouidentiæ ſuæ radios emittit. Queîs conſtiterunt omnes Ideæ,omnia entia, & quæ ratione ſola,& quæ oculis,& quæ animo cernuntur,aut non cernuntur,à bonitate enim benignitateq;,& charitate diuinæ prouidentiæ manſiones,ſedeſq; habent,eorumq; omnium illinc pendet cùm ſtabilitas,tum conſeruatio.

Quemadmodum autem in monade numerus omnis vno modo antè conſtat: continetque omnem numerum monas in ſe vno modo:& numerus omnis coniunctus eſt quidem in monade: ſed quatenus à monade proficiſcitur,eatenus diſtinguitur & creſcit.

In centro quoq; omnes orbis lineæ vna coniunctione cohærent, punctumq; ipſum omnes habet in ſe rectas lineas vno modo coniunctas,& inter ſe,& cum vno principio, à quo prodierunt: atque in centro quidem penitus coniunguntur, ſed ab eo paululum diſtantes

ſtantes, paululum etiam diuiduntur, cùm autem longius diſtant, magis: omninoq́ue quò propinquiores ſunt centro, eò magis & cum eo, & inter ſe coniunctæ ſunt, & quò plus ab eo diſtant, eò plus aliæ ab alijs diſtant.

Ita in tota rerum omnium natura omnes vniuſcuiuſque naturæ rationes prouidentia diuina colligatæ ſunt vna eademq́ue non confuſa coniunctione, atq́ue in animo totius corporis facultates, quæ conſulere ſingulis partibus ſolent vno modo copulatæ comprenduntur.

Si autem ſol hic quem videmus, quem quotidiè cernimus, eorum quæ ſub ſenſum cadunt eſſentias, & qualitates, quanquam multæ ſunt, ac diſsimiles, tamen ipſe qui vnus eſt, æqualiterq́ue lumen fundens, renouat, alit, tuetur, perficit, diuidit, coniungit, fouet, ac rurſus fœcunda reddit, auget, mutat, firmat, edit, mouet, vitaliaq; facit omnia. Et vnaquæq́ue res huius vniuerſitatis, pro captu ſuo vnius, atque eiuſdem eſt ſolis particeps, cauſaſque multorum quæ participant in ſe æquabiliter anticipatas habet. Certè maiore ratione in eius atq; omnium cauſa, videlicet diuina ſummi atq; altiſsimi Dei prouidentia, bonitate, ſapientia, prius conſtitiſſe omnium, rerum exemplaria concedendum eſt.

Exemplária autem hìc dicimus illas, quas Platonici vocant Idæas, id eſt, rationes eſſentię rerum effectrices, quæ in Deo ſummo coniunctæ antè fuerunt, quas ſcripta diuina prædeſtinationes appellabant, diuinaſque ac bonas voluntates, quæ conſtituunt, & faciunt omnia, quemadmodum Deus qui eſſentiæ, & entium omnium naturæ antecellit, ea quæ ſunt & antè ſtatuit, & ex tenebris, infinitate, ęternitate, ante tenebras, infinitatem, æternitatem, in lucem protulit, antequam lux vlla eſſet.

In æternitate enim ipſa menſuraq; rerum omnium, quæcunq́ue ſub menſuram cadunt, per ipſum, & ab ipſo facta ſunt, vt diuinus Moſes (Deo illi viam commonſtrante) & poſt eum diuus Ioannes Euangeliſta, & eius, diuorumq́ue, Petri, Pauli, & Clementis, diſcipulus Dionyſius Areopagita, ſcriptis ſuis à diuino ſpiritu efflatis dilucidè protulerunt.

Quemadmodũ autẽ lux per cauſam in ſe caliginis cognitionẽ habet anticipatã, & informatã, quòd non aliũdè quã ex caligine lucẽ nôrit.

Ita ſeipſam noſcens diuina prouidentia & ſapientia, nouit omnia ſine materia, ea quæ ex materia conſtant, ſine forma, ea quæ ex forma conſtant, ſine diuiſione, ea quæ diuidua ſunt, dum ipſo

vno oculo acutò ſuæ mentis,omnium rerum & inuentricis, & procreatricis,omnia & cogitat,& procreat.

Cùm itaq; diuina prouidentia ſeipſam omnium cauſam noſcit, nullo prorſus modo ea quę à ſe emanarunt neſciet, eſt enim omnium rerum creatarum,increatarumq; architectus,eſtq; cauſa indiſſolubilis cohærentiæ, & ordinis omnium, fineſque priorum cum ſequentium principijs, ſemper connectit, & vnam vniuerſi conſpirationem,harmoniam,hierarchiam pulcherrimè, veriſsimè, firmiſſimeq; efficit.

Probè igitur animaduertunt in ſe benè conſtituti animi, ij qui cum veritate Deifica per fidem, & amorem Dei coniuncti, atque connexi ſunt,qualis ſit Dei prouidentia, etiam ſi alij illos contemnant, quaſi de ſtatu mentis, aut prudentiæ humanæ demoti ſint. Ipſi autem certò ſciunt ſe non inſanire,vt illi putant,ſed ab inſtabili,mutabiliq; erroris motu,ex amoris diuini potentia,& bonitate ſe per veritatem,quæ ſemper eodem modo eſt,& ſe habet, vt habet, & eſt,ſolutos & liberatos.

Ex hac ſimpliciter, ſimul ac ſemel nata eſt, ac diſtributa omnis ſimplex vniuerſæ,ac ſynceræ mundicię perfectio,omnis rerum cùm ordo,tum deſcriptio,quæ inconcinnitatem,inæqualitatem ac non aptam compoſitionem exterminat, gaudetq; vno eodemq; aptè, recteq; diſpoſito ordine,& amat omnia quæ ipſam adipiſci meruerunt,diuinitatis prouiſæ deguſtationem, perfecta inquam omnis,& omnium quæ pulchra ſunt poſſeſsio.

Omnis deniq; diuina prouidentia,quæ contemplatur,& conſeruat ea,quæ curat,offert ſe benignè ad formãdum in animis piorum hominum (qui ad ipſam diuinę prouidentiæ bonitatem,charitatemq; conuertuntur)quid diuinum,& diuinam, æternamq; fœlicitatem,ac ſummi boni fruitionem.

Poſſunt igitur homines Dei ſimiles aliquando aliqua ex parte dici, quod & Sanctus ille Thomas Aquinas indicauit, ſed nunquam Deus ſimilis hominis dici poteſt, ſicut imago ſimilis eſſe hominis dicitur,vtpote ad cuius effigiem figurata ſit,non autem homo imaginis ſuæ. Naturam enim ſequitur imitatio, non imitationem natura.

Et fiunt plerumq; in ſacris ſcriptis multæ præſignificationes,multæ comparationes, multæ ſimilitudines humanorum hominũ ad diuinum Deum,non quòd ea in re vlla ſit proportio, aut Identitas, ſed quòd ad rem præſentem ea res ſic facit, & quòd ita ipſi, magis

ipſam

ipſam Dei magnitudinem magnifacere,ſanctificare, honorare,quã aliter ſe credant.

Omnis autem prouidentiæ diuinæ ad homines reſpiciens, facultas in prædeſtinationis,præſcientiæq; vim à theologis diducitur, vt boni prædeſtinati,mali autem præſciti dicantur.

Vtrum autem aliquis prædeſtinatus,aut præſcitus ſit, quis mortalium dicet?certè capilli capitis noſtri omnes numerati ſunt, & vaſculum figulo non dicet quare ſe ad contumeliam, illud autem ad honorem fecerit.

Magnis itaq; precibus comprecandus eſt Deus, vt illam quam mentibus noſtris deſtinauit ſuam voluntatem,talem eſſe velit,qualem ſacer ſuus in omne genus piorum, & illi obedientium animorum eſſe optauit, ac ab æterno definiuit animus: neque vlla ſcelerum noſtrorum recordatione permoueri ſe ſinat, vt non magis bonitatis,clementiæq; ſuæ memoriam,quàm iuſticiæ, ſeueritatiſq; retineat:bonitas enim magis & propius elucet,emicat, & ſe oſtendit, in Deo,eamq; proximius circumſiſtit,poſsidet,complectitur,quàm iuſtitia aut rigor.

Ego quoq; ab illa eadem cœleſti diuinitate, quę omnis diuinitatis, perfectionis, deificationis parens eſt, & genitrix, ſumma cum mentis timiditate, modeſtia, reuerentia petam, & poſtulabo: vt hoc quod eius benignitate permittente ſuſceptum eſt opus,ipſi placeat,ipſius honorem,maieſtatem,Deitatem laudet, amplificet demonſtret:magis enim Deo omnes Chriſtiani,qui in Chriſto baptiſati,per eum renati,ab eo redempti ſumus,& cum eo(vt ſpero)reſuſcitabimur,placere debemus,quàm hominibus. Numerorum autẽ, ponderum,& menſurarum obſeruationes,pro axiomate probabili, & veriſimili,non pro neceſſario ponam.

Cùm igitur à prouidentia diuina omnia quæ ſunt,tanquã è fonte bonitatis,& ſapiẽtię perenniter labẽte manârint,regna,Imperia,Monarchiæ ab illa profecta ſint,ex illa augeantur,minuãtur, moriãtur, regenerentur,confirmentur,ſtabiliãtur,quod principiũ,quę media, quos fines in deſcribẽda vita & Repub.Cęſaris Caroli ſequemur?

Si veterum veterem,& receptum morem ſequar,nihil noui fecero,& me artificium orationis,& eloquentię, ad vitam, actioneſque Cæſaris attuliſſe maleuoli clamitabunt: nihil eſſe elegans, laudabile,admirabile, in Carolo repertum, ſed ab incunabulis me per omnes ætatis gradus,eum delineaſſe,deduxiſſe, depinxiſſe contendent,magis inſeruientem veterum oratorum, & hiſtoriographorũ

ordini,quàm quod ea re vera in Cæſare fuiſſe vobis perſuadeam.

Si morem illum non ſequor non me Cęſaris dignitati rectè conſuluiſſe alij cenſebunt.

Quid igitur faciam viri illuſtres?vnde incipiam ? aut quò me vertam?edicite,vobis enim planè mihi parendum eſt.

Principes eſtis & viri militares omnes,bella geſsiſtis omnes quam plurima,nihil vobis minus quàm fucus, & lenocinium Rethorum, quàm præmeditata,præparata, & ad decipiendum, fallendum, circumueniendumq; alterum compoſita oratio placet.

Si ſemper oratorum eloquentia ad auditorum naturam, & patientiam moderanda eſt,mihi quidem ad veſtram naturam omnis dictio conuertenda erit.

Vobis enim viri illuſtres, veſtriſque ſucceſſoribus, & hæredibus hunc librum ſcripſi,& dedicaui, neque alios, aut lectores, aut auditores moror,vos mihi inſtar multorum Platonum eritis.

Cùm enim bellica virtute omnes ſitis illuſtres, omnes victorijs apud omnes gentes,& nationes notiſsimi ſitis, atq; clariſsimi, bellicè & militariter vobiſcum agere ſtatui, in omneſq; occaſiones rerum ſcribendarum, ingenij, mentiſque aciem intendam, ſicut vos in rerum opportunitates, & momenta adipiſcendarum victoriarum incumbitis,acieſq; cum aciebus miſcetis.

Sermo quoque non oratorius,nec lepidus, nec elegans erit, ſed celer,acer,vehemens,perſpicuus,apertus,&(vt vno verbo dicam)militaris,vt vos viri fortes & efficaces me quàm facillimè, atque diſtinctiſsimè dicentem intelligatis.

Opto autem vt omnes attentè, & patienter ſingula conſideretis: Reſerabuntur enim multa naturæ arcana,multa abſtruſę & recondita philoſophiæ inuenta, multa ſacroſancta diuinæ prouidentiæ myſteria.

Itaq; magis de numero,pondere,ac menſura diuinæ in republica regenda prouidentiæ, quàm de vita aut moribus Cæſaris ſcripſiſſe me comperietis. Animus certè meus magis Dei,quàm Cęſaris laudi ſemper fauit & inſeruire diſcupiuit.

Cùm enim à nullo conductus, à nullo incitatus, ſed genio bono,pioq; animum meum etiàm atque etiam vehementius, iampridem, & quidem continuè multos annos agitante & permouente, ad hęc ſcribenda acceſſerim,omnia, proutin mentem manumque incident,vobis nunc aperiam,& tamen omnibus, quantum potero, ſatisfaciam.

Quemad-

Quemadmodum enim qui hortum voluptatis cauſa ingrediuntur, illum cupiunt varijs floribus, odoratibuſq; , ac deguſtationibus quàm maximè iucundum, plauſibilem, variumq; eſſe.

Ita eſt in ſcriptione librorum, maximè hoc tempore, apud palata delicatiora, ſeuerioraque, vt omnium maximè, maxima varietate, variationeq; delectentur. Qui viuet genium hunc debet habere liber.

Mundum autem ipſum & hanc rerum vniuerſitatem intereà intuemini: vbi eius principium, vbi exitum inueniatis, diſquirite, indagate, reperite.

Summus eius eſt ordo, pulcherrima diſpoſitio, aſpectabilis, & admirabilis ornatus, nihil illo mundo artificioſius, nihil ornatius, nihil mundius, compactum, concinnatum, compoſitum eſt, cùm autem hic mundum appello, omnem omnium rerum vniuerſitatem intelligi volo, quæ mundi appellatione continetur.

Quemadmodum igitur Philoſophi veteres ad primum aſpectum mundi conturbabantur, initioque putabant omnia fortuitò & caſu ſic accidiſſe, ſed poſteà cùm aduerterent motus eius legittimos & æquabiles, certoſq; fines numerorum, omniaq; ratis & permanentibus ordinibus moderata, ac in maxima rerum varietate, numerorum, temporum, viciſsitudinum, ſummam, & immutabilem eſſe conſtantiam: intelligere cœperunt eſſe aliquem non ſolum habitatorem in hoc cœleſti & diuino domicilio, ſed etiam eſſe rectorem, & moderatorem, & tanquam architectum tanti operis, tantiq; muneris.

Ità fortaſsis eueniet noſtris cenſoribus, vt qui primo ad aſpectũ rerum Cæſaris, omnia communia & peruulgata, & fortuita putauerunt, vbi poſteà numeros, & ſummas actionum Cæſaris, ſimillimas numeris, & actionibus præſtantiſsimorum, & in omni memoria victurorum, & ſanctorum heroum fuiſſe intelligent, & comperient: tum primum aliquid diuinitatis, & tanquã beatioris ſtirpis ſementem huic arbori Auſtriacæ afflatam fuiſſe colligent.

Aut certè facient quemadmodum pictores, qui lignum aut tabulam pictã aſpicientes, ſciũt adhibitam eſſe artem, cùm eam cernunt certa proportione, & dimenſione figuratam, referre veterẽ, & tranſmarinam hominum venuſtatem.

Ita cùm cernent depictam Cæſaris vitam referre multorum illuſtrium heroum vitas & actiones, maximeque beatorum, ſcient à Deo harum rerum opifice & architecto, adhibitam fuiſſe prouidentiam,

tiam,in producendo,& proponendo orbi hoc Carolo Maximo.

Magnus enim ille ſeminator, ſator, parens, educator, altor,effector,formator,heroum & heroicarum virtutum omnium Deus, ita omnes heroes, & heroicas virtutes cunctas nutricatur, fouet, continet,ſuſtentat,notat,ſignat,attrahit,tanquam membra, & partes ſui ſanctiſsimi corporis, vt ſi quis omnem veteris hiſtoriæ memoriam repetat,docere nequeat exemplis,melius huic Carolo potuiſſe euenire.

Nam ſi huic quid detrahet,& in illis veteribus quod deſideret reperiet,& ipſum illum quem ſuopte ingenio,& marte conficiet maximum,multò faciet deteriorem,& minorem.

Aut ſaltem facient quemadmodum nautæ, qui eminus nauigium ex alto veniens cernentes,neſciunt quale ſit,ſed cominus,& propius accedentes,poſſunt id à reliquis ſecernere.

Ita cùm hunc Cæſarem propius & ex propinquo contemplabuntur, facilè eum à reliquis principibus, & viuis, & mortuis diſtinguent,ac qualis quantuſque hic Cæſar ſit,ſignis certioribus ſuſpicabuntur.

Quid ſi Quintus Carolus,qui omnia ſua ſtudia,omnem operam, induſtriam denique omnem in Dei,diuinorumque hominum virtute, & bonitate imitanda, & excolenda,fixit, & locauit, inuenit Deum,diuinoſque homines,conſiliorum authores ſuorum, dignitatiſq; fautores?

Quot & quales hominum vitæ formas, in ſpeciem rerum intuens Deus poterat cernere,cùm hunc Carolum certa quadam ratione & dimenſione orbi oſtendit?

An ille artifex mundi cùm faceret Cæſaris huius formam, contemplabatur numeros, & numerorum ſuorum Idæas,è quibus ſimilitudines,& tanquam noua delineamenta in hoc nouo Cæſareo corpore duceret?

An arripuit imagines & ſimilitudines quaſdam ſanctiſsimorum, & beatorum animorum,qui ſimilitudinem quandam cum Quinto Carolo gererent,ſpeciemq; ſapientum?

Quidquid ſit certè hunc Carolum atq; multos heroas, ſtudiorum,temporum, numerorum honeſtiſsima ſocietas,ſimilitudoque coniunxit, tantum autem Dei benignitas voluit, vt cum ipſo filio Dei,aliqua eſſet homini ſimilitudo, & æqualis, ſæculi, anni, menſis,diei, noctis,horæ, planetęque menſura in Geneſi, atque id cum mica ſalis ſic intelligendum propono, vt diuinæ prouidentiæ

bonitas,

bonitas & ſapiétia, non Cæſaris laus aut gloria, hinc ſit cõſideranda.

Homines populariter loquentes, annum tantummodò vnius Aſtri reditu metiuntur: cùm autem ad idem vndè ſemel profectæ ſunt ſtellæ regum, cunctæ redierint: eandemq; totius cœli deſcriptionem longis interuallis retulerint: An ille verè vertens annus Regum ritè appellari poteſt, maximeq; beatorum?

Stellæ porrò in cœlo ſi deſeruiant Regum actionibus cui explora tum eſt: an id ſoli Deo cognitum eſſe putabimus? certè globoſæ, & rotundæ apparent, ſic vt in gyrum maximè volubiles eſſe queant.

Deus mundum ea forma figuráſſe videtur, qua vna omnes reliquæ formæ concluduntur: cuius omnis extremitas, paribus à medio radijs attingitur: eũq; ità tornauit, & rotundauit, vt nihil fieri poſsit magis ſphæricum, magiſq; volubile. ſunt autem rotunda, formæ quædam, quibus formis in curſu minimè noceri queat.

Multi inter ſe Reges natura ſtudijſq; differunt: multi voluntatibus diſiuncti ſunt: multi vitæ numeris inter ſe diſpares apparent. Quas igitur ſtellas, quæ aſtra, quæ ſydera, vnicuiq; Regum cum ratione, & iudicio attribuemus?

Ex concurſu autem, aſpectuq;, & contrario, aut reciproco motu Aſtrorum quorundam, ſecundum Chaldæorum doctrinam, & inuenta: velle Regum ſtamina vitamq; texere: magni arithmetici, Aſtrologiq; diligentiam magnã expoſcit. ac de illa re aliàs vberius loquemur. Illa enim ſyderalis ſcientię ad futura cognoſcenda inueſtigatio, nec grauiſsimis Theologorum, nec Cæſari vnquã placuit ipſi.

Ego nunc æqualem, ac parem ſanctis heroibus vitam egiſſe admirabor: ad illorum mores, numeros, tempora, conformatum eſſe obſeruabo: ab rebus enim effectis, ad cauſas harum rerum effectrices, & à rebus præſentibus ad imagines rerum non diſpari more, numero, tempore effectarum mihi progredi libet.

Eſt aliquò prodire tenus nec PLVS datur VLTRA.

Nihil eſſe autem vnum vni tàm ſimile, tàm par, tàm æquale, dicitur: quàm omnes inter ſe viri ſancti, & virtute heroica præſtantes futuri perhibentur: cùm in ſanctam ciuitatem, & in conſpectũ Dei viuentis venient: tùm enim omnes cunctarum rerũ perenni & iucundiſsima beatitate perfruentur: quam nec auris audiuit: nec oculus humanus aſpexit: nec vllo ſenſu corporis, homo poteſt præſentire.

Ac mihi quidé NON VIDETVR ILLVD ESSE CASV FACTVM QVOD OMNES HABET IN SE NVMEROS VERITATIS.

Illum enim virum perfectum, abſolutũq; (vt Stoici dicũt) eſſe putarem

tatem qui omnes numeros, menſuras, pondera, haberet virorum, & heroum grauiſsimorum, in vita, & moribus.

Quemadmodum verò in guttis cadentibus, quòd interuallis diſtinguntur, proportionem notare poſſumus, & numeri quantitatem: Sic præſtantium, & diuinorum quorundã hominũ guttæ numeratæ in hiſtorijs, & memoria viuentium impreſſæ: ſignis actionum admirabilium obſeruari, & annotari poſſunt: reliquæ actiones humanæ tanquàm nihil ſecũ admirabilitatis afferentes, pereũt, ac euaneſcunt.

Idem videmus in hiſtrionibus: qui ſi paulò ſe moueant extra numerum, exibilantur, & exploduntur.

Idem in Muſicis.

Idem in fidibus euenit.

Prodeſt igitur quarũ in locum mentiũ, & numerũ peruenire velis ab his ipſis mentibus, illo loco, ac numero dignum putari.

Sicut autem pecunia, numero, põdere, ac ſumma ſua, quanta ſit, oſtendit: ita hominum, & maximè heroum fama, quanta ſit: ex numero, pondere, ac ſumma actionum ſignificatur.

Scriptũ eſt in Geneſi: Faciamus hominẽ ad imaginẽ, & ſimilitudinem noſtri. Quæ poteſt autem eſſe comparatio aut ſimilitudo hominis ad Deum? Et tamẽ ità ſcriptum eſt: Illa igitur ſimilitudo ſignis deprehendi debet, & ad gloriam Dei viuentis referri, vt Deo ſua conſtet Maieſtas.

Nónne ſunt typi ſeptẽ expectati, promiſsi, & venturi Dei, in veteri teſtamento expreſsi, Abel, Noë, Moſes, Abrahã, Dauid, Daniel, Helias? qui certis ſignis & ſimilitudinibus famam venturi Chriſti prædixerunt, & præſignificârunt.

Illæ autẽ ſimilitudines an cognitæ, aut intellectæ, aut receptæ fuerunt illo æuo? non ſanè, non magis quàm verſus Sibyllarum.

Sed quod Iuriſconſultorum, & Philoſophorum eſt proprium, rebus, & teſtimonijs, non verbis, agamus in cauſa Cæſaris.

Poſt Abelem Iuſtum interemptum à Caymo fratre, ſecuta eſt ſtatis tẽporibus Eluuio aquarum ſuper vniuerſam terram. ac hic calculus apud Mathematicos eſt anceps.

Poſt diluuium Noæ exactis quatuor hebdomadis ſæculorum, & trecentis annis, & vno anno labente, qui iã incipiebat cõficere dimidium quintæ hebdomadis, & initium noui ſæculi (quod tempus hebdomadarum Daniel Propheta dicit, & appellat tempus, & dimidium temporis) natus eſt Chriſtus.

Moſes

Moſes legiſlator obijt paulò magis mille quingentis annis ante Chriſtum Daniel:Propheta medium illius temporis tenuit. Hic Cæſar mille quingentis annis poſt Chriſtum natus eſt,medium huius temporis tenuit Carolus Magnus Imperator.

Tempore Moſaico,Moyſes fuit celeberrimus orbis dominator, & lex Dei populo data eſt.

Tempore Danielis, Nabuchodonoſor regnabat: & Roma caput mundi condita: & lex Dei, & fama venturi Chriſti apertius declarata eſt.

Tempore Chriſti,Monarchia orbis delata eſt ad Octauium Auguſtum:& vera via,veritas,& vita legis populo patefacta eſt.

Tempore Caroli Magni,Imperium ab Oriente ad Occidentem, & à Græcis ad Gallos tranſlatum eſt: ac fortiſsimè & acerrimè de cęremonijs & ritibus religionis in Germania dimicatum eſt.

Tempore Caroli Quinti noſtri,maior monarchia orbis deuenit ad familiam Auſtriacam: ſic vt nullum eſſet ferè Europe Regnum, quod non per mares, aut fœminas ab Auſtriaco poſsideretur: prætereiſdem Auſtriacis adiectum Africæ, & Aſiæ dominatum: noui Orbis,& maris Oceani imperia:atq; hoc tempore fortiſsimè ac potentiſsimè de cæremonijs,& ritibus religionis, in Germania depugnatum eſt.

Quemadmodum autem animantes aſpiratione aëris ſuſtinẽtur, ipſæ aër nobiſcum videt, nobiſcum audit, nobiſcum ſonat, nobiſcum mouetur, nobiſcum ſpirat, nobiſcum quoque reſpirat: nihil enim ſine eo fieri poteſt,& quãcunque mouemur,aut imus, videtur quaſi locum dare,& cedere,& imitari humanas actiones, ſicut & in Echô apparet.

Ità Heroës,& ſancti Reges aſpiratione numerorum Heroicorũ,& Sanctorum,ſuſtentari,& confirmari videntur:ipſeque aër, & numerus Sanctorum hominum,cum viris Sanctis videre:cum viris Sanctis audire:cum viris Sanctis loqui: cum viris Sanctis moueri: cum viris Sanctis operari: cum viris Sanctis ſubſiſtere: cum viris Sanctis ſpirare:& reſpirare etiam videtur,ſine vlla tamen diuini, & ſancti aëris, aut numeri contractione, aut corruptione. O ſumme Deus,quàm admirabilis eſt in vniuerſa Republica diuinæ tuæ ſapientiæ prouidentia?

Ecce Dauid Rex regnauit annis Quadraginta, & viuens ſubſtituit ſibi filium Salomonem, Regem. Et Salomon regnauit annis Quadraginta.

Carolus noſter regnauit annis Quadraginta,& viuens ſibi in Regnis,& Dynaſtijs ſuis hæreditarijs ſubſtituit Philippum filium Regem. Et qua in parte Galliæ,qua in Prouincia,qua in vrbe,quo in palatio,quo in atrio,quo in atrij loco, quo tempore, Belgicæ ſuæ patriæ ac cęterorum Regnorum,anno ætatis ſuę decimo quinto,emancipatus, dominatum inchoauit: eadem in parte Galliæ, eadem in Prouincia,eadem in vrbe,eodem in palatio, eodē in atrio,eodem in atrij loco,eodem tempore,poſt Quadraginta annos, idem Carolus filio Philippo,dominatum patriæ ſuæ Belgicæ reſtituit, cæterorūq; poſteà Regnorum monarchiam reliquit.

Quadraginta annis imperio Romano præfuit, idq; Quadrageſimi anni,die Quadrageſimo poſt ſuſceptū Imperium, reliquit Ferdinando fratri(cui anteà id ceſſerat)poſsidendum.

Ac ipſe quidem Cæſar longa & luculenta(me præſente)oratione, labores ſuos per Quadraginta annos,in Belgica,in Britannia,in Hiſpanijs,in Italia,in Africa,in Germania,in Celtica,exantlatos,ità publice viuacisſima ſua voce memoriter,anno Quadrageſimo Regni denarrabat, & in digitis ſuis numerabat, quotiès in quaq; Prouincia fuiſſet: vt in optimo augurio noui Principis, optimi quiq; illa chrimarent,maximeq; vos aurei velleris Equites,qui iſtic præſentes eratis.tàm amabiliter,tàm grauiter,eo die Cæſar ad populum dixit.

Fuit autem ea res non ex compoſito à Cæſare ſic facta. Etenim omnes vos illuſtres Equites teſtes mihi eſtis locupletiſsimi, quòd Cæſar cum ſepties ſeptem annos natus eſſet,& Philippum filium in Belgicam primò acceſiuiſſet,idem tunc facere conſtituerit de Imperio,& Regno relinquendo. Sed ſummi Dei voluntati aliter placuit, eumq; Quadrageſimum annum Regni,& Imperij ſui,attingere Deus voluit: vt ea nota à cæteris Imperatoribus,& Regibus orbis ſecerneretur:& cum quibuſdam ſanctis colligaretur Regibus, & ſociaretur. Certè pòſt Chriſtum natū nullus,aut Imperatorum,aut Regū, hunc numerum Regni,Imperijue ſui,adeptus eſt: ſed ſuprà aut infrà omnes conſtiterunt.

Moyſes vixit tres decurſus annorū Quadragenorum: & viuens, cùm Quadraginta annos regnaſſet,ſubſtituit ſibi (mandato Dei) Ioſue Rectorem populi Iſraëlitici.

Iobus pòſt erumnas ſuas,vixit ſæculum,& Quadraginta annos.

Per Quadraginta dies,viderunt homines Hieroſolymis armatas acies in cœlis coruſcantes,tempore Iaſonis Machabæi.

Noë poſt Quadraginta dies, emiſit ex Arca coruum, & poſteà colum-

columbam,vt inſpicerent faciem terræ.

Abraham viuens, ſubſtituit ſibi filium Iſaacum. Iſaacus viuens, ſubſtituit ſibi filium Iacobum.

Apud Prophetam legitur de Deo,quod Quadraginta annos ſem per proximus fuit huic generationi.

Et Deuteronomij nono legitur,quod Moyſes procidit antè Dominum,ſicut prius,Quadraginta diebus, & Quadraginta noctibus, panem non commedēs,ac ſic Moyſes bis ieiunauit, per Quadraginta dies,& Quadraginta noctes. Exodi 24.& 34.

Et in tertio Regum Cap. 19. legitur, quod Helias in fortitudine vnius refectionis,ambulauit Quadraginta diebus.

Et Ionæ 3. dicitur: Adhuc Quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.

Et Exodi 16. dicitur, quod filij Iſraël Quadraginta annis comederunt manna.

Et Deuteronomij 19.legitur: Adduxi vos per deſertum, Quadraginta annis.

Et Geneſis 7.Factum eſt diluuium Quadraginta dierū, vt aquæ abſtergerent hominum piacula,& purgarent terram à peccatis, ſceleribusq́ue commiſsis.Et multa ſunt paſsim in ſacris literis generis eiuſdem:ſed hæc bis ſeptem ſigna ſufficiant.

Numerus autem iſte Quadragenarius,continens in ſe quinquies ſeptem,& ſemel quinq́;,ſiue quatuor perfectas decades, valdè ſolemnis fuit,non ſolum patribus, ſed Chriſto.

Ego de Chriſto non auſim fari, propter numinis maieſtatem, quam religioſè,ſanctè, reuerenter colendam eſſe ſcio: non ſolum mihi, ſed omnibus mortalibus, & immortalibus. Dominus noſter eſt,legis & prophetarum conſummatio eſt: poſtquàm ſuſcepiſſet baptiſmum à Ioanne, ſuper caput eius, in ſpecie columbæ, fuit audita vox diuina,inquiens:hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.Math.3.ſepties hîc porrò hunc numerum Quadragenarium ſanctificauit.

Quadraginta diebus, & noctibus fuit in deſerto, vt tentaretur à Diabolo,Chriſtus.

Et Quadraginta diebus,& noctibus,ieiunauit Chriſtus. Mat.4.

Quadraginta horis iacuit in ſepulchro ſuo(vt perhibent ſancti patres)Chriſtus.

Per Quadraginta dies, diſcipulis, poſt reſurrectionem apparuit, & aſcendit in cœlum,Chriſtus.Act.1.

Quadraginta diebus in domo Bethleemiticâ (quæ fuit ei natalicia) detentus eſt, antequã offerreretur in templo, Chriſtus, Lucæ 2.

Quadraginta hebdomadis (vt antiqui Patres ferunt) in vtero virginali delituit Chriſtus.

Quadraginta menſibus (vt Patres perhibent) mundo publicè prædicauit Chriſtus.

Ecce quomodò in horis, in diebus, in noctibus, in hebdomadis, in menſibus: & rurſus in templi aditione, in ieiunio, in temptatione, in Euangelij prædicatione, in Geneſi, in morte, in reſurrectione: ſepties in menſura, pondere, numero temporis: & rurſus ſepties in menſura, pondere, numero operum ſuorum: ſanctiſsimum hunc numerum ipſe Chriſtus expreſsit Quadragenarium.

Quis autem mortaliũ hæc immortalis Dei Quadragenaria ſigna non piè reuerebitur? non piè de his ſentiet? non piè ad ſuam ſalutem hæc vertet, & Dei cultum?

Atq; hæc ſeptem ſigna numeri Quadragenarij in Chriſto obſeruati, annotata ſufficiant: ex his autem quędam ſigna, poſt alios multos Iodocus Chlictouæus Theologus Flander annotauit.

Ipſa Maria Quadrageſimo die poſt partum purificata eſt, quanquam purificatione virgo pariens, non indigebat, nec mater.

Quid Cæſar noſter Carolus? an tantum per Quadraginta annos regnauit? an non etiam antequàm ſceptra deponeret, Quadraginta magnas, & longinquas profectiones, non ſine præſenti plerumque vitæ, fortunarum, & famæ ſuæ diſcrimine ſuſcepit? & cum multis multorum inſidijs, & copijs, & exercitibus, magna modeſtia, & tolerantia totos Quadraginta annos conflictatus eſt? Quadraginta victorijs illuſtribus ipſe illuſtratus fuit. Quadraginta diebus, & itinera, & bella illuſtriora confecit: & numero Quadragenario in legibus ferẽdis ſæpè eſt vſus. quod & poſtrema lex eius de religione oſtẽdit. Sed & exercitus eius plerumq; Quadraginta milia hominum pugnacium in aciem contra hoſtes produxit. Quin & fœdera, paceſq;, & induciæ, & redemptiones captiuorum, & deditiones, expugnationeſq; arcium, vrbium, claſsium, ciuitatum, prouinciarum, regnorum, & imperiorum nouorum: hunc numerum Quadragenarium omnes prætulerunt, ſicut in hiſtoria apparebit.

Non auſim quicquam dicere de Chriſto propter numinis reuerentiam: & tamen non tacent multi præſtantes & chriſtiani Theologi, quòd Chriſtus natus eſt initio noui apud nos ſæculi, & quòd anno biſextili natus eſt, & quòd circà vigeſimum quintum diẽ mẽ-

ſis apud nos vltimi,& quòd die ſoli dicata, & quòd nocte natus eſt, & ex ſtirpe Regum Hieroſolymorum, & ſeruator orbis, natus eſt, ex quibus quædam poſt alios celebres Theologos etiam annotauit Petrus Appianus, præſtantiſsimus Mathematicus.

Hic Cæſar autem an non initio noui ſæculi,an non anno, & die biſextili, & die, & hora ſoli dicata? & noctu natus eſt? an non circa 25. diem menſis apud Hebræos vltimi, & apud Romanos ante Numam vltimi, & apud Flandros, Galloſque, & Curiam ſuam vltimi, qui annum à Martio, & Paſchate incipiunt die Matthiæ feſta (qui forte electus eſt Apoſtolus) an non ex ſtirpe Regum Hieroſolymorum ſatus? & an non auſpicio, clementiaq; Chriſti, Liberator, & Conſeruator noui orbis Carolini vocatus eſt?

Hæc autem de Chriſto non eò dicuntur, quòd eius geneſim numeris, aut aſtris eſſe obnoxiam, aut quòd eum Carolo Cæſari comparare vlla in parte velim, quę enim illa eſſet ſtoliditas? quæ arrogantia? Sed vt diuinæ prouidentiæ magnitudo à pijs mentibus, & hæc reuerenter verecundéque intelligentibus diuino honore, & latria adoretur, veneretur, & colatur: quæ Chriſtum Chriſtianiſmi fundatorem numerorum ſuorum radios communicare paſſa ſit cum iſto Carolo: quem Chriſtianiſmi defenſorem fortiſsimum, propagatoremq; maximũ fore in nouo orbe ab æterno prouiderat.

Sanè igitur omnia mea verba ſunt accipiẽda, nec in alia ſenſa vertenda ſunt, quam ea quæ ego declaro, & eccleſia Catholica Romana permittit.

Quid Dauid in ætatis flore? an non deuouit ſe, magna nobiliſsimorum virorum aſtante corona, pro ſalute patriæ? & grauiſsimum patriæ hoſtem Philiſtæum, virum præpotentem, & præualentem ad ſingulare prouocatus prouocauit certamen? 1. Reg. 17. 1. Macha. 4. Pſal. 77.

Hic Cæſar in ętatis ſuæ flore, & regni ſui vmbilico, hoc eſt, anno ſęculi trigeſimo quinto calculo Gallico, aulicoq; an non Romæ, in ſancta vrbe cùm eſſet, & in ſacra ſacræ Quadrageſimæ hebdomada, ſacram ſynaxim ſumpſiſſet, deuouit ſe pro ſalute Reipub. Chriſtianę, apud ſummũ pontificem Paulum eius nominis tertiũ, & Patres conſcriptos, & purpuratos, Regumq; omnium Chriſtianorum legatos: ac Franciſcum florentiſsimum Galliæ Regẽ, Regem inquam grauiſsimum patriæ hoſtem, Robuſtum, & præpotentem heroëm corporis mole, membrorumq;, & annorum viribus, longè quàm ipſe eſſet ſuperiorem, ad duellum, & ſingulare prouoca-

tus, prouocauit certamen, septem conditionibus ei oblatis, vt in mari, vel terra, vel flumine, in equo, vel pedibus, colle, vel planicie, cum eo de Iuſticia bellorum, & Galliæ Ciſalpinæ, Burgundicæq; Dynaſtiæ pignore, inter ſe duo decertarent: Deum iudicem corpora duorum Regum naneiſcerentur in victoria armorum, ſine publicæ ſalutis detrimento, aut alterius humani ſanguinis profuſione: Quadraginta dierũ ad deliberandũ cõceſsit inducijs. ter conteſtatus ſe Pacẽ, Pacem, Pacẽ, Chriſtianorũ: non bellũ flagitare, & expoſcere.

An non vt Dauidi Saul Rex bis in manus, & poteſtatem (Dei permiſſu) traditus fuit? 1. Reg. 24. & 26.

Ità huic Carolo Cæſari Franciſcus Rex ſemel, ac poſteà eius filius Henricus (qui nunc ſceptra Galliæ gubernat) traditus eſt. In manus enim, & poteſtatem Cæſaris in Hiſpanias (Dei permiſſu) peruenerunt captiui Cæſaris Maximi.

Et vt ille à Saule Rege bis manus abſtinuit, quia vnctus erat, locis ſuperius adductis, quale quoque exemplum legitur de Vlyſſe apud Homerum.

Ità hic Carolus ab illis manus ſemel, atq; iterum cohibuit, quia vnus vnctus erat, alterum fortaſsis vngendum fore prouidebat.

Et vt quęſiuit Dominus virũ iuxta cor ſuũ, & præcepit Dauidi Dominus vt eſſet dux ſuper populum ſuum. 1. Reg. 13. Act. 13.

Ità hic à multis iudicatus eſt eſſe quęſitus ſecundum cor Domini: cui videtur conceſsis tot regnis, & dynaſtijs, non obſcurè pręcepiſſe; vt eſſet dux ſuper populum ſuum.

Vt ille pulcher erat aſpectu, decoraque facie. 1. Reg. 16. & 17. & vnctus eſt in medio fratrũ eius, & directus eſt Spiritus Domini in die illa in Dauidem. 1. Reg. 17. & 2. Reg. 7. Pſal. 77. & 88. & Act. 7.

Ità hic pulcher apparuit in oculis hominum, ſpecioſoq;, & decẽtiſsimo vultu, præ cæteris ſui temporis Regibus, & Principibus: & vnctus eſt in medio fratrum ſuorum ſeptem electorum aquiſgrani, reliquis Regibus, & Principibus ab Imperiali diademate reiectis.

Et vt ille egrediebatur ad omnia prudenter ità ſe gerens vt acceptus eſſet in oculis vniuerſi populi. 1. Reg. 18. & vt illo redeunte Hieroſolymam, canebant mulieres, percuſsit Saul mille, & Dauid decem milia; & ſimulauit furorem apud Regem Achis, vt effugeret iram. 1. Reg. 21. quod & Brutus, & Achilles feciſſe leguntur, ille vt vaticinio obſecundans terram prius oſcularetur: hic ne inuitus in prœlium, & dimicationem cum Hectore amplius veniret: ſicut apud Liuium, & Homerum videre promptum eſt.

Ità

Ità hic Carolus egreſſus eſt ad res omnes gerẽdas; cũ ſumma modeſtia,& ſapientia,adeò vt vocaretur à multis AMOR, ET DELICIÆ GENERIS CHRISTIANI. Et hoc Cæſare ex bello Pannonico, poſt Solymannum profligatũ,in Italiam,& rurſus ex bello Africano per Siciliã,Romam redeunte,poſt Enobarbum profugum factum, & propulſum:canebãt paſsim mortales in itinere:PERCVSSIT ALIVS REX MILLE, CAROLVS TOT CENTVM MILLIA: & hic Cæſar inualetudinem, & debilitatem corporis frequenter ſimulauit, dum rebus maximis gerendis incumberet,ità vt Solymanus ex eius morte ſæpè ſuas priuatas dimenſus vtilitates,eum plus quàm Chriſtum eſſe dixerit:illum enim ſemel mortuum,ſemel tantum reſurrexiſſe:hunc toties mortuum dictum, toties reſurrexiſſe: putare ſe porrò idem illi,quod ſibi euenire,vt nunquã ęgrotus ſit,niſi cum pecunia careat:& cum ei nanciſcendæ inuigilat,non expendendæ.

Multa ſunt laudata,& admiranda in Dauide,quæ & in hunc Carolum optimè quadrarent,ſed breuitatis cauſa hic omittentur:ſicut & alia pleraq;,quæ vos viri illuſtres boni conſuletis: aliò enim nautæ,aliò Remiges ſpectant.ac hæc ſeptem Dauidica ſigna iàm anteà à me numerata,in pręſens ſufficiant. Septenarius enim numerus teſte Auguſtino,perfectus eſt,& propter perfectionem ſuam,ſpiritum ſanctum ſignificat:complectitur enim duas trinitates,& vnam monadem:ſic vt quamuis ſint tres perſonæ,vnus pater,vnus filius, vnus ſpiritus ſanctus,non tamen tres Dij:ſed vnicus ſit Deus, & hæc poteſt ſeptenarij numeri myſtica eſſe ſignificatio,& anagoge.

Ex his autem,& alijs deinceps dicendis liquebit,quòd Cæſar noſter non immeritò illud Ezechielis 28.dicere poſsit: Tu ſignaculũm ſimilitudinis.& iterum illud canticorum 8. Pone me, vt ſignaculũ, ſuper cor tuum.

Sicut autem præſtantia equorum certis ſignis cognoſcitur,in breuitate capitis,longitudine Iubæ,rotunditate tergi, & clunium, contractione ventris,& colli,teneritudine cutis,latitudine pectoris,gracilitate crurum, vigilantia oculorum, pernicitate pedum, ſaliendi, gradiendi, & adhinniendi modo, quæ omnia, & in mulieribus formoſis reperta, illas facere perhibentur longè adhuc formoſiores, & decentiores, præſertim cum ad has,ſicut ad equos elegãs veſtitus acceſſerit,& cum equi commodum ſeſſorem nacti ſunt.

Ità quorundam hominum actiones certis deprehendũtur ſignis, magis ad heroicam & diuinorum virorum famam,quàm mortaliũ, aut humanorum: & ad formoſiſsimam virtutis pulchritudinem

aſpirare: quæ virtus, ſi oculis humanis cerni poſſet, multò incredibiliorem, quàm equi, aut fœminę amorem excitaret ſui. Ac virtus quidem ipſa ſignũ eſt gratiæ diuinæ: & gratia proculdubio, eſt arra, ſiue arrabo futuræ gloriæ. Deus enim notat ſuos notis perennibus, tantaq; virtute, & gratia induit, vt eſſe ſui ab omnibus cognoſcatur. Nemo enim poteſt hæc ſigna præſtare, quæ hic expreſſa ſunt; & exprimentur, niſi Deus fuerit cum illo, ſicut ſcriptum eſt de alijs ſignis. Ioannis 3. Ac ſigna quidem iſta nihil aliud ſunt, quàm arcanæ cuiuſdam diuinæ intelligentiæ, & prouidentiæ æternæ myſteria, aliam, atq; aliam diuinæ voluntatis formam, & ſimilitudinem, mortalibus repræſentantia. Ac propterea legitur Numeri 17. Refert virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, vt ſeruetur in ſignum.

Et Eſaiæ 7. Dabit Dominus ipſe vobis ſignum.

Et rurſus virga aurea aſſueri fuit cenſa in ſignũ clementiæ, ſicut legitur Heſter 4. & 8.

Geneſis nono ſcribitur: Ponam arcũ meũ in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & terram.

Ac (niſi fallor opinione) Cæſar noſter Carolus non abs re poſſet dicere illud Danielis 3. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus: placuit mihi prædicatione, & laude afficere ſigna eius, quia magna ſunt, & mirabilia eius, quia fortia.

Nónne legitur in ſacris literis: Timebunt qui habitant terminos terræ à ſignis tuis, ſed quis peruenit Chriſtianorum, aut Barbarorũ Regum ad terminos terræ? Si hic Cæſar per ſuos Tribunos, & Centuriones non peruenit? & viam longius progrediendi non oſtendit?

Nõne legitur in Pſal. Signatũ eſt ſup nos lumẽ vultus tui Domine?

Et alibi: Ecce ſignum Domini, fugite partes aduerſæ.

Quid ſibi vult illud in hoc ſigno, vinces?

Et illud Ezechielis 9. ſigna Thau ſuper frontem virorum gementiũ, & dolentiũ, & ſignati illi quidem ſtigmate Thau, non ſunt mortui: alij autem, qui hanc notam non tulerunt, perierunt.

Nihil autem refert, quòd multi mortales hæc ſigna non recipiãt, aut quòd multi talibus viris, aut ſignis cõtradixerũt, propter fortunę variatis viciſsitudinem, hominibus incognitã, & Deo ſoli præuiſam.

An non Dauid toties ab hoſte profligatus? toties inſidijs, & ferro hoſtis appetitus; toties patria & Regno ferè eiectus fuit? ſed ſemper in die mala liberauit eum Dominus 1. Reg. 19. & 20. & 22. 23. 27. 29. & locis ſimilibus alijs perquàm multis.

An non ipſe Chriſtus fuit ſignum? quia poſitus eſt in ruinam, & reſur-

reſurrectionem multorum,& in ſignum cui contradicetur? Lucæ 2. Et iterum ibid. Et erit vobis ſignum.

Et nónne eius ſigni figura fuit tanto antè tempore præfigurata? Numeri 21. Fac ſerpentem æneum,& pone eum pro ſigno.

Signa autem iſta ſunt notæ,& figuræ ſimilitudinum quarundam à Deo ordinatarũ: legitur enim Lucæ 12. Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs.

Sicut autem radius penetrans,& tranſiens vitrũ, vitri colorẽ quendam,& ſimilitudinem ſecũ ducit,& ob oculos aſpicientium ponit, ſine vlla tamen vitri ipſius laceratione, aut confractione.

Ità ſunt quędam hominum mentes, ex Diuiniore,& cariore quodam Dei præpotentis ſemine procreatæ,& in hác lucem æditæ, magna ex parte,& in multis numeratis rebus, ſimilitudinem quãdã vel ipſius Dei, vel diuinorum quorundam hominũ ſecum trahentium, ſine vlla tamen diuinæ Maieſtatis, aut diuinorum, aut Sanctorum animorum diminutione, aut læſione.

Sunt enim quidã quaſi funes, quibus humanæ mentes,& actiones conſtringuntur nũnunq;, permiſſu,& voluntate altiſsimi numinis: vt ipſi homines (quãquã aliàs libero fruantur actionum,& cogitationum ſuarũ arbitrio) tamen quaſi prouidentia cœleſti eorum cogitatus,& ſenſa gubernante, ducãtur,& nonnunquàm trahantur, ad res magnas,& immortali hominũ,& cęlitũ laudatione dignas, ſic, vt tãq; œſtro perciti, aut ſydere aliquo afflati in rebus gerendis appareant.

Ac de talibus funibus videtur loqui Samſon Iudicũ 16. cùm inquit: Si ligatus fuero nouis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero,& aliorum hominum ſimilis.

Quid Cæſar noſter? an ligatus fuit nouis funibus? qui nunquã fuerũt in opere virorum,& heroum ſanctiſsimorum, vt eſſet infirmus,& aliorum Regum, aut Principum, aut hominum ſimilis?

Sed qui ſunt iſti funes? an ſunt limites, ſiue termini, quos Deus hominibus ſibi charis conſtituit, nec eos ſinit præterire?

Legitur enim Iobi 14. Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.

Et in Pſalmis terminum poſuiſti eis, quem non tranſgredientur. Iobi 38. dicit Dominus: Circundedi mare terminis meis,& poſui vectem,& oſtia,& dixi: huc vſq; venies,& non pertranſibis amplius,& hìc confringes tumentes fluctus tuos.

Quid verò eſt aliud vita noſtra, quàm mare variarum cogitationum, variorumq; operum? ac ea ſanè oportet ſubeſſe legi Dei, ſe-

cun-

cundum illud Exodi 19. Conteſtare populum, ne fortè velint tranſcendere terminos ad videndum Dominum.

Et prouerbiorum 22. legitur: Non tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.

Sed qui ſunt iſti patres, ac maiores Cæſaris? an Noë? an Abraham? an Dauid? qui ſinguli ſingulas ætates mundi apud Hiſtoriographos faciunt? nemo n' horum Europam attigit?

Quem typũ igitur ſequemur in depingẽda, & cõformanda Caroli Cæſaris vita? cum Ethnicis, aut Barbaris hũc tàm grauẽ tã piũ, tàm excelſum Imperatorem cõparare nefas videtur. Cũ Chriſtianis autem ſui, aut ſuperioris ſæculi Regibus, aut Principibus, aut Cęſaribus conferre, perquã laborioſum videtur, & inuidioſum. Quid igitur?

Sequamur naturã ducem, & geneſim Cæſaris paulò pluribus explicemus verbis. Reliqua enim quæ in Cæſare, cùm maiora, tum admirabiliora ſunt, ſeſe ipſa ſuo tempore aperient.

In omnibus autem rebus eius arcani quidã reperiũtur, perſanctiq; numeri, qui eius arcanũ pſãctũq; pectus Cæſareũ oſtẽdũt, indicãtq;.

Sed hoc axioma, vt probabile, non vt neceſſarium vobis viri illuſtres propono, omnia enim à diuina pendent prouidentia, nec quidquam numeri notant niſi quantum Deo collibuit.

Genethlia.

Genethlia Caroli Maximi ſic celebrabatur, quantũ ex actis vrbicis, & aulicis videre licuit.

Gandaui ex Palatio in ædem Diui Iohãnis porticus erat productus ambulatorius varijs colũnis, baſibuſq; ſuffultus, opere cõcamerato:

Ter mille & quingentos pedes cõmunes lõgus, ſeptẽ pedes latus.

Septem pedes à terra ſubleuatus & altus, vt infrà commodè vbilibet tranſiri poſſet, flauo, rubro, albo colore tripliciter picturatus.

Hũc porticũ maſculinũ eſſe dixerũt quia maſcula virtute marem præditum Carolum portabat, Reliquas porticus eſſe fœmininas.

Quadraginta arcus triumphales, portarum magnarum inſtar, his porticibus impoſiti fuêre. ſinguli arcus ſingulas habebant nominum variantium appellationes, ex depictis dynaſtijs, & Regnis futuris Principis Caroli. Earum autem Quadraginta dynaſtiarũ, & Regnorum, arma, & inſignia arcuum culminibus imponebantur, Flandriæ Gandauiq; imaginibus, dextrâ, ſiniſtrâq; vtrimq; additis.

Ex ijs arcubus, portiſq; vrbicis tres erant portæ eminentiores grãdioreſq;. quarum vna ſapientiæ, altera iuſticiæ, tertia pacis, & concordiæ

diæ vocabatur, iiſq; portis Auſtriæ, & Hiſpaniæ, vtrimq; dextrâ, leuáq; inſignia arma præpoſita viſebantur.

Ter ſeptem centuriæ ardentium facium in his porticibus viſebantur, eo ordine, & modo: vt ſinguli quingenti pedes ternas haberent facium centurias.

Septem figuræ apparebant præ cæteris præſtantiſsimæ, quarum quatuor ex veteri inſtrumento, tres ex nouo erant tranſlatæ: ex quibus quatuor ſigna veteris teſtamenti, in quatuor ſigna noui teſtamenti fuerant per Chriſtianam metamorphoſim commutata.

Alius erat ex funibus porticus in aëre iactus, ex faſtigio templi Nicolaici, ad faſtigium turris Capitolinæ (quam Belfortem vocant) plenus colligatis facibus, & lucernis ardeſcentibus: in quo aëreo, & ſuſpenſo porticu funiculato, multi mortales ambulaturiebant, architecti ingenium, induſtriamq; ſuſpicientes.

Nauis erat plena facibus, & periſtromatis, aureoq; abaco inſignis, vexillis varijs, & taratātararum claſsicis cōcentibus ex mali, antennarumq; lateribus exhilarata: ſepties quinquaginta faculas illuminatas, à prora ad puppim oſtentans.

Die vigeſima quarta Februarij (qui ſolus inter omnes menſes, quater ſeptenos dies continet) hora diei decima quinta, hoc eſt poſt mediam noctem tertia, & cùm ſepties ſeptem minuta horæ quartæ tranſiſſent (quæ dimidium ſeptenarij horarum, & ſeptemdecim minuta conficiebant) natus eſt Carolus Gandaui.

Anno Iubileo natus eſt, qui annus gratiæ dicitur.

Martij Bennini ſcauriani toparchæ extitit illuſtris ad Principis natalem condecorandum animus, qui in aureum hunc, & diuinum partum exornādum multis ſericis, damaſcenis, oloſericis, coccineis, purpureis, argenteis, aureis pānis, viam militarem (quàm à Burgo Gandenſes Capitolinam viam nominant) deducta in heptagonam formā exedra: ſeptifariā vſq; ad fanum diui Iohannis veſtiri vtrimq; iuſsit. Qua ſola in re, præter alios ab eo ſumptus, per id tēpus factos: in tabulas expenſi relatos ſcio mille quingentos aureos Carolinos. Non fuit certè tanti viri alacritas, tantaque priuatim in officio præſtando liberalitas, ſilentio prætereunda. Multum enim ea res & admirationis, & popularis lætitiæ, voluptatiſq;, apud omnes patricij, & equeſtris ordinis collegas ſuos excitauerat. Decimo tertio die à tempore natiuitatis Caroli Maximi, fuit puer in ædem diui Iohānis per porticum illum ambulatoriū ad baptiſterium ductus. Hoc multi ſunt admirati, & annotatione dignum cenſuēre. Nam cùm

nemo

nemo qui puerum ferret, terram contingeret, ſed per aëra in porticibus infans deferretur, partum diuinum & aureum fore ſapientes augurabantur: certè pij omnes, piè credebant.

Eò magis, quòd ſimilis apparatus maioribus eius, nec ibi, nec alibi factus fuiſſet: vndè enim iſta nouitas? vndè exẽpli raritas? vndè pompæ immenſitas?

Cùm iretur ad baptiſterium, præcedebant Conſules, & Senatores Vrbici, ter centum quinquaginta viris, & facibus comitati.

Secundo loco procedebat Præſes cum Senatu Flandrico, multis pragmaticis, & Forenſibus viris ſuccinctus.

Tertio loco patricij ordinis viri nobiles quamplurimi.

Quarto loco illuſtres, veſtri aurei velleris equites ſeptem.

Quinto loco ibat Margareta Britannica Caroli valeſij Burgundiꝰ Ducis vidua, Carolum infantem vlnis ſuis geſtans, duobus Principibus, eam vtrimq; deducentibus ſtipata: erat autẽ Eduardi Quinti Angliæ Regis ſoror.

Sexto loco progrediebatur Margareta Auſtria Maxæmiliani Cæſaris filia, Philippi Hiſpaniæ Regis ſoror, infantis amita.

Septimo loco Eleonora ferebatur Philippi Hiſpaniæ Regis filia, infantis Caroli ſoror.

Bis ſeptem Archimandritæ mitrati, ſacro baptiſterio peragendo incumbebãt: ex quibus neruiorum Epiſcopus, tribus Epiſcopis incinctus, primas in baptiſterio partes deſumebat, vt qui infantis eſſet Epiſcopus Dioceſanus.

Carolus à Croia Symay princeps perilluſtris, & Bergenſis Satrapa, duo Dynaſtæ, veſtri velleris aurei equites conſummatiſsimi, cum duabus Regij ſtemmatis fœminis Margaretis, illa Britannica, hac Auſtriaca ſponſores in baptiſmate pueri Caroli fuerunt. Ac ſtipulante Neruiorum Pontifice, Caroli nomen infanti indiderunt.

Nomen hoc illi ſuum dante Carolo à Croia principe Symaico, viro, & heroë fortiſsimo.

Septem munera infanti Carolo in baptiſterio donata fuerunt, die natiuitatis ſuæ decimotertio. Inter donatores munera ſua afferentes, tres fuerunt Regia dignitate inſignes.

Philippus pater, Lucemburgi dynaſtiam infanti Carolo, principiò donauit, illumq; Ducem Lucemburgi nominari iuſsit.

Ex ea dynaſtia, cùm multi clariſsimi Cæſares prodijſſent, qui omnes huius Caroli infantis maiores fuiſſent: inter quos Sigiſmundus, Carolus quartus, & VVencelaus incliti Bohemiæ Reges, & celeberrimi

rimi Cæſares fuerant,cœperunt proceres dicere: Hunc & Cæſarem, & clariſsimum fore belli,domiq; principem.

Carolus à Croia Symaicus Satrapa ſecundo loco illi argenteam galeam,aureo phœnice inſignitam, affabrè, & magnificè elaboratã donauit.

Galea Martialem & bellicoſum principem fore præſignificabat.

Phœnix raritatem, & præſtantiam Principis fore admirabilem denotabat.

Et ſicut hæc auis ab Indis hùc venit(vt veteres dicunt ſcriptores) ità infantẽ hunc Indis Dominaturum quidã diuinitùs præſenſerũt. Et quia qui phœnicem donauit Caroli quoq; nomen, vt præcipuus in baptiſmate ſponſor infanti (ſicuti dixi) impoſuerat: Hunc ex Auguſtorum Romanorum numero, tertium phœnicẽ fore multi augurabantur,argumento à phœnicis ætate deſumpto, quæ ætas ſeptingentorum annorum eſſe à multis perhibetur.

Singulis enim ſeptingentis annis nouum,& ex cineribus eiſdem rediuiuum phœnicem enaſci aiunt.

Et ceu vnicus & ſolus eſt,totis ſeptingentis annis phœnix, ità ſolum & vnicum talem Cæſarem totis ſeptingentis annis viſum fore conijciebãt.

Primum autem phœnicem Octauium Auguſtum fuiſſe,qui ſeptingenteſimo anno ab vrbe condita elapſo, teſte Velleio Paterculo, & Solinó, primus Auguſtorum Cæſarum phœnix fuit, ſub quo Chriſtus natus eſt.

Secundum Carolum Magnum fuiſſe Phœnicem ſub quo Chriſtiana lex longè,lateq;,terra,mariq; propagata eſt.

Tertium Phœnicem hunc Carolum infantem futurum,ſub quo longius, latiuſq; hæc eadem promulganda foret in Oriente, Occidente,Septentrione,& Auſtro.

Eas autem coniecturas tres Aquilæ,caput Caroli infantis ter præteruolantes adiuuabant.

Et quòd crucibus, & ſanguine, multis in locis tùm pluit, maximeq; in Germania.

Soles per id tempus tres in cœlo viſi idem iudicium ferebant, triplici corona & Thiara caput huius pueri ornandum,quæ imperatoria dicitur.

Mathematicorum,& Aſtrologorum rationes variæ, plurimæq; in medium adferebãtur,dicentium: Octauium Auguſtũ, & Carolũ Magnũ,& hunc Carolum puerũ, capricornũ in aſcẽdente habuiſſe.

Et neſcio quid ſimile (vt eſt illarum artium ſcientia curioſa) in Chriſti geneſi animaduerſum fuiſſe. Non eſt autẽ capricornus Chriſto dominatus: ſed Chriſtus eùm ipſi capricorno, tum cæteris aſtris omnibus à principio mundi eſt dominatus.

Quemadmodũ autem die, & hora ſoli dicata puer natus fuiſſet, & ſol ex Zodiacis ſignis Leonem propriè poſsidere dicitur, ac Prouinciæ Cæſaris ſeptem in Belgica vbi natus erat, leonum imagines in armis ſuis ferebant, ipſaq; præ cæteris vrbibus ciuitas Gandenſis, nemo dubitauit, quin hic Cæſar leonem animantium fortiſsimum imitatus, leo virorum fortium, & heroum Maximus, & rex hominum diceretur.

Bergenſis Dynaſta aureum puero gladium tertiò donauit, qui iuſticiæ vindex, & Imperatoris eſt proprius. Ex illo enim omnis iuſticiæ ciuilis honos, tanquàm ex fonte effluxit. Ac hînc iuſticiæ publicæ amantiſsimum fore Carolum affirmárunt.

Margareta Britannica capaciſsimum puero poculum aureum lapillis plenum pretioſis quarto loco obtulit.

Margareta Auſtriaca ampliſsimam pateram puero auream margaritis, & vnionibus refertiſsimam quinto loco dedit.

Hæc duo ſigna, vt multi tùm ſenſerunt, præſignificabãnt, capaciſsimas, ampliſsimaſq; Prouincias, auri, margaritarumq; feraciſsimas huic puero, labente æuo, obuenturas.

Gandâum vrbs Belgicæ maxima (auguſta Belgarum dicta prius, cum puer naſceretur) Carolo hoc Cæſare deſignato, Auguſta Caroli à multis vocari cœpit, & quidem à viris ſpectatiſsimis, ornatiſsimiſq;.

Ea autem vrbs natalicia, puero in baptiſmatis honorẽ eodem die xiij. poſt natiuitatem pueri, qui fuit dies ſeptimus Martij menſis, ſexto loco nauim argenteam pro munere ciuico dedit. Ac proptereà quod auguſtæ Belgarum natus eſſet, non ſolum Regem, aut Cæſarẽ, ſed Auguſtum fore Romanæ linguæ callentiſsimi, & amantiſsimi ciues ſui dicebant.

Ex naui noua argentea, noui orbis argentei, & aurei nauigationes proſperrimas fore paſsim diuinabant: iam enim quidam apparebat earum nauigationum odoratus. Et præconis antecedentis vox ſeptennio prius audita fuerat.

Quemadmodũ autem Chriſto poſt natiuitatis diem, die xiij. munera à tribus Regibus oblata fuiſſe legitur, ita hîc tres Regum, hoc eſt Regio ſtemmate ornatorum, ac ſatorum, donationes fuiſſe dicebãt.

Idq; eò magis, quod Margareta auſtriaca, quinta Martij ex Hiſpa-

nijs

nijs per Oceani Gallici,Britannicíq; vndas,præter omnem ſpem, ap pulerat,vidua Regiæ prolis in Hiſpanijs effecta,hoc eſt biduo antè diem baptiſmatis.

Et quia tribus ex orbis partibus oriente,occidente,& ſeptemtrione,munera afferebantur,Auſtria videlicet,quæ ad Eurum eſt,Hiſpania quæ ad Notum,& Britannia quæ eſt ad Boream. Hæc autem vt priora prouidentiæ Dei laudi,non Caroli gloriæ attribuenda ſunt: vt ſæpe anteà monui:ſed ſunt tamen notatu digna, quia nec vbiq;, nec paſsim,nec omnibus eueniunt.

Archimãdritæ ſeptimo loco ſacra munera vetus nouumq; teſtamentum comprehendentia illi offerebant. In quibus hoc fuerat inſcriptum ſeptiſyllabum.

SCRVTAMINI SCRIPTVRAS,& fidem,ac religionem pueri, ſponſoribus eruditiſsima & grauiſsima oratione vſi cõmendarunt.

Fuit hoc præceptum Archimandritarum,ſumma dignum admiratione, ob cõtrouerſias in religione enatas tempore huius Caroli. Vnum admirabile accidit, quòd pax, ſicut olim tempore Octauij Auguſti,cũ Chriſtus natus eſt,fuit, ità nunc fuerit toto orbe noſtro, cùm Carolus natus,& in hanc lucem æditus eſt. Eaq; in Belgica ſua ſeptem annos durâuerat.

Picus mirandula multa opera in vario præſtantium artium genere,iam antea ediderat, & ſeptennio antè Cæſarem Carolum hunc natum,Florentiæ mortuus fuerat.

Hic cùm ſingulari in Deum amore flagraret, & claritate generis omnes viros doctos antecelleret,magnã ſui nominis famam, apud multas gentes doctrinæ eximiæ,& tum pietatis, tum modeſtiæ ſuæ cauſa concitârat.

Et proptereà multi Cæſaris Caroli, & Philippi Regis patris eius, & Maxæmiliani Cæſaris auij eius conſiliarij,& familiares, religionis curam,& amorem enixius ſuſcipiebant.

Statim poſt natum hunc Carolum omnes artes mechanicæ,omnia ingenia,quacunq; in re,hominum, præſtantiæ eximiæ cuiuſdã cauſa,ſingularem omnium gratiam,& amorem promerebantur.

Idq; in re militari,in re nauali,in architectonica,in pictura, in ſtatuaria, in periſtromatis, in textrinæ vario artificio,luce meridiana clarius apparet.

Ac ex hoc tempore non ſolum Italia,ſed Germania,Gallia,Hiſpania,Britannia,Sarmatia,Hungaria plurimis doctis viris exundauit.

Quorum ſcripta,cùm paſsim extent,nihil eorum faſtidioſa recen

 ſione

ſione eſt opus. Illi æditis libris ſuis, nomenclationis neceſsitatem mihi omnem ſuſtulerunt.

Magna fuit ingenij diuinitas, & præſtantia in mirãdulano, quem quidam poſteà ſecuti, aſſequi non potuerunt.

Diuinitas autem ingenij eius, cùm varijs in rebus, tum maximè in eximia corporis, morumq́; honeſtate, & ſumma vitæ ſanctitate emicuit. Et ſeptenarius numerus virtutum laudatiſsimarum in operibus eius paſsim repertus, perfectionem viri non mediocrem oſtendebat. Fuerat autem natus anno ſæculi præcedentis climaterico, id eſt, ſexageſimo tertio, Pio ſecũdo Pontifice Maximo Romæ, & Friderico Auſtria Imperatore Caroli noſtri Proauo, in Germania imperãte: eoq́; cũ Auſtriacæ domus propagini, tum verò magis, magiſq́; ſub finem vitæ ſuæ totius Reipublicæ chriſtianæ propagationi ſtudebat, & fauebat.

Locus Natalis.

Cvm Gandaui, in maxima totius Europæi orbis ciuitate, Carolus natus eſſet (quod multis antè ſæculis nulli Principum contigerat) & cùm eam meditullium, ſeu vmbilicum eſſe chriſtianiſmi homines multi exiſtimarent, maximũ hunc Principem, & chriſtianiſmi protectorem ſummũ, non ore, ſed corde, & vmbilicótenus fore, eccleſiaſtæ viri docti, & celebres, cõmemorabant. Incolæ eiuſdem vrbis contendunt vrbem cũ ſuis foſsis (quas patrio ſermone Ritgraftias vocant) ſeptem leucas Cæſareas, ſiue Carolinas, hoc eſt, Belgicas in circuito continere. Septem habet vrbs Parôechias, quarũ nouiſsima, Sanũ Michaelis appellata, quater ſeptem milia hominũ cum ſacra ſynaxi quotannis communicantium habere perhibetur.

Flumen ipſum rapidiſsimu ſcaldis ab ira ſic dictus) ſeptem pontibus marmoreis in vrbe magnificentiſsimè conſtratus eſt.

Vrbs ipſa ſeptangularis, ſiue heptagona habetur, ſepté enim vias militares, ſeptemq́; lõgiora promontoria, ceu digitos ſuos, oſtentat eam ex alto, & edito loco inſpectantibus. Longiſsimis memoriæ Ciuiũ narrationibus, ac vetuſtiſsimis annalibus vrbicis compertũ eſt, ſeptem eã Principes per ſeptennium, ſeptimeſtre, & ſeptendiũ obſediſſe, neq; tamen expugnâſſe. Itaq; illa virginis figuram in imaginibus ſuis refert, tanquam quæ à nemine vi bellica conſtuprata ſit.

Septem autem hoſtilium caſtrorum, ſeptem fana, ad ſeptem vrbis latera, à ſeptem Regibus ædificata, intra primum ab vrbe lapidem

dem,velut imagines,& reliquiæ veteres in hodiernum adhuc diem publicè vi[illegible]tur,& coluntur.

Ad Di[illegible]orum qu[illegible]undam in æde Ba[illegible]onis reliqu[illegible] voces ſub ob ſcuræ,noctu ſilen[illegible]o audie[illegible]tur, [illegible]ore vt p[illegible] Qu[illegible] [illegible]ta [illegible]s nouam Re[illegible]publ[illegible]a G[illegible]ndenſis aciem re[illegible]er[illegible]t, mu[illegible] qu[illegible] ante[illegible] tranquilliore[illegible],& me[illegible]ior[illegible]m , neq; ante [illegible]lud [illegible]mpus l[illegible]ta C[illegible]ium concordia,& feſta pace viuram.

Perſona Cæſaris.

SEPTIM[illegible] C[illegible] corpor[illegible] pars Caput ipſius Cæſar[illegible]s , cum oſſe in guttur[illegible] e[illegible] fuit.

Cæ[illegible]r quā er[illegible] longu[illegible],t[illegible] [illegible] manibu[illegible], ex[illegible]anſis latus.

Manus [illegible]n longum expanſa,v[illegible] [illegible]m [illegible]æſaris,a [illegible]ento ad c[illegible]pillos capitis metieb[illegible]tur. A iuguli oſſe [illegible]arteq; infima, ad papillas vtri[illegible]ſq; mamillæ triangulum æquilater[illegible]m perfectiſsimum conſtitueba[illegible]

Ab [illegible]lo triang[illegible]lo ad vmbilicum ſimilem h[illegible]b[illegible]it p[illegible]oportionem.

Ab vm[illegible]co ad ſ[illegible]cr[illegible] os pubis [illegible] pa[illegible] lo[illegible]in[illegible]m.

Hoc ſacru[illegible] pubis o[illegible] medit[illegible]llium corpor[illegible] Cæſare[illegible]tend[illegible]at.

M[illegible]nus inte[illegible],quæ eadem e[illegible] cum lin[illegible] [illegible] p[illegible]e digitiſq; la[illegible]is me[illegible]tis c[illegible]qui poſſumus [illegible] cor poris co[illegible]men[illegible]atio

D[illegible]q; t[illegible]s pr[illegible]port[illegible] [illegible]emore Dupli[illegible] ru[illegible]ſus in t[illegible] pe[illegible]ciebat,nod[illegible] q[illegible]

[illegible]n Cæſ[illegible] m p[illegible]s [illegible] [illegible]di- ni[illegible] quantu[illegible] [illegible]antus er[illegible], e[illegible]panſis [illegible]s, ped[illegible]q; [illegible]on [illegible]n [illegible] id[illegible]batu[illegible].

It[illegible] vt vnam d[illegible]cad[illegible]m pr[illegible]portionum [illegible] ad p[illegible] [illegible]n- gus,vnam decad[illegible]m a [illegible] træ ma[illegible]um l[illegible]s,d[illegible]a [illegible] a[illegible]te [illegible], [illegible]; & pectu[illegible] Cæſa[illegible]s in[illegible]o Cæſar oſte[illegible]deret.

A[illegible] o[illegible]u[illegible]t[illegible]n[illegible],& [illegible] p[illegible]r in l[illegible] [illegible]me t[illegible]s duas p[illegible]res [illegible] pr[illegible]portionu[illegible] [illegible] Qua- d[illegible]n[illegible]rium nume[illegible]u pe[illegible] [illegible]m[illegible], & ad a[illegible] [illegible].

[illegible] c[illegible]da,capill[illegible] [illegible]a[illegible]d,[illegible], [illegible]a & f[illegible]mora carnoſa,venter ſubac[illegible],r[illegible]m , ne[illegible]n[illegible], & [illegible]um te[illegible]um , [illegible] æ , n[illegible] , labra ru- bi[illegible]ta , cr[illegible]a , ped[illegible]s , n[illegible]s , auricu[illegible] , breues : digiti v[illegible]ores, n[illegible]m collum, humeri l[illegible] pect[illegible]s latum,

& frons lata, vultus ſerenus, placidus, mitis, ſtatura media, in Cæſare conſpici[illegible]atur

Atq; hanc corporis formam, vſq; ad annum vitæ ſuæ Quadrageſimum, æquabiliter ſanam, incolumemq; conſeruauit, cum magna inſpectantium cum laudatione, & admiratione.

Hæc e[illegible] à me dicuntur, vt à pictoribus, ſtatuarijs, plaſticis, ſculptoribus, [illegible]oribus, fuſoribus, cuſoribus, ſiue mon[illegible]rijs, hác ſtaturá, formamq; Cæſaris t[illegible]nquàm honeſtam, liberalem, egregiam fuiſſe laudatam ſciatis, [illegible]meq; à proui[illegible] diuina efformatá. Et cum vultu, [illegible]ulisq; grauiſsimis, pariter & amabiliſsimis, tum ve[illegible] ſpectati s[illegible]us animi d[illegible]tibus condecoratam fuiſſe, omnes intelligant.

R[illegible]s enim Cæſar à ſacro pubis o[illegible] ne[illegible] expa[illegible] manibus, pe[illegible]q; vtrimq; obl[illegible] æq[illegible]m efficiebat.

E[illegible]b i[illegible]lo o[illegible]e [illegible]cro, ve ut[illegible] c[illegible]rculum, [illegible]erit a[illegible]qu[illegible], qua [illegible] extrema quadrang[illegible]uli circum[illegible]nte [illegible] erit comprehenſa.

[illegible]q, [illegible]a manibus, pedibuſq; obl[illegible]u[illegible]on re[illegible]e in modum Burgun[illegible] cr[illegible] expanſis ducta [illegible]cumf[illegible]e[illegible]ia circuli, ad quatuor extrema quadranguli, quadratu[illegible]m circuli optime Cæſar co[illegible]ciat tantopere a philoſophis veteribus expetitam.

Nomen.

NOMEN eius Carolus Auſtria: & [illegible]on[illegible], Carolus Alb[illegible] & ſi [illegible]s longius, Carol[illegible]us d[illegible]tu[illegible] enim ex Ar[illegible] Auſtriæ p[illegible]mu[illegible] ex Comitibus A[illegible]nſibus: terti[illegible] ex Re[illegible] Francorum [illegible] p[illegible], nomen [illegible], ſuum d[illegible] pa[illegible] fa[illegible] deſ[illegible].

Septem Reges ex [illegible] nu[illegible]bat[illegible] munđ[illegible] ex Roma[illegible] expu[illegible] Clo[illegible] Re[illegible] ve[illegible]. Merouæus Rex [illegible]nes a[illegible] Aurelia [illegible]. Cloui[illegible] Rex x[illegible]. [illegible] R[illegible] annu[illegible] contra Germanos p[illegible]s, pe[illegible] baptiſmi à d[illegible] Remigio Epiſcopo Rhemenſi, [illegible]us oleo c[illegible]tus accepto [illegible] æ [illegible] de Pariſijs vouit, [illegible] ſepul[illegible] anno Domini, Qui[illegible]e [illegible]o de[illegible]o. H[illegible] Chr[illegible], cœp[illegible] anno Q[illegible]mo d[illegible].

[illegible]ore numerando, [illegible]one[illegible], & initiũ Re[illegible] quinti vera, & co[illegible]a eſt chilias annorum.

Id quod apprimè obſeruandum eſt, neq; enim diutius Francia fuit Chriſtiana.

Succedente [illegible] berorum multitu[illegible] ne diſtracta fuerũt Regna, ſuccreuit [illegible] cui p[illegible]uit [illegible] bertu[illegible].

Cui [illegible] us Au[illegible]&[illegible] Rex.

Cui [illegible] m ſucceſſit, pa[illegible] Auſtraſiæ Rex.

[illegible] debat R[illegible]: v[illegible] etis in M[illegible]diomat[illegible]bu[illegible] Coloniæ Agrippinæ.

Limites A[illegible]æ, [illegible] pibus Italiæ, per Burgundi[illegible] inter Rhenum & S[illegible], [illegible] Friſcum.

In eo[illegible]tem [illegible] re[illegible] de[illegible]antur Vltra[illegible]ectum, Colonia, Treueris, [illegible], [illegible] Cl[illegible], Hollandia, Zelandia, Hannonia, Haſb[illegible], [illegible], [illegible]um, Alſatia, Palatinatus Rhenen[illegible] Sylua Ar[illegible]n[illegible], [illegible] cum ea parte Campaniæ Gallicæ, vbi M[illegible].

A[illegible] pars [illegible], fuit appellata Regnum Franciæ orientalis.

Et [illegible] um cum reliquis Belgicæ, Regnum Franciæ occidentale.

Idq; c[illegible] ex [illegible] e m[illegible] aſte[illegible] m[illegible] c factis [illegible] quæ [illegible] nt mentio[illegible] berti Regis Franco[illegible] R[illegible] Auſtraſia, non in Ce[illegible].

Et qu[illegible] du. Ne[illegible] fuit, t[illegible] V[illegible], in Germani[illegible] t [illegible] r [illegible] ue [illegible] ipſi Oo[illegible]enn[illegible] V[illegible].

Poſtea hæc famili[illegible] in Germaniá ad ſuas D[illegible] Co-mites H[illegible], [illegible] poſteà etiam Du[illegible] & Arch[illegible] Auſtraſiæ Germanicæ, & Romanorum Reges, & Imperatores, [illegible] familiæ ſtirpe, in vet[illegible] & po[illegible]. Vt res [illegible] ad pri[illegible] naturam.

Parentes.

PATREM habuit Philippum Auſtriam, Regem Caſtellæ, & Legionis, [illegible] in Fla[illegible] vxor fuit Iohanna filia Ferdinandi, & Eliſabetæ Catholicorum Regum Caſtellæ, & Arragoniæ.

Philippus habuit patrem Maxæmilianum Cæſarem: Matrem Mariam, Caroli Burgundiæ Ducis filiam, hæredemq; ex nobili, & antiqua Valeſiorum Franciæ Regum ſtirpe longa rurſus ſerie [illegible]tam.

Maxæmiliani pater erat Fridericus tertius, aut vt alij [illegible] vocant quartus eius nominis Romanorum Imperator, omneſq; [illegible] Auſtriæ Archiduces.

Friderici Pater erat Erneſtus, Erneſti Leopoldus, Leopoldi Albertus, omnes pariter Auſtriæ Duces, aut Archiduces, [illegible] quid[illegible] patrem habuit, Albertum Romanorum Regem, hic rurſus Albertus ſuum patrem itidem Romanorum Regem Rudolphum cognominatum.

Longa eſt proſapia quadripartita C[illegible] [illegible] Imperatores, Reges, Reginæ[illegible], in ea comp[illegible]

Vt [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], quod diuina ſic ordinante prouid[illegible], Monarch[illegible] [illegible] Regnorum ad Carolum [illegible] [illegible] [illegible]o, & em[illegible] [illegible] [illegible]is potuerit deuenire [illegible] perſona eius, at[illegible] [illegible] Deo acceptius, gratuſq; fuiſſet.

Ingenium.

INGENIVM in Cæſare hum[illegible], [illegible]e, cand[illegible]m erat, diſciplinarum capeſſend[illegible] auidum, [illegible], & pietatis maxime ſtudioſum, clemens, honeſtum, [illegible], [illegible]x, fortis, [illegible] [illegible] amicitiæ [illegible], [illegible] non [illegible] [illegible], [illegible] amabile, dulce, [illegible], ſupplex, prudens, [illegible]s, p[illegible], tardum [illegible]bun[illegible], non temerarium, [illegible] præceps [illegible] effrene, m[illegible] [illegible] [illegible], æ[illegible]m, iuſtum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] lætitia, ut [illegible] [illegible] ſemper [illegible] [illegible]lum, v[illegible] [illegible] & nunqu[illegible] [illegible]mor.

Educatio.

M[illegible] [illegible] ad N[illegible] [illegible] Carolus à p[illegible] educ[illegible] [illegible] [illegible] Maxæmilianus Cæſar [illegible] [illegible] [illegible] Vir grauis, primam [illegible] gubern[illegible]

Po[illegible] [illegible] [illegible] commendauit

uit puerum cuſtodiæ & gubernationi Gulielmi à Croia Marchionis Ariſcotiæ, qui communi nomine Dynaſta Ciuriæ vocabatur. Atq; erat patruus Philippi Ducis Ariſcotiæ, & eius fratrum, Cameracenſis, & Tornacenſis Diœceſis Epiſcoporum.

Carolus à Croia Symay Princeps, & ipſe hanc primam pueri ætatem adminiſtrabat, ſicut & Marchio Bergenſis. Sed & ille, & hic ab ea deſtiterunt. Rex Angliæ tanquàm auunculus libenter Comitem Burenum Florentium ab Egmonda puero gubernatorem dediſſet. Et Auus Rex Catholicus Ioannē de Fourtio, qui poſteà fuit Vicerex Arragoniæ. Sed præualuit Imperatoris Maxæmiliani, & Margaretæ filiæ eius, & ipſius Caroli iuueneſcentis iudicium, qui vno ore Ciurium Dynaſtam exoptârunt, deſignâruntq;.

Hic Dynaſta Ciuriæ cōmendauit Margaretæ Antonium à Lalænio, Dynaſtam Montiniaci, qui vocatus eſt Comes Hocſtratij.

Fuerat autem hic Antonius educatus, apud Carolum à Croia Principem Symay, & erat valdè gratus Margaretæ Cæſaris huius Amitæ, totius Belgicæ, & pueri Caroli Gubernatrici. Magna fuit authoritas, & prudentia in his duobus veſtris collegis Gulielmo, & Antonio illuſtres Equites: & quidem tanta, vt vniuerſā rerum gerendarum moles in eorum humeros per id tempus incubuerit.

Ciuriæ Dynaſta animaduertēs placidum, & tranquillum Caroli Cæſaris ingenium, non contenſioſum, non rixoſum, non inquietum, pacis, & ipſe quoq; ſe ſtudioſum oſtendit, eamq; vtilem Prouincijs Cæſaris planè affirmabat.

Itaq; vtens amicitia Boyſiaci Dynaſtæ Regi Galliæ Ludouico xij. chariſsimi, pacis conſilia perfacilè à Rege vicino, & Italicas res vehementer appetente, illiſq; tranſalpinis curis diſtento impetrauit.

Maxæmilianus Cæſar (qui huius Caroli tutor erat) mortuo Philippo Rege eius patre, ſummè cupiebat, vt puer optimis cum literis, tum moribus imbueretur, eaq; in re, & Ciuriæ, & Montiniaci, & ipſius Margaretæ Amitæ Caroli, voluntates ſuperabat.

Studia.

ADRIANVM itaq; Florentium Vltraiectinum, virum grauem, ſummumq; Theologum Carolo præceptorem dedit Maxæmilianus Cæſar: eiq; mandauit, vt nullum illi tempus perire ſineret, omnis honeſtioris doctrinæ addiſcendæ.

Adrianus habens ingeniū iuuenis benè perſpectum, totum ſe ad eum

eum,quàm optimis moribus,elegantijſq; cùm viuendi,tùm loquendi erudiendum conuertit.

Carolus Præceptoris voluntatem anteuertens,nullo aut tempore,aut loco,ſibi deeſſe,multa ſcribere,plura legere, quotidiè aliquid recitare,aut diſputare,nonnunquàm perſonam legati, nonnunquá fæcialis,nonnunquàm accuſatoris,nonnunquàm defenſoris, nonnunquàm Iudicis,nonnunquàm Principis, nonnunquàm Imperatoris,aſſumere,ac oratione Romana quæcunq; ad cauſam faciebāt, luculenter diſſerere.

Ciuriæ Dynaſta,qui continenter aderat,adoleſcenti, paulatim in firmiorem ætatem Carolo,iuuentutis,& ipſe paulatim eius ſummā curam in ſe ſolus recipiebat inſtituendæ.

Itàq; luctari eum,arcu iaculari,pila ludere,equitare,ſaltare, armari,venari permittebat.

Carolus vtrumq; ſtudium,& armorum, & pacis,amplectebatur, & quantùm ab ea ætate præſtari poterat,aut expectari, facillimè conſequebatur.

In omni autem ſtudio,& certamine laudis,& gloriæ, commilitones,& æquales ſuos multùm ſuperabat,ac ne illis victoriæ ſuę palma mœrorem adferret, quod habuerat brauium, cùm illis communicabat.

Multa oſtendebātur adoleſcenti quotidiè periſtromata,& aulæa, vbi prælia,& victoriæ Iulij,Auguſti,Caroli Magni, Iaſonis, Gedeonis,veterum heroum,deinde Philippi, & Caroli Burgundiæ Ducū depingebantur:quarum rerum omnium grata delectatione fruebatur:relíq; maiorum ſuorum,magis,magiſq; perquirere, & inueſtigare cœpit.

Naſſauus autem Comes eum ſeptimum eſſe Burgundię Dynaſtam,ex Ioannis Valeſij Franciæ Regis ſtirpe ſatum aiebat: qui omnes Dynaſtę Flandriæ imperitārunt. Primum enim fuiſſe Philippū Audacem, ſecundum Ioannem Bonum, tertium Philippum Bonum,quartum Carolum Audacem,quintum Maxæmilianum Cæſarem,ſextum Philippū Regē,ſeptimum eſſe nunc ipſum Carolum.

Henricus Naſſauij Comes, Princeps, ob ſummam dignitatem, exiſtimationemq; ipſi Carolo venerandus,cœpit res Maiorū,maximèq; Auorum eius, ei denarrare: quomodo Maxæmilianus, cum Gallis,Helvetijs,Venetis,Turcis,multa prælia ſecunda fecerat.

Qui rurſus Ferdinandus Catholicus Rex, Auus eius maternus, cùm Regina vxore granatam in Betica Hiſpania multis annis obſediſſet.

diſſet. Ac deniq; ciuitate capta Mauros, multis victoriarum proſperitatibus inclitus, tota Hiſpania expuliſſet, eieciſſetq;.

Quomodò rurſus Neapolitanum Regnū, deincepſq; Cantabricum, ſiue Nauarræ Regnum, ſuis Prouincijs accumulaſſet, ac perueteri, notoq; iure vtrumq; ſibi fœliciter aſſeruiſſet.

Quorum ipſe Carolus omnium Regnorum Hæres eſſe deberet, iure diuino, ciuili, & patrio, quod in moribus poſitum eſt.

Nomenq; Imperatorium eius auribus non rarò inſtillabat, tanquàm Maxæmilianus Cæſar iam ętate grauis, in eum imperiale diadema eſſet tranſlaturus, ſi vera virtutis via ad honeſtum decus, laudemq; benè, & ſapienter regendæ Reipublicę graderetur.

His, alijſq; auditionibus, literarum ſtudia refrigeſcebant, eò magis, quòd Adrianus Præceptor virum Principem, magis bonos mores, quàm bonos colores compleĉti debere aiebat, eiq; ſua ſponte currenti calcar ſemper adderet de ſtudijs amplectendis pietatis.

Queis rebus fiebat, vt abeunte Adriano in legationem Hiſpanicam Carolus totum ſe ad Rempublicam conferret.

Iuuentus, & Emancipatio.

Carolvs anno ſæculi, & ætatis ſuæ decimo quinto (cùm eſſet finita legibus Romanis rutela, à Cęſare Maxæmiliano, & Amita ſua Margareta tutoribus ſuis emācipatus, ac ſui iuris factus) Bruxellę in atrio palatij, Principum more, ſacramentū ſuum præſtans, pariter à Prouincijs id accepit, ac poſteà per omnes ſuas Belgicæ Prouincias deductus eſt.

Summa cum Belgarum gratulatione, vbiq; ab omnibus ordinibus omnis generis, ſexus, ætatis hominibus exceptus, receptus, inauguratus eſt, Dux, Princepſq; Belgicæ quatenus illa ei parebat Galliæ.

Quanta fuerit omniū Principum, & ciuitatum alacritas, prętermitto dicere: res enim ea eſt peruulgata, & ſæpius Carolo exhibita.

Nemini equidem mortaliū maiores, nemini plures, nemini ſæpius eiuſmodi triumphos æditos ab orbe condito fuiſſe arbitror. Quæ & ipſa raritas, impendiorūq; immenſitas, & infinitas oſtendit, diuinos illi viuenti planè honores, tanquàm heroi diuinitus è cœlo ad regendam, conſtituendam, amplificandam Rempublicam miſſo, à populis exhibitos. Quod & Octauio Auguſto, & Carolo Magno contigiſſe legimus.

Affini-

Affinitates.

CAROLVS exiſtimans nihil æquè orbi Chriſtiano conducere, quàm pacem, paci nihil conuenientius, quàm affinitates, affinitatibus amorem, beneuolentiamq́; mutuam valdè eſſe conſentaneã, omnia ſua ſtudia ad eas res conſequendas comparauit.

Id enim optimè intelligebat, quarum ſtabilitatum amore flagraret, quibus medijs, eæ ſtabilitates acquirantur, in ijs eſſe elaborandum.

Primò igitur totum ſe amicitiæ Regis Gallorũ dedidit, qui tùm temporis nouus Rex erat Franciſcus, eius nominis primus vocatus.

Hinc ſe ad Angliç, Luſitaniæ, Hungariæ, Daniæ, Poloniæ Regum, amicitias, & fçdera ineunda compoſuit.

Emanueli Luſitaniæ Regi, Eleonorem Chriſtierno Daniæ, Noruvegiæ, Svvetiæ, Gottorum, Vandalorũmq́; Regi Iſabelam, Ludouico Pannonię, Bohemięq́; Regi Mariam, ſorores ſuas in matrimonio collocauit. Ferdinãdum Fratrem Annæ Ludouici, Pannoniæ Regis ſorori, Catharinam Ioanni Emanuelis Regis Luſitaniæ filio, ſe Renatæ Ludouici xij. Francorum Regis filiæ, aut ipſius Franciſci Regis (qui Ludouici gener erat) filiæ ſpopondit. Henricus Angliæ, Hiberniæq́; Rex, eius nominis octauus, iàm anteà Materteram eius vxorem habebat, Catharinam Ferdinandi Hiſpaniæ Regis filiam.

His itaq́; ſeptem deſponſis affinitatibus Rempublicam chriſtianam longa pace gauiſuram, ac diuturno otio fruituram ſperabat.

Sed quia bellum cum Venetis gereret Auus Maxæmilianus Cæſar, id ipſum quoq́; inito fœdere reſtinxit, ac Veronam, aliaq́; Venetorum oppida, reſtitui illis per Auum curauit.

Profectionum initium.

TRANQVILLATO orbe Carolus ad profectiones ſe accinxit, ac primò quidem in Britanniam ad Henricum Regem, & Catharinam vxorem eius, Materteram ſuam profectus eſt.

Illincin Hiſpaniã hoſpitalitatis Britannicæ gaudio perfuſus enauigauit, anno ætatis ſuæ xvij.

Hiſpaniam perambulãs Matrem, cæteroſq́; Proceres, qua decuit humanitate, pietateq́; tractauit.

Habebat Carolus penès ſe Gulielmum Ciuriæ Dynaſtam, & Hẽricum Naſſauij Comitem, compluresq́; alios, inauguratus paſsim

nouis

nouis Hiſpaniæ Regnis,& Dynaſtijs Carolus, eccè ad eum affertur de morte Aui Maxæmiliani Cæſaris, qui Velſij in Auſtriaca Dynaſtia,12.Ianuarij anno ſæculi huius 18.calculo noſtræ,Gallicæq; Curiæ expiràſſet.

Ciurius,Naſſauiuſq; exiſtimantes ad ſtabilimentum rerum Caroli pertinere,vt Cæſar deſignaretur, non prætermiſerunt occaſionem voluntatis ſuæ amicis ſignificandæ.

Franciſcus Franciæ Rex ad eandem dignitatis petitioné ferebatur.

Carolus veritus ne ex his rebus contentiones inter eum Franciſcumq; naſcerentur,peramanter illi ſenſa mentis ſuæ declarauit.

Ac Franciſcus quidem reſpondit nihilòmagis ſibi id diſpliciturũ, quã ſi virginem vnam ambo deperirent:proinde pergeret bonis auibus,Deum fœliciorem adiuturum.

Poſt hoc tempus Carolus ſeptem virorum omnium ſuffragijs,deſignatur,ſeptimo poſtquàm Imperium morte Maxæmiliani vacâſſet menſe, ad forum Francorum in Germania Imperator, hoc eſt menſis Iulij die decima nona,menſiſq; ſeptimi die ſeptima.

Hæc res Carolo Cæſari deſignato, in Hiſpanijs per Fridericum Comitem Palatinum,Bauariæq; Ducem nunciata,magnam celeritatem Cæſari attulit ab Hiſpanijs diſcedendi.

Relicto itaq; Hadriano Cardinale Dertuſenſi Epiſcopo, vetere Præceptore ſuo pro Hiſpaniæ Præſide,ſummaq; illi poteſtate demãdata,per Oceanum redijt in Belgicam,ac ad Grauelingas Henricum Britanniæ Regem Auunculum ſuum officioſiſsimè conſalutauit.

Illinc Aquiſgranum cum Margareta Amita conceſsit, vbi in æde Caroli Magni coronatus fuit Rex Romanorum:corona,& ornamẽtis eiuſdem Caroli Magni à Principibus,ciuitatibuſq; ei oblatis.

Principes electores Germaniæ ſolenne ſacramentum à Carolo depopoſcerunt,vt tactis ſacroſanctis euangeliorum libris,& ſumpta ſacra ſynaxi iuraret ad aram Dei,ſe Eccleſiarum tutorem,& defenſorem fore,Romano quoq; Pontifici debitum honorem, & obſequium exhibere velle:nec per ſe ſtaturum,quo minus Eccleſiæ catholicæ integra authoritas,illibataq; maneret.

Poſt quod ſacramentum ſemel,atq; iterum à Cæſare præſtitum, vnctus eſt in Regem de oleo ſanctificato,in nomine patris & filij, & ſpiritus ſancti:& id ipſum ſumpta rurſus Euchariſtia, iuſiurandum confirmauit.

Ad hoc ipſum tempus,conſtans inter Carolum, & Franciſcum Regem,fuit amicitia.

Acta conuentus VVormatienſis.

HINC Cæſar deſignatus VVormatiæ cõuentus Germaniæ indixit, quò in loco paci publicæ per edictum conſuluit.

Lutherum quoq; res nouas in religione molientem, ad colloquium fide publica euocatũ audiuit: ac illum ex Senatuſconſulto procerum Germanicorum, ac de conſilio Pontificis Romani Leonis decimi, condemnauit, libroſq; eius palàm exuri per ſententiã mandauit, anno æui huius xxi.

Variabant ſententiæ quorundam Principũ, qui Lutherũ comprehendendum putabant, tanquàm ſi hoſti, & deſertori religionis non eſſet ſeruanda fides, ſed Cæſar vetuit, illumq; in Saxoniam vndè venerat, remiſit. Interrogatus Cæſar cur id faceret, reſpondit fidem rerum promiſſarum, etſi toto mundo exularet, tamen apud ſeſe conſiſtere oportere, nec vllius rei ergò labefactandam, aut mutandam.

Bellorum origines.

IN conuentu VVormatienſi diſertè, grauiterq; de continuandis fœderibus, cum Francorum Regis legatis, per Cæſarem actum eſt, ſed non ſuccedente negocio ex ſententia Gulielmi à Croia, Marchionis Ariſcotiæ, & Ciuriæ Dynaſtæ, cùm ipſe, tùm ex fratre nepos Gulielmus à Croia, Archiepiſcopus Toletanus, & Cardinalis, ex dolore animi (quem Reipublicæ, & ſalutis communis cauſa capiebant) obierunt. Eumq; caſum Cæſar pro eo, ac vtrumq; diligebat, grauiter admodum, & acerbè tulit.

Poſtquàm Lutherus ex comitijs incolumis abijt, bellum in Belgica, in Hiſpania, in Italia crudeliſsimum exarſit, Gallis eius rei culpã aliter, atq; aliter interpretantibus.

Cæſar horũ motuum origines à ſe depellens, & tùm & ſæpè aliàs vniuerſæ Reipublicæ chriſtianæ conteſtatum voluit, pacis & quietis publicæ animum ſuum ſemper fuiſſe cupientiſsimum, & quoniam inuitus, & planè coactus ad capeſſenda arma deſcenderet, Deum iudicem ſuæ cauſæ æquum fore ſperare: bellorumq;, & ſeditionum chriſtianarum authores Deo vlciſcendos relinquere: vnum dolere, quòd ciuium ſuorum commoditatibus tempore belli nõ peræquè, ac tempore pacis conſulere poſſet: & quòd hac ratione Turcarum tyrãno via planæ ſterneretur limites chriſtianorum, cũ vellet euaſtandi: res quæ ſibi maximè ex omnibus rebus mortalibus diſpliceret.

Bel-

Bellum igitur hoc,gliſcente,longiuſq; incendij inſtar inuenta materia,ſerpente odio,vbiq; Deo prouidente,ſic terminatum eſt.

Bellum Hiſpanienſe primum.

PER ſpeciem excitati in Hiſpania à quibuſdam ciuitatibus tumultus,illuſtris vir Ioannes à Padilla Toletanus,& Ioannes Bracius Salamanticus ſeditioſorum ſe Duces conſtituêre.Aduerſus eos Cæſar duos illuſtres viros miſit,Innigum à Velaſco Ducem Friaſiorũ, primum Cubiculariũ,& Coneſtabilem caſtellæ,ac Fridericum Henriques Ducẽ Medinæ,à riuo ſicco,maris Præfectũ in Regno caſtellæ,& Granatenſi. Hi tàm proſperè cũ aduerſarijs ad villam Alariam haud procul à Riuo ſicco dimicârũt,vt omnia ſigna militaria hoſtium, in Cæſaris caſtra ſint relata:belli Duces in carcerem ducti ſint:ac Hiſpania ſine multo ſanguine tranquillata ſit.

Bellum Hiſpanienſe ſecundum.

VIX hoc bellũ abſolutũ erat,ecce Aſparotus,& Turnonius duo aſperrimi Gallici Duces,copias in Cantabriã ducũt,Põpeiopolim, multaſq; Cantabrici Regni ciuitates,& vrbes permagno timore afficiunt: exercitũq; ad Logroniũ in ripa Iberi fluminis ſiſtũt:ſed ijdem belli Duces à Cæſare iàm anteà deſignati, vix dimiſſo ,rurſuſq; coacto exercitu,in hoſtes ducunt.Tantiſq; animorum,& virium conatibus vtrimq; pugnatũ eſt,vt & hi duo Gallici Duces in poteſtatem Cæſarianorum venerint.Et ſigna militaria omnia in Cæſaris caſtra deportata ſint.Et Caſtellani, Cantabriciq; Regni ciuitates præſenti, & iàm aduentante nouarum hoſtilium ab Alebreto ductarum copiarum metu ſint liberatæ,totaq; Hiſpania rurſus pacata ſit.

Bellum Belgicum primum.

COMES Robertus à Marca, Arenbergaq; bellũ contra Emmeriacũ Dynaſtã,& ipſe in Belgica gerere cępit.Ille Gallicis copijs adiutus, hic Cęſaris:Henricus Comes Naſſauij in tempore bellũ Marchiano intulit.Itaq; Bullionem,Eſdanium,multaq; illi alia oppida ademit, Ac ipſe quoq; Marchianus à Cæſarianis captus eſt,quem Belgici belli authorẽ fuiſſe publicè cognitum erat:hinc ad Maſeriã Naſſauus ſę dit.Sed cũ & vrbs ipſa à Bayardo ſtrennua facie, & audacia prædito

D ij Duce,

Duce,& ab cõſpicuis laudibus inſigni,Anna Mommorenciaco fortiter defenderetur,& Franciſcus Rex cum omnibus legionibus appropinquaret,copias ad Valentiam Belgicam reduxit:ibiq; ſe ſiſtẽs, impedimentum magnum Franciſco Regi attulit, nẽ Tornacũ Neruiorum ciuitas,á Gaueriorum Comite & Fieneſio Dynaſta obſeſſa, obſidione per eum liberarẽtur.

Itaq; Tornacum,Fanum Amandi, & Mortania, cum toto Neruiorum agro,in Cæſaris poteſtatem obſidionibus venẽre.

Bellum Italicum primum.

INTEREA dum bellum in Hiſpania,Belgicaq; vigebat, non ceſſabatur in Itália.Veneti enim cũ Ferrarienſium Duce Gallicas partes fouebant. Sed Theodorus Triuultius copiarum Venetarum Dux in expugnatione Mediolani,per Cæſarianos vi facta,captus fuit.

Qua re cognita Gubernator Inſubrum Lautrecus,cum Leſcutio fratre in arcem ſe recepit. Illinc leucum profugit. Cæſariani vrbe Mediolanenſi potiti Cremonam attentârunt. Hinc Papiam, Comum,Alexandriam,Parmam,Placentiam,partim vi, partim aſtu militari,cęperunt:cæſis paſsim Gallicis,Italiciſq; hoſtibus, tàm Ducibus,quàm militibus.

His rebus Romam nunciatis, Leo Pontifex, qui Cæſaris partibus fauebat,ſubitò ex lætitia in morbum incidit(vt aiunt) ac mortuus eſt.Cardinalium cœtus Hadrianum Florentium Cæſaris olim præceptorem,ac tunc Cardinalem:abſentem,ac in Hiſpania agentem:cunctorum ſuffragijs,ſine vllo aut Cæſaris, aut ipſius ambitu Pontificem Maximum deſignauit.

His tantis proſperitatibus vndiquaq; ad Cæſaris voluntatẽ cunctis confluentibus:quies Italiæ parta: ac Franciſcus Sfortia in Inſubriam per Cæſarem reſtituendus ferebatur.

Bellum Hiſpanienſe tertium.

GALLVS cum Fontemrapidum in Hiſpaniæ faucibus, ad Oceanũ Cãtabricum dolo militari occupaſſet,occaſionem dedit Cæſari oppidum,portumq; obſidendi. Hanc curã Comite Naſſauio Belga,ac Duce Alburcercio Hiſpano in ſe recipiente, poſt varia terrã, mariq; prælia ſecunda à Cæſarianis commiſſa,grauiſsimaſq; clades, Gallicis claſsibus importatas,oppidum in Cæſaris poteſtatẽ redijt.

Ac

Ac ſic tertiò Hiſpania per Cæſarem ótio ſuo fuit reſtituta.

Bellum Italicum ſecundum.

GALLVS magnum Sabaudię Nothum nomine Renatum, magnũ curiæ ſuæ Magiſtrum, rurſus alpes, anno altero, tranſcendere iuſſit. Hic exercitum Lautreco Inſubriæ Gubernatori tradens, prælio ad Bicocam per illum commiſſo interfuit. Quod Cæſariani, cum magna Venetorum, Heluetiorum, & Gallorum ſtrage acerrimè, atq; proſperrimè Duce proſpero Columna, & Marchione Peſcara in Inſubria decertârunt. Poſt cuius prælij cladem, Cæſariani Cremonam, Nouariam, Comum, Genuam, Sauonam, aliaque perquàm multa Inſubriæ, & Liguriæ oppida vi partim, partim deditione nacti ſunt, Gallicis, Italiciſq; Ducibus rurſus & copijs, paſsim vel conciſis, vel deditis. Sed Genua Liguriæ caput, diuerberatis à Marchione Peſcara muris vrbicis, poſt magnam cladem ciuibus illatam, vi militari, à Cæſarianis oppreſſa eſt. Ac Octauius Fregoſus, Comeſque Petrus Nauarrus Gallici Ductores vt acerrimi, ſic in hominum fama celeberrimi, illîc capti ſunt.

Leſcutius, Lautrecij frater, intrà diem Quadrageſimum, Cremonam ex conuentione dedidit.

Bellum Italicum tertium.

GALLVS tertiò Italiam adoriri cupiens, miſit eò Gulielmum Gonſierium Bonniueti Dynaſtam Gallici Maris Præfectum, cũ magna equitum, peditumq; manu: ſed & hic rebus infectis, amiſſo Gallorum fortiſsimo Bayardo, & cum Chabanæo compluribus equitum Tribunis, globo ictus in Galliam redijt. Omnibus oppidis, arcibuſq; Inſubriæ iam Cæſari deditis, aut poſt valli conquaſſatioñe, diſruptionemq; vi captis. Iam anteà Sfortia per Cæſarẽ Mediolanenſibus redditus, in patriamq;, & imperio reſtitutus erat.

Bellum Italicum quartum.

FRANCISCVS Galliæ Rex potentia Regni ſui excitatus, ne tantum dedecus amiſſarum tot cùm Tribunis, & Centurionibus legionum in Italia lentè ferre videretur, ipſe cum omni ferè nobilitate Gallica eò tendere ſtatuit: ſed quia Carolum Ducem Borboniorum

ru:n, certis de cauſis in partes Cæſaris tranſiſſe, & Maſsiliam per id tempus obſediſſe ſciebat. Illum ex itinere cum omnibus copijs delere volebat. Borbonius re cognita, ſecundum militarem diſciplinam in tempore receptui canens, exercitum nullis amiſsis ſaluum in Italiam reduxit. Gallus omnibus viribus alpes tranſcendens Inſubriam peſte miſerabiliter deformatam fuiſſe vidit, ac paſsim à ciuibus, & colonis ſuis deſertam.

Itaq; occupata Mediolanenſi vrbe quadripartitò Papiam circumſedit. Muros, pontes, vallum, vi machinarum ſæpè tranſverberans, ſæpè militari vi in vrbem perrumpere conatus, ſpe ſua ſemper fruſtratus fuit.

Tandem Carolus Borboniorum Dux, & Carolus Lanoius Mincouallij Dynaſta, Neapoliſq; Prorex, & Marchio Peſcara, Ferdinandus Daualus altiſsimi animi, & conſilij Princeps, militiæq; ſcientiſſimus (explorato prius ſeptem præſtantiorum Ducum in caſtris Cæſarianis conſilio) pugnam cum Rege conſeruerunt. In qua ipſe Rex Galliæ caſtris exutus, & cum Rege Nauarræ Henrico Alebreto captus, intrà Quadrageſimam horam, quàm id conſilij captum fuiſſet, fuit. Magnam equitum Torquatorum turbam Gallus eo prælio amiſit. Quadraginta viri illuſtres, totidem viri clariſsimi, totidem viri ſpectabiles, cæſi dicuntur. Totidem rurſus ex vnoquoque genere capti: ſeptem milia hoſtium in veſtigio militari occiſa, ter Quadraginta ſigna hoſtilia in Cæſaris caſtra comportata viſebantur.

Hæc commemorabilis ad Papiam pugna in diem xxiiij. Februarij, anni M. D. XXV. qui erat Cæſaris dies natalis, ac inter ſeptimam hebdomadam dierum, poſtquàm in Italia pedem Rex Galliæ poſuiſſet, incidit.

Poſt hanc victoriam tantus fœderatorum animis horror inceſsit, vt omnes clementiam victoris exercitus demiſsiſsimè implorarent.

Bellum Germanicum primum Quod Friſicum dicitur.

DVM IN ITALIA magna vi de Inſubriæ dominatu, manus ſic conſeruntur, Sicambrorum Dux, Carolus ab Egmonda Gallorum, & Friſiorum opera vtens, bellum Cæſari in Belgica ſæpè commouebat. Sed & Gallus Heſdinium Cæſari adimens

in

in Artæſia, & ea quoq; ex parte bellum renouabat: ſed ea omnia bella ſic victorijs, magnitudineq; rerum geſtarum Caroli conſopita fuêre, duobus Collegis veſtris, Dynaſta VVaſſenario, & Tautenburgio fortiſsimè, & ſupra humanam conſuetudinem, & naturam pugnantibus, & prælianribus: vt Friſia tota (in qua multa præclara ſunt oppida) in dominatum Cæſaris tranſierit: ac Heldinium pactione receptum ſit.

Bellum Neapolitanum primum.

ANTEQVAM Gallus ad papiam caperetur, miſerat ille quidem Steuardum, Albaniæ Ducem, Scotorum Regis auunculum, in Regnum Neapolitanũ, cũ valida phalange, vt Parthenopen, Carolo Lanoio militia Inſubrica occupato eriperet: vel copias illas ab Inſubria ad Parthenopen tuendã reuocaret. Sed & ille, etſi amplus, & formidoloſus eſſet exercitus, magnis detrimẽtis acceptis diſsipatus eſt.

Bellum Germanicum ſecundum, quod Ruſticorum vocatur.

SVB id tempus in Germania grauiſsimum exortum eſt bellum, quod vulgò bellum populare, ſeu ruſticorum vocabatur. Cæſar tumultus occaſiones ex immutata, per Lutherum religione enatas ſentiens, varias ad varios Principes de illo bello reſtinguendo literas dedit. Atq; ità ſeptem in locis, diuerſiſq; ſeptem certaminibus, intrà Quadraginta dies, bis ſeptuaginta milia hominum, hoc eſt centum, & Quadraginta milia Germanorum, à ſeptem, Cæſariano ſacramento aſtrictis copiarum Ducibus eo bello cæſa referebantur.

Magna certè clades, & quæ Cæſarem ad magnam cælorum commiſerationem, magnumq; luctum adduxerit.

Pax Madricia.

APVD MANTVAM Carpetanorum in Hiſpania, ad duodecimũ à Toleto Lapidem Rex Galliæ Franciſcus ſeruabatur, eo ex Italia Triremibus tranſuectus.

Cum diuturnioris carceris impatiens, Rex æger eſſet, Cæſareum ægrotantem inuiſebat, & familiaritate, dulcedineque colloquij

ſui Regem iam iam moribundum, non ſolum confirmauit, ſed etiam ad breuis libertatis ſpem certam erexit. Hanc colloquij ſui ſuauitatem poſteà rebus comprobauit, ac Regi Fràciſco vxore Claudia iàm viduato, data Eleonore ſorore ſua, Emanuelis Luſitani Regis vidua, firmam cum eo, certis legibus latis, acceptiſq;, pacem corroborauit: ſeptem diebus cum Rege amiciſsimè conſumptis, ipſum Galliæ Regem, iam ad ſuos in Galliam redeuntem honoris cauſa deduxit, conceſſo illi etiam inter equitandum latere dextro. Henricus filius, qui nunc Regnum Galliæ gubernat, tùm ſeptem natus annos (vt ferebàt) cùm fratre ſeniore Franciſco Galliæ Delfino Obſides, in Hiſpania à patre relicti ſunt. Hos Cæſar, & Regina Eleonor humaniſsimè, amabiliſsimeq;, per Quadraginta Lunas, quandiu in Hiſpania fuerunt, fouendos, alendoſq; curârunt.

Bellum Italicum quintum.

QVANQVAM Rex Galliç captus eſſet, nõ intermittebàt bellica Galli in Italia conſilia, eiſq; quàplurimi Principes fauebant, calamitate, & lamentabilibus matris Regiæ literis, commoti: itaque fœdera clanculum contra Cæſarem inibant, de quibus Cæſar Galliæ Regẽ in Hiſpania, tùm adhuc agentem commonefecerat, narrans illi quæ ad ipſum ex Italia perferrerentur.

Sed rex Galliæ iureiurando more Regio præſtito perſanctè iurabat, ſe ad vnguem pacta omnia ſeruaturum. Exiſtimandus erat tàm potens, & magnanimus Rex, fœderibus pro ſua libertate, & incolumitate ab ſe ictis ſtaturus: ſed magnam fidei Ruptæ culpam in Italicos quoſdàm Principes, Galli ipſi deriuârunt: nec id ipſum à veritate erat alienum, ac inter cæteros, Pontificem Romanum Clementẽ ſeptimum, eius inuidia facti perſtringebant. Cæſariani Duces, videntes fœderatorum hoſtium triplicem exercitum cuneatim contra ſe venire, fortiter reſtiterũt, & tranſlato in latium bello, vt fœderis rupti authorem ad æquitatem reducerent, Romã orbis caput obſederunt, & violentiſsima facta impreſsione, intrà ſeptimam horam, ſtatim expugnârunt. Carolus Borboniorum Dux totius Cæſariani exercitus Imperator, quem omnes cohortes in oculis ferebàt, in ea oppugnatione ſpherula traiectus interijt. Poſt captam, compilatamq;, per ſeptem dies integros latiſsimam; vaſtiſsimamq; vrbem Romam: reliqua erat moles diui Adriani, quam caſtrum Angelicũ vocant, in quam Pontifex Clemens, cum magna Cardinalium, &

Epiſco-

Epiſcoporum copia profugerat, hanc circumſedit Auraogiæ Princeps Philibertus, vices Cæſaris in exercitu gerens, & ad deditionem compulit. Pontifex Romanus Clemens ſeptimus, ex vetuſta medicũ Florentina familia natus, ipſe quoq; ſe dedidit, & quatuordecim Cardinales, omneſq; Epiſcopi, pactuſq; redemptionis, Pontifex precium honeſtum promiſit contra Maieſtatem Cæſaream nil amplius ſe moliturum. Res cùm primum ad Cæſaris aures per interualla per ueniſſet, cùm de Rege Galliæ, & Rege Nauarræ (quem Cæſariani Alebretum Regem vocabant) ad Papiam, tùm de vrbe Roma, & Pontifice (biennio poſt pugnam Papienſem) in Latio ſuperato, captoq; nullum ſignum lætitiæ, nec publicè, nec priuatim dedit: ſed Deo ſupplicationes ſeptem dierum decreuit. Vt libertatem autem Pontifex ex militum manu conſequeretur Quadraginta dierum. Ac ipſe quidem cùm reſciuit, omnem adhibuit diligentiam, vt quàm honeſtiſsimis Pontifici conditionibus ab armis Romanis diſcederetur: cum enim hoc bellum Romanum ſe inſcio, & abſente non citius inceptum, quàm geſtum, & confectum audiſſet: Miſereſcebat eum Reginæ vrbium Romæ, miſereſcebat Pontificis Maximi, quem ex illa ſumma voluntate ſua non ſolum amabat, ſed ſemper etiã colebat. Miſereſcebat tot ampliſsimorum Cardinalium, & Epiſcoporum.

Itaq; bellum hoc calamitoſum, & exitiale reſtinguendum planè, & ſine mora mandabat, efferatorumq; militum animos pecunia placari.

Intereà tres illi exercitus hoſtiles, poſtquàm res Romanas, & bello, & fœdere ſopitas audiſſent, nulla re commemorabili geſta dilabebantur.

Bellum Italicum ſextum.

Rex Galliæ tanta, & ſuorum, & ſociorum exercituum contumelia irritatus, rurſus Lautrecum cum quàm maximis copijs in Italiam miſit. Hic in Inſubria, & Liguria quaſdam ciuitates initio cępit: ſed cum nimis modicis præſidijs illas firmaſſet, eas rurſus amiſit. Ac ipſe quidem Lautrecus cum totius Italiæ in perniciem Cæſaris coniuratæ, & fœderatæ agminibus rurſus in Latium contendit, relicto vrbini Duce in Inſubria, qui res Gallicas cum fœderatis curaret.

Ac illi quidem ibi tempus omnes triuerunt, ſuaſque copias, diuturnitate acris belli, & luis caſtrenſis, multum attriuerunt.

Bellum Neapolitanum ſecundum.

LAVTRECVS cum Pontificijs, Venetis, Genuenſibus, de bellicis conſilijs capiendis certus, rectà Parthenopen perrexit. Multas per ſuos Centuriones ciuitates, & arces in Neapolitano Regno à Cæſare auertit, & ad Gallicas, Venetaſq; partes traduxit. Mirum Cæſari videbatur, quòd Clemens libertatis recuperatæ immemor Gallicis tantoperè partibus faueret.

Erat in Lautreco peracre ingenium, & iudicium, ſumma morũ, & diſciplinæ militaris ſeueritas, incredibilis aſtutia, & rerum Italicarum ſciẽntia.

Sed finis huius belli, tàm maritimi, quàm terreſtris hic fuit, quòd Lautrecus diurnis, nocturniſq; prælijs à Cæſarianis moleſtiſsimè diuexatus, accedente lue ex longa caſtrorum in locis vliginoſis mora, ibi cum omni ſua Gallica, Italicaq; nobilitate mortuus ſit, atq; ità ſi vnquàm aliàs, maxima hoc bello Neapolitano Gallico Regi clades, & fœderatis importata ſit. Quatuor, & triginta peditũ, ſex equitum milia hac æſtate Gallus amiſiſſe ſe ad Neapolim conquerebatur.

Bellum Italicum ſeptimum.

REX Galliæ volens planè ad fœdus Italicum contra Cæſarem percuſſum adhæreſcere, nouas per Simpolianum Comitem trans alpes in Inſubriam, Liguriamq; miſit legiones. Sed & hoc bellum ità finem accepit, vt Genua per Andream Auriam recuperata, ad Cæſaris amicitiam redierit, & Comes Simpolius Regij ſanguinis iuuenis, Gallicarum copiarum Dux, commiſſa apud Landrianum, cum Antonio Læua pugna deletus, captuſq; ſit.

Pax Cameracenſis.

POSTQVAM Cæſar animaduertiſſet res Italicas nouis, veteribuſq; fœderibus illigatas, otium Chriſtianorum magis, atq; magis perturbare, ac tamen terrã Italiã nouis quotidiè hoſtilis ſanguinis profuſionibus redundantẽ, adhuc quieſcere non poſſe. Ipſe nactus iam anteà prolem maſculam, ex vxore Iſabela, Emanuelis Luſitaniæ Regis filia, ſtatuit planè in Italiam, cum quàm maximis terra, mariq; copijs venire. Quo rumore perculſi, cùm Galli, tùm fœderati, vnuſquiſq; pro ſe tacitè fœdus, cum Cæſare paciſci: ac primò quidem

Ponti-

Pontifex Clemens, poſt Veneti, poſt Franciſcus Sforcia ex veteri amico nouus hoſtis factus, demum ipſe Rex Galliæ Franciſcus, cuius pax Cameraci in Gallia Belgica, opera matris Regiæ, & Margaretæ Cæſaris amitæ, ſolemni more ſancita eſt. Ac Rex quidem Galliæ liberos ſuos in Hiſpania fidei iam antè à ſe Cæſari datæ relictos obſides recepit, eaq; res accidit, anno ætatis Cæſareę, & ſęculi noſtri xxix. Cōſopitis noua Gallica pace, extinctiſq; veteribus odijs Rex Galliæ Franciſcus Eleonorem Cęſaris ſororem in Galliam venientem ritu chriſtiano vxorem habens, eam Reginam Galliæ coronari iuſsit, ac Cæſari redemptionis pretium (quod Quadraginta centenis milibus aureorum Carolinorum, ſiue Florenorum Belgicorum conſtabat) perſoluit.

Coronatio Cæſaris ad Bononiam.

CÆSAR ad tranquillitatem reducto rurſus orbe Chriſtiano, Bononiæ à Pōtifice Maximo Clemente ſeptimo, die natali ſuo, hoc eſt xxiiij. Februarij, coronatur Imperiali diademate: multis illi ab omniū nationum, ac gentiū Principibus, laudibus, muneribus, honoribuſq; collatis. Septem fœciales ſeptem Regum Chriſtianorū Cæſarē præcedebant & Cæſar ſolus ſeptem habebat fœciales (quos heraldos vocant) qui eum pariter antecedebant.

Effuſiſsimum omnes Principes ſumptum his diebus fecēre, quibus coronatus eſt Cæſar, aureis paludamentis, aut chlamidibus, & argenteis induti. Prætoianus, quem alij pretioſum Ioannem appellant, Rex in Aſia laxiſsimè, potentiſsimeq; imperans, Chriſtianam fidem ſe amplexum, & amplecti Pontifici Clementi, & Carolo Cæſari hoc tempore indicauit.

Et Sophus Perſarum Rex totius Aſiæ longè potentiſsimus Caroli Cæſaris amicitiam ſe complecti ſignificauit, Chriſtianiſq; omnibus beneuolentiam ſuam, & ſuorum patere.

Die xxij menſis eiuſdem fuerat Carolus ibidem coronatus Rex Longobardorū: non ſine maxima quoq; ſolemnitate corona Longobardiæ capiti eius impoſita. Iuſiurandum quod Aquiſgrani præſtiterat: de Eccleſiæ Romanæ ritibus conſeruandis: hic quoq; à Carolo ſæpè renouatum: & ſumpta ſacra ſynaxi confirmatum corroboratumque eſt, atq; ita ter coronatus & ter vnctus fuit Cæſar Romanus.

Bellum

Bellum Hetruſcum primum.

Cvm Florentina Reſpublica medicum familiam, ipſumq́; Pontificem Romanum Clementem ſeptimum varijs iam anteà diu iniurijs, contumelijſq́; affeciſſet, vt Pontifex varijs argumentis, teſtimonijſq́; oſtendebat. Petijt Pontifex Clemens, vt ad illorum proteruiam coërcendam, Principem Aurengæ periluſtrem veſtri ordinis Equitem Cæſar mitteret. Cæſar qui Pontificis amicitiæ plurimũ ſemper deferri, & gratiæ, & honoris cupiebat, vt id fieret, permiſit, ac eius belli annalis exitus hic fuit, vt Hilpellum, Pratum, Piſtoia, Volaterræ, Piſa, Ligornum, Florentia, in poteſtatem Cæſaris bellica clade compulſæ venerint. Cæſar ciuitatis, & Reipublicæ iura in ſua habens poteſtate, dedit illis Alexandrum Medicem Principem. Et filiam ſuam Notham, quam antè matrimonium habuerat, illi in matrimonio collocauit.

Bellum Germanicum tertium, quod Vienneńſe dicitur.

Solymannvs Turcarum Dominus rer centũ ad Viennam Auſtriæ Metropolim obſidendam milia hominum iàm anteà adduxerat, ei per ſuas, fratriſq́; Ferdinandi Regis copias ſic reſiſti curauit Cæſar, vt cum magna ſuorum clade, anno æui noſtri xxix. Biſantium reuerterit.

Hoc bellum adminiſtrauit Ferdinandus Hungariæ, Bohemiæq́; Rex, veſtri Equeſtris ordinis decus immortale, præclaram operam ad id nauantibus duobus Collegis veſtris, Friderico, & Philippo Bauariæ Ducibus.

Bellum Germanicum quartum, quod Pannonicum vocatur.

Solymannvs tertio poſt anno ad Viennenſem obſidionem, Auſtriæq́;, & Germaniæ excidionem, cum duplò maioribus, quàm anteà copijs rediens, rem totam Germanicam de ſalute ſua, ſi Turcus vinceret periclitantem magno metu perculit. Sed Cæſar aduerſus eum, cum maximo exercitu ex Belgica, vbi tùm erat progrediẽs prima illic militiæ ſuæ arma induit. Quod chriſtiani Principes, in

chriſtianorum Principum Monarcha ſummoperè omnes cum annotàrunt, tùm laudàrunt. Reliqua enim bella omnia per Tribunos ſuos confecerat, Auguſti ſui ordinis velleris aurei Equites.

Id autem bellum ſic Cæſar confecit, vt Solymannum magna ſtrage edita, ab Auſtriæ, Germaniæq; finibus, quàm longiſsimè ſubmouerit. Ac ob id Germani illũ Conſeruatorẽ Germaniæ vocauerunt.

In hoc bello bis ſeptem illuſtres veſtri ordinis Equites ſe ſupra cæteros mortales omnes, gloria, & prædicatione extulerunt.

Bellum Græcum, quod Peloponneſiacum nuncupatur.

Ad hoc bellum Græcum, ſiue Peloponneſiacum, vt Turcis maiorem terrorem incuteret, cùm valida claſſe Andream Auriam, Melfis Principem, Cæſar eodem tempore miſit. Ac is quidem ad patras, Methonẽ, & Coronen, Cæſaris trophæa màgnis adeptis victorijs erexit: Coronenq; eiectis Turcis iuris Cęſarei efficiens, latiſsimè terrorem armorum Cæſaris per totam Græciam circuntulit. Ob hanc victoriam, Græci Cæſarem ſuum Liberatorem appellauęre, votaq; pro eius Imperio, & Monarchia publicè ad Chriſtum, & paſſim fecère.

Bellum Germanicum quintum, quod Vltraiectinum, Tranſiſulanumq; dicitur.

Feroci, & bellicoſo Sicambrorum Duci Carolo ab Egmonda, & Gallicis partibus ſupra modum fauentes Tranſiſulani, & Vltraiectini, per Tribunos Cæſaris varijs præliorum procellis obruti, tandem in eius iura, aſſentiente illorum Epiſcopo, & Pontifice Romano, omnes concedebant. Ac ſic illud inferioris Germaniæ, Belgicęq; latus, ad Rheni extrema oſtia, pertinens, in quo quàmplurimæ ſunt vrbes munitiſsimæ cicuratum eſt: quo anno Cæſar fuerat coronatus.

Bellum Germanicum ſextum, quod Monaſterienſe appellatur, ſiue Anabaptiſticum.

Poſt

Poſt id bellũ,vt nullus locus quieſcendi Cęſari concederetur,nec tẽpus.Eccè prœter ſpẽ eius(quod cũ ſummo dolore ſemper bella gereret cũ Chriſtianis)ſucceſsit bellũ Monaſterienſe in VVeſtualia; Germaniæ citerioris parte conflatum. Quod quidem Anabaptiſtarum furore Rex receptus, Sartor Leydanus excitauit. Sed ciuitas Cæſaris edicto,armiſq; circumſeſſa, & poſt longam, annalemq; obſeſsionem,vi tandem expugnata,veteri religioni eſt reſtituta.

Ipſe Rex furoris ſui pœnas vltimo ſupplicio cum ſuis luit.

Sub hoc tempus,Groninga, Drenta, Tvventa, in qua latiſsima, vaſtiſsimaq; ſunt terrarum latifundia,& arcium:in tutelam, iuriſdictionem,& amicitiam Cæſaris Caroli recepta ſunt, vt Friſij, Vltraiectiniq; anteà.

Bellum Carthaginenſe,quod Libycum,ſiue Thunetanum dicitur.

Monaſterienſe bellum excepit Carthaginenſe, ac Cæſar vt aduerſus Turcas, & chriſtianæ fidei hoſtes rurſus arma indueret, contracta ter centum,& quinquaginta nauium vndiquaq; claſſe, ex Hiſpanijs in Goletanum Africæ littus enauigauit,anno ſæculi,& ætatis ſuæ XXXV. Goletam arcem,portumq; poſt fauſtas quaſdam cum Barbaris dimicationes factas, vi illata cępit. Hinc Thunetum Regiam Libyæ,& Numidarum vrbem,totiuſq; illius Africani littoris Metropolim obſidere perrexit:Sed Ænobarbus(Barbaroſſa vulgò dictus)oſtentata prius pugnãdi ſumma alacritate,Cęſaris aduentantis aciebus profligatus,cum bis centum milibus peditum, ſedecim milibus equitum propulſus,profugit.

Itaq; Cæſar Muleaſſen Thunetanis Regem dedit: Regnumq; ipſum ſibi beneficiarium, & vectigale: Chriſtianis autem omnibus amicum fecit.

Ter ſeptem milia Chriſtianorum illic veteribus vinculis mancipatorum libertate donauit. Ob hanc victoriam à multis Italiæ, Siciliæq; ciuitatibus per eas tranſiens Cæſar,& ab ipſis Senatoribus, & ciuibus Romanis: tertius AFRICANVS publicè eſt appellatus. Ac ipſe quidem bellum illud Africanum,vicinis vndiquaque Regibus,

bus, aut metu, aut fœdere domitis, & eiectis ex toto Mari piratis, Quadraginta diebus totũ abſoluerat. Illuſtres ex vobis ſeptem Equites, duo videlicet Auriæ, Gonzaga, Vaſtius, Albanus, Boſſuus, Pratus, ad immortalitatem memoriæ glorioſam, famam hoc bello celebrem nacti ſunt.

Atq; hic medius Regni Carolini limes extitit: cùm enim Quadraginta tantùm annos Carolus regnauerit, hic annus vigeſimus Regni eius medium locum obtinere conuincitur.

Bellum Mexicanum, & Peruacum.

INTEREA temporis dum ſic ciuilibus bellis cõcuſſus, Chriſtianorum orbis Cæſaris Clementiam, patientiamq; experitur.

Vna ſe re Carolus conſolabatur, quòd inter cæteros Tribunos ſuos Ferdinandus Corteſius, in Regno Mexicano: & Franciſcus Pizarrus in regno Peruaco: ingentibus terrarum nouarum vaſtitatibus repertis: octodecim Reges, & Prouincias, octodecim acerrimis prælijs deuiciſſent: omneſque & Reges, & Regna, non ſolum Imperio ſuo ſubditi, ſed etiam Chriſtiana pietate imbuti eſſent, de quibus aliàs copioſius agemus.

Quapropter cùm nunc Quadraginta æquinoctia, & Quadraginta ſolſtitia, & Quadraginta bella, Regnum hoc Carolinum viderit: viſum eſt mihi (ſi vobis pariter ſic videtur) viri illuſtres, hìc quieſcere. Tanta eſt enim rerum geſtarũ in nouo orbe Cæſaris amplitudo, & dignitas, & maieſtas, vt nouus ille orbis, MVNDVS CAROLI vocetur.

Finis Libri Primi.

COgitanti mihi,& memoria res humanas repetẽti,perbeati illi videri ſolent,qui in Dei adoratione, amicitiaq; mortui ſunt.

Ac multos ego quidem,viri illuſtres,noui,qui vt illarũ beatarũ mentium ad nos aliqua veniret,ſæpè exoptârunt.

Ex ea enim ſi cognita[illegible]ſet,& ſi nobiſcum in vita familiariter,& cũ virtute vixiſſet,ſe cognituros ſperabant, quomodò res omnes apud ſuperos,& poſt hanc mortem ſe haberent. Nihil humano generi cùm ad vitam rectè inſtituendam,tùm ad animum ſpe gloriæ,& fœlicitatis æternæ magis infractè,inuictèq; erigendum firmius, aut robuſtius fore perhibebant. Tàm enim fluxas, & incertas cogitationes noſtras reperiri,tàm breues operas,tàm illaudatas actiones,ignitis,& acribus oppugnationibus tàm defatigabiles,repulſis,ærumnis, morbis,tàm expugnabiles,ſomno tàm ſopibiles, morte tàm perimibiles nos eſſe conſiderabant.

Vt quæ animorum noſtrorum immortalitas,quæ rationalis vitæ perennitas,quæ à corpore abſtractarum mentium iucunditas, beatitaſq; eſſe poſſet,haud clarè peruiderent.

Sed cum in his animæ ſuæ agonibus, certaminibuſq; angebãtur: Eccè viſum eſt mihi,& ſpiritui conſternatas illorum mentes erigere, & ad Dei bonitatem,clementiamq; intuendam ſubuehere.

Ibi tanquàm Angelorũ aliquo ſeraphico mentes eorum purgante,atq; pectus pertundẽte ſubitò illis in animum venit, ipſum Dei filium,qui & ipſe Deus eſſet,& Deo genitus,è diuinæ, & ſupernæ ſuæ maieſtatis ſolio deſcendiſſe. Atq; omnia mortales, quæ illos ſcire oporteret grauiſsimè,ſapientiſsimè, veriſsimè docuiſſe.

Signa autem,& miracula,tanquàm Deitatis ſuæ teſtimonia, tàm ingentia,tàm mirabilia,tàm obſtupeſcenda, multis mortalibus inſpectantibus,toties edidiſſe: vt non ſolum Iudæi, ſed Romani, ſed Græci,ſed Barbari omnes,ſed deniq; orbis totius incolæ admiratione operũ,& expectatione finis eius vehementiſsimè percellerentur.

Itaq; diuinus Dionyſius Areopagita Athenienſis,cùm eſſet Heliopoli cum Appollophane philoſopho, videns contra aſtrorum motum,perhorreſcendam illam cunctis gentibus in plenilunio ſolarę eclypſim,cum vniuerſę telluris commotione coniunctam tempore mortis Chriſti,Dei, Domini noſtri,exclamauit dicens.

Ignotus,& carne veſtitus Deus patitur, cuius gratia tota mundi moles obſcuratur, & concutitur.

De miraculis,& admirabilibus operibus Chriſti Seruatoris noſtri,cùm Euangeliſtæ,& Apoſtoli,tùm alij multi ſcripſerunt viri celebres,& ſancti.

Qui illos,& Dionyſium Areopagitam,Ignatium,Policarpum,legat.Qui omnes Apoſtolo, & Euangeliſtæ Ioanni, & beatæ virgini Mariæ Chriſtiferæ familiares extiterunt. Ac his Ioſephū, & Michaëlem Syngelum Hieroſolymorum Epiſcop[illegible] Philonem, Clementē, alioſq; eius temporis viros ſanctos, & Martyres Chriſti adiungat: haud dubitabit de animi ſui immortalitate,& fœlicitate: ſi vitam cū Chriſti præceptis conſentientem ſuam reperiat.

His igitur,alijſq; auditionibus illi permoti, aliam credendarum, ſperandarumq; rerum deſtiterunt opem implorare,ac ſe totos ad diuinam,& euangelicam veritatem,& virtutem conformârunt.

Quorum exēplo admonitos mortales,omnes idem facere cupio. Nihil enim ſacris illis,& diuinis ſcriptis ſanctius,aut diuinius,humana manus ſcribere,humanum os eloqui,humanus animus cogitare poteſt. In illis igitur acquieſcere,in illis cōſolari, in illis erigi ad ſummi boni expectationem,& rerum expetendarū finem mentes noſtras oportet. Atq; huius rei præclarum,& cunctis Principibus imitabile exemplum,Carolus hic noſter maximus propoſuit.

Qui ob hanc,& alias hîc non patefaciendas cauſas certa,ordinata, & myſtica ratione mihi perſuaſo, valdè probabiliter videtur, terris Chriſtianis diuinitus eſſe datus Princeps,& Monarcha cunctis gentibus exoptandus. Nunc & ſi pariter cupiebam bella, quæ mediū Regni Carolini tempus ſecuta ſunt,ſtatim attexere,multis tamen de cauſis viri illuſtres,id facere non licuit:nec id viris grauiſsimis veſtri Equeſtris ordinis Collegis placuit.

Cùm enim dixerim de prouidentię diuinæ ſignis,tanquā de apparētibus diuinę volūtatis notis,numeris,& indicibus me eſſe dictурū.

Euoluenda,& excutienda erit breuiter tota Reſpub.& ea quæ antè Chriſti Domini,& Seruatoris noſtri tempora,& ea quæ poſteà extitit. Cùm enim numeros illos,miſticaſq; ſignificationes diligentēr oculis,atq; animo circūluſtrauerimus,cū in veteri,& noua Chriſtiana Repub.tùm in veteri,& in nouo Carolino orbe.

Tùm certè tanquàm lucerna in terris,vel aſtro aliquo in cœlo, viā nobis in tenebris cōmonſtrāte,ad diuinæ prouidentiæ cōſiderādæ, colendæq; veram(niſi fallor)ſemitam perueniemus.

Neq; id quiſquàm me extra rem,aut præter ordinem facere putet. Cùm enim de Republica inſcriptio operis me dicat eſſe ſcripturum

turum,aliquid de illa parte fuit interſerendum.

Cæſaris autem Rempublicam nemo rectè(meo quidem iudicio) intelliget,niſi qui veterem aliquo modò nôrit. Cũ itaq; de tota Rep. ſermo ſuſceptus ſit,viſum eſt plæriſq; ex vobis non infimi nominis Equitibus,ſicut etiam & alijs Satrapis,vt res tota Reipublicæ imaginem repræſentans leuiter, & ſuccinctè adumbraretur.

Eſt enim concatenata quædã, & cohærens ſeries, menſura,& diſpoſitio totius.

Vt & in toto,& in ſingulis eius partibus clariſſimè ea dignoſcatur.

Quocirca qui hos libros diligenter ex vobis leget(ſi modò aliquis præter illos qui legerint,leget)non ſolum vitam, mores, geſta, huius Cæſaris intelliget, ſed ab orbe condito, quid quoq; tempore præclarũ,& obſeruatione dignum,in Rep. extiterit, ſuo loco, numero, tempore,expreſſum cognoſcet.

Vt apes è varijs floribus varios colligunt ſuccos,ſed eos ſuo ſpiritu mutant,ac digerunt,alioqui non facturæ mella. Sic eſt in his obſeruationibus Reip. nobis faciendum,vt diuinæ prouidentiæ nectar ex omnium Rerumpub.& priuatarũ guſtu oſtendere vobis queamus.

Excitate igitur animaduerſionem veſtram viri illuſtres, & ad ea quæ dicam,attendite.

Videatur tota Reſpub. proponatur ea mortalibus,quaſi in ſpeculo. Ea eſt enim ſpeculi natura,& vis quædam abſtruſa, & recõdita, vt quod nec pictores,nec architecti,nec ſtatuarij,niſi longis tẽporũ ſpatijs aſſequi queãt,in delineãdis,ædificãdis,aut exſculpendis rebus: id in ſpeculo optima & veriſsima dimẽſione,& proportione euclidica, veraciſsimiſq; Apellis coloribus ſubitò, & quaſi in vno momento perſpicere valeamus colluſtratione oculorũ. Ac ſpeculi vim (vt vna res alterius eſt imitatrix)ferè aſſequitur ſcriptura. Illa enim totius Reip. imaginẽ ſubitò nobis repræſentat,vt quocunq; vertamus oculos,illius effigiem depictam,pulcherrimis perſpiciamus iudicij,mentiſq; noſtræ immortalis oculis.

Quemadmodũ autem ſpeculi vis,niſi lumen,& colluſtratio aëris accedat,aduerti nequit,& quaſi nube tecta,& obtenebrata videtur.

Sic eſt in ſcriptura librorũ,vt niſi acumẽ ingenij,atq; iudicij,numerorũq; obſeruationes,& actionũ accedãt,quaſi animi perſpicua acies & lumẽ nube,& cęcitate quadã mẽtis cõtegi,& obſcurari dicatur. Sic ipſius Energia,& efficacitas non ſe prodat,ſed planè obnubiletur.

Quid fecit Ciceronẽ(qui Quadrageſimo anno ante Chriſti aduẽtum obijt)tãm magnũ,niſi & in dicendo,& in agẽdo numerorũ quo

rundam obſeruatio, Romanis prius incognita? Demoſtheni autem, & Iſocrati, & Thucididi, perfamiliaris in ſcribendo: Socrati, & Stoicis, & Academicis valdè grata in agendo, & gerendo? Ac Socrates quidem hunc genij ſui numerum ſemper ſeruabat, vt genio impellenti pareret nunquam, reuocanti ſemper. Magnus ſanè vir, & qui haud immeritò etiam falſorum Deorum oraculis ſapientiſsimus ſit iudicatus Græcorum.

Hoc autem primum ſciendum eſt, aliter Alphonſum Regem Romanorum, & Hiſpanorum, præſtantiſsimum Mathematicum, atq; Aſtrologum (cuius tabulæ extant, quæ Alphonſinæ vocantur) annos mundi numerare; aliter ſeptuaginta Interpretes, aliter Hebræos, aliter Albumaſat, aliter Euſebium, aliter Phrygionem, aliter Petrum Appianum Mathematicum, qui eclypſium rationem in calculo ſequitur, aliter Copernicum Vratiſlauienſem, qui vniuerſi motum diſpari ratione, ex telluris motu, ſoliſq; immobili ſtatione conſequi annititur, aliter alios quos hic commemorare magis ſit laborioſum, quàm ſubtile.

Ac inter Alphōſum quidem, & Hebræos eſt diſcrimen trium millium, & triginta annorū, & vnius anni, quos ille addit, hi detrahunt.

Ità vt bis tantum temporis, quantum elapſum eſt, à nato Chriſto ad emancipationem, & initium Regni Caroli noſtri Maximi, ille accumulet ad annos mundi, hi detruncent.

Hoc eſt, mille quingentos quindecim annos, & dimidium anni: iterum mille, quingētos, quindecim annos, & dimidium anni, & ter Quadraginta dies, & vnum diem: ac adhuc de vno anno eſt quæſtio.

Ac totidē ferè annis, hoc eſt, mille, quingentis annis, & iterū mille, quingentis annis elapſis antè aduentum Chriſti, ſecundū Petrum Appianum, & alios, facta eſt cōfuſio linguarū, qui anni ſimul iuncti conficiunt tres chiliades annorum antè Chriſtum natum.

Ac illo anno vixit Phaleg, qui cum natus eſſet annos bis quindecim, hoc eſt, annos triginta, genuit Reu, atq; hoc tempore filij Noë Regnorum ſibi ſedes quæſiuêre.

Sunt qui mortalium multitudinem illo æuo ex familijs tàm ingentem faciunt, vt illorum calculus nouarum ſedium originem attuliſſe videatur, cùm vnus ager omnes capere non poſſet: ſed nihil ad nos in præſentia.

Illo etenim tempore Reip. adminiſtrandæ forma in orbe noſtro mutata fuit. Ac Reſpub. in varia Regna diſcerpta, atq; diſtracta fuit. Ac tùm REGNA initiū ſuum ſumpſerūt, cum prius, vt lingua vna, ſic

Regnum

regnum fuerit vnum,atq; vna ſpecies,& forma,& facies Reipublicæ.

Atque id ex ſacris literis apertè conſtat. Et quomodò in nouum orbem ætate & æuo Caroli Maximi Imperatoris quondam noſtri clementiſsimi, in occidentali mundi plaga enauigatum ſit à viris Heſperijs,id quoq; conſtat: quomodò ea autem nauigatio olim à filijs Noæ ſuſcepta ſit:magna,& noua,& perquàm ſubtili, numerorum,menſurarum,ponderum nouorum obſeruatione: ad dicendum opus eſſet,qui numeri ob librorum peruacorũ inopiam,hactenus non allatorum in Europam,ſunt ſanè perdifficilis indagationis.

Eoq; magis quod noui orbis incolæ nullis literis, aut characteribus vtantur,ſed tantum ſimulachris quibuſdam auium ac ſtirpium: quibus res geſtas maiorum annotârũt Themiſtitani: Peruaci enim ne hoc quidem:ſed chordarum coloribus,& nodis, ad res maiorum conſeruandas vtuntur.

Aiunt autem Cœlum & terram,pro certo: certorum quorundã numerorum reuolutis in mundo ſpatijs perituram.

Ac animas immortales:& benè,praueq; geſtarum rerum præmium ſuppliciumq; apud cœlites laturas.

Sed antè occaſum cœli & telluris,ſolem prius & lunam occubituros,quos illi intereà pro Dijs fauẽtibus & numinibus adminiſtrantibus coluerunt.

Credunt quoq; carnis noſtræ alio in ſæculo futuram reſurrectionem Peruaci.

Ac ob eam cauſam mariti cum vxoribus,& familia magis cara ſepeliri ſolebant:& eodem momento:eodemq; in loco: vt tanto citius coniunctim,cum opus foret, reſurgerent.

Quod ſi Cæſar Carolus Maximus res maieſtati ſuę omnes,de nouo orbe ſuo relatas,in vulgus & lucem hominũ venire permiſiſſet.

Aut ſi filius eius Philippus,à VVintonienſi ſacro Præſule Stephano,in Britannia,nuper IVSTVS cognominatus, aliquo argumento publicæ tranquillitatis, & vtilitatis adductus,aliquandò permitteret:poſſet non mediocris illinc,ad Reipublicæ totius veram cognitionem,compræhenſionemq; acceſsio venire.

Ego Legatũ noui orbis Carolini Ioſephũ Angulũ ſuperioribus annis in cubiculo Regis Philippi cõueni:qui in Mexicano regno,ſeu potius Imperio,vt cui multi Reges paruerint:per triginta(niſi fallor) annos vixerat:hic vt erat vir valdè ſanctus & pius,narrabat mihi,præſente religioſiſsimo,eruditiſsimo,& prudentiſsimo viro, D. Angelo Caſtello Cõmiſſario regio:intereà dũ ſupra omnẽ humani ingenij

contentiomſq; aleam poſitus, Bernardus à Freſneda Regis Philippi iuſti à confeſsionibus, arcanioribuſq; & ſummis conſilijs, illū foris præſtolantem ad Regem deduceret (erant autem illi tres ſimul) tantùm ibi in nouo Carolino orbe, auſpicijs & victorijs Caroli factum eſſe Chriſtianorum, quantum (vt ipſe quidem rebatur) eſſe poſſet in hoc veteri orbe noſtro, eſſe in regno ſolo Mexicano, bis quadraginta religioſiſsima & ſanctiſsima monaſteria, & quotidiè fieri plura, magnos vbique populos, multas & validas ciuitates, pulcherrimas ædificationes domorum, & palatiorum ex latere, & lapide albo quoq; ſiue marmoreo, tantam frugum copiam, tantam auri, argenti, æris, reliquiq; metallici apparatus abundantiam, tantam œconomiam publicè in regno Mexicano priuatimq; haberi, vt res apud me ſtuporem, & ſummam admiratione͂ excitârit rerum geſtarum Cæſaris.

Vnica ciuitas Mexicana ter Quadraginta milia domorum, & quæ illi vicina ſunt municipia, alia vij. alia xv. alia xx. alia xxx. alia xl. alia lx. alia lxx. milia domorum (ipſe vt aiebat) habebant.

Marchionis Ferdinandi Corteſij palatium ſolum tanta eſt amplitudine, vt cum ipſe, & Senatus Cæſaris Caroli, & multi Præfecti, & Tribuni militares, illic omnes laxiſsimè habitarent, ſeptem tamen ducatorū milibus partes ædificij vacuæ quotannis elocarentur. Ac id Gomara Hiſtoriographus eius Regni & Marchionis à libellis ſæpè mihi narrauit, & Terraza qui recens venit, confirmat.

Qui rurſus Regum Cuſconiorū, ſeu potius Imperatorū, in Peruaco Regno amplitudinem veterem, ſolo animo concipiat, ex duabus vijs militaribus, per eos à ciuitate Cuſcone, in ſeptingentas leucas directis, quarum vna alpibus Peruacis iter ſtrauit, altera vallibus, facilè Regum potentiam æſtimabit.

Etenim reficiendo, armando, alendo xxx. aut xl. milium hominum exercitui, diuerſoria conſtituerant (quas tumbas vocabant) hac ratione, vt ad ſingulas ſeptenas leucas, tales eſſent tumbæ, in quibus ſingulis ſemper nudus, exarmatus, famelicus, quadraginta, aut amplius, milium hominum exercitus, ſubitò eò appellens veſtiri, armari, paſci longum in tempus poſſet.

Et quidem Atabaliba vltimus Cuſconij Rex, ſeu potius Imperator, vt qui multos & ipſe ſub ſe Reges haberet, à Carolo noſtro Cæſare deuictus, ſeptuaginta miliones aureorum Carolinorum, intra diem ſeptuageſimum ſeſe ſpoponderat appenſurum, ſi libertati ſuæ reſtitueretur. Sed Pizarri & Almagri duorum Tribunorum Cæſaris diſſen-

diſſentione & auaritia factum eſt, vt poſt ſepties quadraginta auri vaſa appenſa, morte violenta ſublatus ſit. Quæ iactura Cæſaris nõn minima fuit. Ac de eius Regis, ſeu potius Imperatoris morte, & Ducũ poſteà cędibus, cũ multi viri nobiles mihi narrârunt, tum paucis his annis, Zarate eius Regni Hiſtoriographus, qui & ipſe res maximas illic nummarias procurauit, ampliter, prolixè & diſertè ſcripſit.

Sed id ſummè & maximè ſuſpiciebam, quòd religionem ſanctè, piè, castè Chriſti Optimi, Maximi, Dei & Domini noſtri, illic coli & adorari à tot gentibus legatus ille Angulus denarrabat, multis eius ſermonem & fidem approbantibus.

Ac ego quidem in hoc cum eo conſentiebam, non potuiſſe hæc, ſine ſumma & ſingulari Dei gratia & beneficentia euenire, ac eſſe maximum Miraculum, quale fortaſſe Mundus, à tempore Adami, maiori numinis ſanctiſsimi munificentia & clementia hactenus non vidit.

Ego verò qui illum audiebam auidiſsimè ac aliâs varijs de cauſis verè ſciebam loqui, & Regis Philippi Iuſti domini noſtri clementiſsimi, atq; omnium Satraparum, & Dynaſtarum regiorum, illuſtri grã tia excipi, atq; excoli videbam, ſatagebam ſanè plura quotidiè percunctari ex eo.

Sed cum & illum, & me, Reſpublica gerenda aliò, & in diuerſum raperet, non potui viuæ vocis eius oraculo diutius tunc perfrui. Sed libellum ea de re ſcriptum demonſtraturum dixit: quo lecto, non lenis Reipublicæ & rebus geſtis Cæſaris appendix adijcietur.

Neq; enim omnia de nouo orbe, mihi cõperta, hîc ſtatim enarrare ſtatui. Sed vt in agro fertili, nunc hîc, nunc illîc, aliquid conſeram: vt quàm optimè fruges coaleſcant.

Aiebat autem eaſdem ferè illîc eſſe æſtatis, autumni, hyemis, veris, annuas conuerſiones: terram niuibus ac grandine nonnunquã vt hîc operiri: ſed hyemes eſſe paulò clementiores, quàm ſint in Belgica, aut Europa: & hæc quidem eſſe in regno Mexicano.

Illud autem eſt ſumma admiratione dignum, quod lingua illorũ noui orbis in imperio Mexicano colonorũ atq; incolarum eadem eſt, & quaſi par, & planè ſimilis, multis in locis, cum lingua, qua vtũtur ciues Cæſaris Gandaui, in Gallia Belgica, hoc eſt Germanica talis, quali ad Oceanum Germanicum, maritimi Germani, Belgæq; ſui Gandenſes hodiè vtuntur.

Sic vt nõ alienigenã, ſed indigenam, & patrio eorum ſermone loquentẽ Dominatorẽ, & Imperatorẽ, Carolum Maximum, Themiſ-

titani imperij, & noui orbis illius incolæ, & accolæ multi nacti ſint.

Ac ipſe quidem Legatus putabat(qua in ſententia multi quoque ſunt alij)nouum illum orbem partem eſſe continentis, ac tantum fretis diſtingui arctiſsimis, quale eſt illud fortaſsis, quòd Africam ab Europa propè gades diſterminat.

In ea autem ſententia ſunt multi graues, atq; præſtantes viri, vt planè putent linguam eſſe eandem, qua Gandaui in patria Cæſaris, & ad mare Belgicũ vtuntur. Ac id ex appellationibus ſtirpium, herbarum, arborum, auium, fluminum, populorum, ac rerum manu & induſtria hominum effectarum Antonius Morillonus, illuſtriſsimi & reuerendiſsimi Nomophilacis Cæſarei, Antonij Perenotti Granuellæ, Atrebatenſis Epiſcopi Secretarius: vir apprimè eruditus, primus(quòd equidem ſciam) obſeruauit: ac me, multiſq; alijs admirantibus prodidit: mihi ſanè multa tam ſimilia ſunt viſa, vt lingua Hiſpanica vix propius ad ſermonem Romanum accedere videatur, ſi pronunciatio linguæ eadem eſſet.

An verò illud paruum eſt argumentum, paruum ſignum diuinitatis, & excellentiſsimæ naturæ atq; fortunæ Cæſareæ?

An eſt(vt re vera eſt)ſignum euidens voluntatis, & prouidentiæ diuinæ in hunc Carolum Maximum, ſingulariſsimas animi, fortunæ, corporiſq; dotes munificentiſsimè largientis, & conferentis?

Multæ ſunt ampliſsimæ Ciuitates, multæ altiſsimæ alpes, & rupes inacceſsibiles, multæ profundiſsimæ voragines, multæ opaciſsimæ ſyluæ, multa hoſtilia hoſtium agmina, multa ferociſsimarum, & horreſcendarum ferarum examina in tellure: multæ ſimilium teterrimarum beluarum in Oceano Myriades: ſunt à Cæſarianis Centurionibus & militibus ſuperatæ, & victæ: non ſine ſummis acerbitatibus æſtus, frigoris, famis, ſitis, vigiliarum, horrorum, mortium, in adipiſcendo, & ſubiugando hoc nouo Carolino Mundo. Sed Hiſpani veterani milites, & Centuriones, Chriſti fidei, & Caroli gloriæ omnia poſthabuerunt.

Sed intereà dum noui orbis res geſtas in numeros, menſuras, pódera, rerum admirabiliter geſtarum, & in ſummas quaſdam colligo: agite, explicemus ſicut vos crebrò, & diligenter à me contendiſtis, inuolutam veteris Reipublicæ imaginem: ac eam ſubitò tanquam in ſpeculo oculis veſtris illuſtres Equites repræſentemus.

Tempore Phaleg, ac tempore cõfuſionis linguarum vixit Nemrod vir fortis(quem quidam putant eſſe Saturnum Babylonicum) ac erat primus Rex Aſſyriorum, qui ædificauit turrim Babel, ac deſignauit

ſignauit ciuitatem Babylonicam Gen.11. Ac ab iſto Nemrod (cuius virtus in ſacris literis, & apud ſanctos, & veteres patres abijt in prouerbium) Beroſus Chaldæus, & Metaſtenes Perſa ſuas hiſtorias inchoârunt.

Vna hebdomade annorum communium, & ciuilium exacta, Comerus Gallus poſuit Colonias ſuas in Regno ſuo, quod pôſt Italia dicta eſt. Nomen Regioni à ſuo nomine impoſuit. Legem, ac iuſticiam docuit, teſte Beroſo.

Secunda hebdomade Regni Aſſyriorum cœpit Regnum Ægyptiorum. Ac Oceanus (quem Miſraim, pôſt alios eſſe autumant quidam) ad Nilum Ægypti conſedit: ac multos ex ſorore Thetide ædidit liberos. Indè ſuperuenit ille corruptor humani generis Cham, Saturnus Ægyptius, Chameſenuus ob morum prauitatem à nonnullis cognominatus, vbi Telchines Magicam docens, maxima opinionis fama celebratur, ſecundum Beroſum.

Tunc Chus obtinuit Æthiopiam, Sabæam Gogus, Arabiamq; fœlicem cum Sabo patre puer nactus eſt, Triton Libyam, Iapetus Priſcus Athalaa Africam, Getulus Getuliam poſſedit.

Tuyſcon autem Sarmatas maximos populos fundauit, tertia hebdomade Regni Aſſyriorum, quo tempore Mæſa cum filijs Iſtri, priſcos Mæſios poſuit, vſq; ad ponticam Meſembriam ab Adula mõte.

Quadrageſimo anno Regni Aſſyriorum aliquot Coloni ex filijs Comeri in Bactrianis ſibi ſedem quæſiuerũt, & Ganges in India ſedem ſui nominis fundauit.

Septima hebdomade Regni Aſſyriorum labẽte Nemrod (quem exiſtimant, vt modo dixi, fuiſſe Saturnum Babylonicum) miſit Principes Coloniarũ Aſſyriũ, Medum, Moſchũ, & Magogũ, qui Regna condiderunt Aſſyrium, Mœdum, & Magogum, in Aſia, Moſchos verò, & in Aſia ſimul & in Europa teſte Beroſo, ac eadem ætate ſeptimæ hebdomadis aliqui ex filijs Mæſæ, & Getuli iuncti ſimul, primi Maſſagetas in India propagauerunt.

Initio autem nonæ Hebdomadis Regni Aſſyriorum Iuppiter Belus Saturni filius ſecundus fuit Babyloniorum Rex, ac hic deſignata fundamenta ciuitatis Babyloniæ, oppidi magis quàm vrbis ſimilitudine erexit, ac pace fruebatur vſq; ſub finem Regni ſui, Beroſo teſte, & Diodoro Siculo.

Exacto autem primo ſæculo Regni Aſſyriorum, ac primo anno ſecundi ſæculi Ianus pater Colonias poſuit, in Arabia fœlice Noam ſcilicet & Ianineas.

Qui

Qui verò ex poſteritate erant Comeri Galli ab auito cognomine Gallos appellauit, teſte Beroſo.

Ægialeus auté primus Rex Sicyoniorum regnare cępit ante penultima hebdomade primi ſæculi Regum Aſſyriorum. Ac ab eo Ægialea nuncupata fuit, quæ nunc Peloponneſus, & Morea vocatur teſte Euſebio.

Ianus autem circa Arabiæ fœlicis fluuium plures Colonias relinquens, & à ſe Ianineas cognominans in Africam ad Tritonem venit.

Triton reliquit filium Hammonem Regem Libyæ, qui accepit coniugem Rheam ſororem, ex Amalthea genuit Dionyſium.

Cham autem venit in Italiam ad Comeros, & non comparente Comero cępit Colonias regere, atq; eas ſcelere nefario, & impietate ſua infauſta corrumpere. Idq; euenit exacto primo ſæculo Regni Latinorum, ac primò ſæculo Regni Ægyptiorum exacto. Quod tempus æquale eſt cum centeſimo, & decimo quinto anno Regni Aſſyriorum, ac hoc tempus anni decimi quinti, & in Republica, & in vita Cæſaris conſideranda, eſt valdè notandum. Tunc enim cęperunt ceſſare aurea ſæcula tantopere à veteribus celebrata.

Etenim hoc tempore Beli Iouis filius, Ninus appellatus, tertius Babyloniorum Rex omnibus viribus ſuis, omnibus bellum intulit. Nemini vicinôrum Principum, aut populorum parcens, cum nemine firmam vitæ ciuilis conſociationem, aut pacem colens: ſicut Paulus Oroſius, Iuſtinus, & Beroſus teſtantur.

Ninus Sabacium Sagam eò quòd magna, & illuſtri hominum gratia florebat, interimere eſt ſæpè conatus: quare etiam toto illius tempore in Bactrianis Sagis delituit. Atq; hic Ninus omnium primus Regnum Babylonicum propagauit: & omnium primus, templum Belo patri, & Iunoni Matri: at Rheæ Auiæ in medio oppidi Babyloniæ ſtatuas erexit. Nini victorias, & quas ſuæ ditioni adiecerit gentes, narrat Diodorus Siculus.

Sed Tuyſcon Gigas vir præpotens, & fortis Sarmatas hac ætate legibus formauit apud Rhenū: Id ipſum agit Iubal apud Celtiberos. Samotes, apud Celtas, teſte Beroſo. Et Ianus ex Africa ad Celtiberos Hiſpanos venit, cùm apud Libyam lis orta eſſet inter Rheam, & Hammonem, ob ſtuprum admiſſum cum Amalthea, quærebatq; Rhea vbi Dionyſius eſſet, vt eum perderet. Sed Ianus omnes Italiæ Colonos diuiſit. Etenim omnes Colonos, Comeros, Conuenas, & Aduenas montana trans Ianiculum amnem colere iubet: eiuſque filiam

liam

liam ſuam Cranam Helernam ſuffragio ab ipſis Reginam electam cum ſceptro dedit. Ac poſteritatem ſuam ſeparatam eſſe voluit ab Aboriginibus cis Ianiculum amnem in planicie, & locis maritimis. Ac Vetuloniæ iura dicebat, atq; in Thuſcia Ianiculum ſedem ſibi perpetuam eſſe voluit vſq; ad Arnum amnem, vbi Colonias poſitas vocauit Arijn Ianas, id eſt, à Iano erectas.

Sed cùm Ninus tertius Babyloniorum Rex ſex hebdomades annorũ regnaſſet, & poſt finita aurea ſæcula effluxiſſet ſeptima hebdomas: ecce Therach (Thare aliàs dictus) ſeptem decades annorũ natus genuit Abram, & eo tempore Aran mortuus eſt antè Thare patrem ſuum. Ac diuus Epiphanius obſeruauit nunquàm antè illud tempus accidiſſe, vt filij antè parentes morerentur, ſed ſemper fuerant parentibus anteà liberi ſuperſtites, à mũdi initio, vſq; ad annum ter milleſimum, trecenteſimum, trigeſimum ſecundum. Quam mutationem in Repub. per id tempus accidiſſe, & nos hîc obiter, ex Petri Curtij Theologi annotatione obſeruauimus, eratq; illud ſignũ, poſteà immolandi filij Iſaaci, à patre Abrahamo.

Octaua hebdomade annorum vitæ Abram, mortuus eſt Noa Patriarcha, dictus à multis etiam Ianus, anno poſt aquarum ſalutem & diluuium trecenteſimo, quinquageſimo Gen. 9. Quod tempus dimidiam hebdomadem ſæculorum conficit. Septingenti enim anni vnam hebdomadem ſæculorum faciunt, ac centum anni ſæculũ vnũ. Solebãt autem veteres Ianum bifrontem pingere, tanquàm qui orbem noſtrum antè diluuium, & poſt diluuium vidiſſet. Ianigenæ autem Vertumnum illum appellãtes templum illi, & diuinos honores impenderunt.

Sic Græci, & veteres poëtæ res ſacras, ad ludicras verterunt, quod in illis neutiquàm eſt ferendum.

Poſt primum autem ſæculum vitæ Abrami exactum, exurgente anno primo ſæculi ſecundi, Iſaac filius Abrahami natus eſt. Quòd pro Geneſi Caroli noſtri (qui ſimili initio noui ſæculi natus eſt) venit obſeruandum. Erat autem Iſaac ex Sara natus, ac circa id tempus Sodoma, & Gomorra liberato Loth, euerſæ fuerunt Gen. 19. Cui aſtipulatur Ioſephus, ac Abraham iam anteà ſe, ſuoſq; circunciderat Gen. 17.

Exacto autem primo ſæculo, & quindecim annis vitæ Abrahami (is autem apud omnes Hiſtoricos nouam ætatem mundi cõſtituit) Iſaac à patre Abrahamo immolandus erat Gen. 22. Ac cùm Iſaac ex ephôebis exibat, hoc eſt, erat quindecim annorũ, aut circiter, quod rurſus

rurſus pro tempore emancipationis Cæſareæ venit aſteriſco obiter notandum.

Abraham verò iàm anteà circa finem vndecimæ hebdomadis ſuę vitæ, Iuſſu Dei parẽtes, patriã, omneſq; reliquit cognatos, & aſſumpto Loth, abierat peregrinatum in terram Chanaam Gen.12. Ac poſteà, cùm illîc fames exorta eſſet, deſcenderat in Ægyptum Gen.12. Et Ioſephus in hiſtoria: docuitq; Abraham Ægyptios Arithmeticã, & Aſtrologiam, quo tempore Nechia (qui & Pharao) Ægypti Rex Abrahamo Saram vxorem abſtulit. Ioſephus de bello Iudaico id quoq; annotauit lib.6. cap.18.

Sub finem autem ſecundæ hebdomadis peregrinationis Abrahami natus eſt illi filius Iſmaël, ex Hagar Ægyptiaca Gen.16. Cui ſubſcribit Ioſephus.

Iſaac autem natus annos Quadraginta Ribcam, aliâs Rebeccam filiam Batuelis duxit vxorem Gen.24. Cui & aſſentit Ioſephus, ac ex ea Iacob, & Eſau poſteà nati ſunt.

Decimo quinto anno vitæ Iacobi mortuus eſt Abrahamus Auus eius.

Iſaacus poſteaquàm ſæculum, & bis Quadraginta annos vixiſſet, pariter mortuus eſt relinquens filium Iacobum, per id tempus natũ annos ter Quadraginta.

Iacobus verò poſteaquàm deſcẽdiſſet cum filijs Iſraël in Ægyptũ, decimo ſeptimo deſcenſus ſui anno illîc mortuus eſt, cũ iam ſæculũ, & Quadraginta annos, & ſeptem annos vixiſſet Gen.49. Cui conſentit Ioſephus in libris antiquitatum Iudaicarum.

Statim autem poſt mortem Iſaaci, Ioſeph, Princeps Ægypti conſtitutus eſt, à Pharaone Gen.41. & in eadem ſententia eſt Ioſephus, quem non dubitationis tollendæ (quæ nulla eſt) ſed veritatis confirmandæ, & aſtruendæ cauſa toties nomino.

Et Ioſeph cùm bis Quadraginta annos regnâſſet, diem ſuum clauſit extremum Gen. vltimo cap. Acciditq; ea res exacta decima hebdomade deſcenſus filiorum Iſraël in Ægyptum.

Ehud autem qui & Aoth filius Gera, qui fuit filius Gemini. Quintus Dux Hebræorum, qui liberauit Iſraëlem à tyrannide Eglon Regis Moabitarum, cui longo tempore propter LEGIS TRANSGRESSIONEM ſeruierant, regnauit bis Quadraginta annis Iudic. cap.3. Et idem dicit Ioſephus.

Debbora quoq; quæ Dux exercitus Barac Iabin Chananeorum Regem vicit, qui Iſraëlem viginti annis oppreſſerat, regnauit, & iudicauit

cauit Iſraëlem annis Quadraginta Iudic.4. Et in eo conſentit quoq; Ioſephus.

Gedeô aliâs Ierobaal,qui à poteſtate Madianitarũ liberauit Iſraëlem interfectis Oreb,Zeb,Zalmona,Principibus: & centum viginti milibus,hoc eſt,ter Quadraginta milibus,Arabũ, & Madianitarũ: regnauit annis Quadraginta Iud.6.7.8.Et idem ſcribit Ioſephus.

Heli ſummus Sacerdos,& Iudex decimus ſeptimus Hebrçorum: regnauit annos totos Quadraginta:& Quadrageſimo Regni eius anno,arca Domini capta fuit.

Illi ſucceſsit Samuel decimus octauus Iudex Hebræorum. Poſt quem Iſraëlitæ nacti ſunt Reges.

Dauid fuit ſecũdus Rex Iſraëlis. Hic arcem Ieruſalem occupauit expulſo Iebuſæo:ſuperauit Philiſtæos: arcam reduxit in Ieruſalem ex domo Aminadab. Et hic ſeptimo Regni ſui anno omnes finitimas gentes,vectigales,ſiue tributarias,ſecundum diuinam pollicitationem,& ſpõſionem fecit ab Eufrate,& mari magno vſq; ad Ægyptum,vbiq; pace reddita:ac de victorijs Dauidicis meminit Ioſephus lib.7.

Tertia hebdomade Regni eius(nàm hic quoq; Dauid nouam ætatem mundi apud hiſtoricos omnes facit)Nathan, Gad, Aſaph prophetæ floruerunt:ac ipſe quidem Dauid regnauit annis Quadraginta,vt anteà tetigi.

Salomon filius Dauidis natus fuit ex ea,quæ fuerat Vriæ: ac hic initio Regni ſui Pharaonis Regis Ægypti filiam in vxorem duxit. Hic templum ædificauit Domino:ac finita vna hebdomade annorum,poſtquàm cępta fuit,perfecta eſt domus ſempiterni anno octauo:ac circà,& infrà ea tempora poſt ædificationem templi floruerunt Ionathan,Iddo(aliâs vocatus addo)Ahia, Sylonitis, prophetæ. Ac Salomon Hieroſolymam muro circundedit,& ædificauit ciuitates Aſor,Magedon,Zazarum,Bitchora,& Balech: in Syria quoq; ciuitatem maximam Thadamur(quam Gręci Palmiram vocant,teſte Ioſepho)& Salomon regnauit annis Quadraginta, ſicut anteà perſtrinxi.

Ac cætera acta Salomonis Regis,propter quæ laudatus fuit, videlicet propter iudicij,æquitatem,& ſapientiam, reperiuntur quoq; in Carolo Cæſare,ſicut & ipſa vrbium ſtructura.

Nam & hic Cæſar maximas à fundamentis ædificauit vrbes, Carolomontium,Philippopolim,& Heſdinfertum,ac Cameraci,Gandaui,Vltraiecti, nouas arces validiſsimas in Belgica. In Hiſpanijs

autem,& Italia, & Africa,& nouo orbe, complures alias, & quidem in Regno ſolo PERVACO, QVADRAGINTA nouas vrbes ædificauit hic CAROLVS MAXIMVS. Et in regno, ſiue Imperio Mexicano MEXICVM (vbi ter QVADRAGINTA ſunt milia domorum ampliſsimarum,& lectiſsimarũ)totam à Ferdinando Corteſio Marchione Valle nſi,ob ſeditionem concrematam: auguſtiſsimè illam totam nouam ædificari iuſsit. Ac obid PALATIVM CAROLI ciuitas ipſa vocatur.

Atq; huius Cæſaris tẽpore,ſtudio,& authoritate,Andoverpia(quę forum Caroli vocatur)Mediolanum,Neapolis, Genua,nouo muro cinctæ ſunt,præter multas alias vrbes, arceſq; ab eo auguſtiſsimè,& verè imperatoriè,nouo muro,vallo,foſſaq; circũductas, erectas, & munitas:ſic vndiquaq; inter bonos,perfectoſq; viros,in eo quod benè,laudabiliterq; gerunt boni,perfecti,laudabiles,ſacri,pij, admirabiles,ſancti,omnes conueniunt numeri. Ac id ad Dei honorem, nõ ad numerorum vim,aut gloriam totum referendum eſt.

Ioas vndecimus Rex Iudæorum,qui templum labefactatum inſtaurauit:& cuius tempore Zacharias propheta floruit,& paſſus eſt. Qui à Ioade Pontifice vnctus fuit,anno ætatis ſuæ ſeptimo, interempto Athalia 4. Reg. 12. Et Ioſepho teſtibus: regnauit Quadraginta annis.

Non eſt autem prætereundum hoc loco: quòd ſicut Dauid Arcam reduxit in Ieruſalem, & Salomon templum ibi ædificauit, & Ioas templum ibi labefactatum inſtaurauit.

Ità hic Carolus Maximus,templum Hieroſolymorum planè bellica clade à Turca labefactatum,atq; adeò omnibus Chriſtianis à Solymanno Turca longo tempore clauſum,& denegatum: iterùm inſtaurari,& Chriſtianis eò pietatis cauſa veniẽtibus, rurſus omnibus aperiri curauit. Ac in ea re perficienda Franciſcus Galliæ Rex piam Cæſari Carolo operam nauauit.

Animaduerſione magna dignum eſt in Reip. ſpeculo,quod Salomon ætate vltima mulierũ alienarum deceptus amore iuſticiã Dei, & pietatẽ veri colendi numinis,ac religionem,ceremoniaſq; legis neglexit,Deos adorans alienos:quare decem Tribuum Regnũ à poſteritate eius ablatum fuit 3. Reg. 11. Ac diuiſum eſt Regnum Iſraelitarũ in duo Regna: ac Roboam quidẽ dictus,& factus eſt poſt mortẽ Salomonis Rex Iudæ. Ieroboam autẽ Rex Iſraelitarũ eſt dictus: qui tempore Salomonis Regis fugerat ad Seſach Regem Ægypti, expectans ibi Salomonis mortem 3. Reg. 11. Ioſephus in antiquitatibus.

Ac

Ac Seſach quidem Rex Ægypti Iudæam inuaſit, cœpit Hieruſalem, ſpoliauit, & compilauit templum 3. Reg. 4. Ioſephus Seſoſtrim fuiſſe hunc Seſach opinatur: de quo Herodotus.

Ac Hieroboam Rex Iſraëlitarum peccare fecit Iſraëlem in vitulis aureis, quos adorauit.

Sed in fine ſecundæ hebdomadis vtriuſq; Regni Iudæorum videlicet, & Iſraëlitarum, Ahimas Sacerdos magnus, Schemara, & Iddo, prophetæ fuerunt in Iuda: & Rameius, & Iadan fuerunt prophetæ in Iſraële, teſte Ioſepho. Et ſtatim ſecutus eſt Aſa Rex Iudæorum, qui iuſtus fuit, & idola confregit. Et Zarach Æthiopiæ Regē maxima manu Iudæam inuadentem vicit, teſte Ioſepho, & 2. Paralip. cap. 14. & Quadraginta annis, pauloq; plus regnauit.

Ac illo Rege iuſto viuente Hieroboam primus Rex, & Nadab ſecundus Rex Iſraëlitarum perierunt.

Baaſa enim tertius Rex Iſraëlitarum omnem Hieroboam familiam, & Nodab Regem interfecit 3. Reg. 15. Et idem perſcribit Ioſephus.

Et Zamri Quintus Rex Iſraëlitarum totam domum Baaſa Regis deleuit. Et ipſemet Regia incenſa perijt die ſeptimo Regni ſui.

Et hoc quidem loco rurſus pro Reipublicæ ſalute, & optima conſtitutione eſt animaduertendum. Quod neglectus iuſticiæ, & cultus diuini peperit diſſentiones maximas inter Reges Iſraëlis, ſic vt ſeſe mutua cæde paſcerent, mutuo laniatu totum Reip. ſtatum conuellerent, ac perturbarent.

Atq; hoc quidem tempore Iehoram, Azariahu filius Odad, Hananau vidēs, Iehu filius Hanam, prophetæ fuerūt, ſicut ex libro de ſerie mūdi apparet. Iehu autē propheta ab Ela quarto Rege Iſraëlitarū (qui annis duobus tantū regnauit) occiſus fuit, teſte Ioſepho, & 3. Reg. 16.

Sciendum autem eſt, quòd Quadrageſimo Aſæ Regis Iudæorum anno floruit Helias propheta.

Poſt Aſam Regem, ſucceſsit in Regno Iudæorum Ioſaphat, ſeptimus Rex Iudæorum, iuſticiam colens, & pietatem, qui in omnibus ciuitatibus Iudæ iudices conſtituit, & legem ſeruauit, teſte Ioſepho, & Paralip. 17. & 18.

Ac huius Regni initio fames trium annorum fuit in Iſraële. Ac ſeptimo anno Achab Regis Iſraëlitarum ſeptimi, qui fuit vir impius iuſſu Heliæ prophetæ, ſacerdotes, & prophetæ Baal occiſi ſunt, & Achab Rex in bello aduerſus Benadab ſuccubuit, Regnoq;, & vita priuatus eſt.

Quo tempore Iehu,Obadia,Micha,Iehiel,& Eleazar prophetæ in Iuda floruerunt.Et Helias propheta,in Iſraële, & poſteà in eodem Iſraële Heliſæus propheta.

Ac Ioſaphat quidem exercitum Moabitarum, & Ammonitarum,qui aduerſus Iudam bella mouerant, Deo auxilium præſtante deleuit:& in nihilum redegit 2.Paralip.20.

Atq; his temporibus Latinorum Rex floruit;qui regnauit 40. annis. Ac in Græcia tùm floruit Homerus, ſecundum Eutropium, paulóque poſt ſuccesſit in Regno Iudæorum Ioas, de quo iam diximus,ſub cuius vitæ finem mortuus eſt Heliſæus propheta.

Atq; hîc rurſus pro calculi veritate annotandum eſt,quod mille quingentis annis poſt ſalutem aquarum,& diluuij,regnauit Hercules Ægyptius,quem Ozorthon vocant.

Vna hebdomade annorum communium detracta initium fuit Regni Macedonici,circa quæ tempora mortuus eſt Zacharias propheta.Et Hoſea,Amos,Eſaias,prophetæ floruerunt. Ac Fidon Argiuus menſuras,& pondera, quibus vtimur repperit, Proca Syluio apud Latinos regnante.Ac tùm Latini,& Ægyptij Reges duas hebdomades ſæculorum,dimidio ſęculi detracto impleuerāt.Athenienſium autem Regnum vnam hebdomadem ſæculorum, & dimidiū ſæculi impleuerat. Corinthij autem,& Lacedemonij tertium impleuerant ſæculum.

Tribus verò hebdomadis annorum communiū ſimiliter à dicto millenario,& quingenario annorū numero detractis, Sardanapalo poſtremo Aſſyriorum Rege victo ab Arbace pręfecto Mędiæ Regnū Aſſyriorū ad Mædos tranſlatū fuit,& Arbaces ab exercitu electus eſt Imperator.Et Aſſyriorum quidem Regnum durauerat duas hebdomades ſæculorum dimidio ſæculi detracto. Initium autem Regni Mædorum,attulit initium Regni Babylonici.De luxu autem,& impietate,& iniuſticia Sardanapali vltimi Regis Aſſyriorum res notior eſt,quàm vt teſtibus egeat.

Sed hoc tamen annotandum in numeris, ponderibus, & menſuris Reipublicæ:vitia finem regnandi apud Aſſyrios attuliſſe. Virtutem,& diſciplinam militarem cum ſumma frugalitate,iuſticia, & ſpecie quadam pietatis in naturam,& humanum genus coniunctā: initium regnandi ad Mædos tranſtuliſſe.

Mille,quingentis annis poſt diluuium Noæ, Procas Sylvius Rex Latinorum moriēs Amulio filio Regnum Numitori filio pecunias teſtamento reliquit, ſecundum Eutropium Quadraginta annis antè

tè vrbem Romam conditam. Ac Numitor quidem Procæ Regis maior natu filius à fratre Amulio Regno pulſus, in agro ſuo vixit. Filia eius adimendi partus gratia virgo veſtalis facta eſt. Quæ cùm ſeptimo patrui anno geminos edidiſſet infantes, iuxta legem Latinorũ in terra viua defoſſa eſt.

Verùm paruulos propè Ripam Tyberis expoſitos, Fauſtulus Regij Paſtor Armenti, ad Accam Laurentiam vxorem ſuam detulit. Quæ ob pulchritudinem, & rapacitatem corporis quæſtuoſi, Lupa à vicinis appellabatur. Pueri verò cùm adoleuiſſent, collecta Paſtorum, & militarium virorum manu, interfectoq; apud Albam Amulio auum Numitorem in regnum reſtituunt, ſecundum Eutropium, Plutarchum in vita Romuli, Titum Liuium, & Dionyſium Halicarnaſſæum de antiquita. Roman.

Poſt quartam hebdomadem annorũ communium noui ſæculi inſtituta eſt prima Olympias. Atq; hoc tempore, id eſt, prima Olympiade, defecit Regnum Lacedemoniorum pariter, & Corinthiorũ, ac incepit Regnum Lydorũ. Illic iniuſticia, & impietate erga naturã, & humanum genus, omnia loca peruaſtante: Hic virtutis ignibus ardeſcentibus.

Romulus autem Romanorum Rex primus, ſeptimæ Olympiadis annoq; primo ſecundum Dionyſium Halicarnaſſæum, Romam condidit in monte Palatino: idq; menſe Februario ſecundum Eutropiũ & Quintum Fabium pictorem. Mox templum quod Aſylum nominauit, ædificauit: leges tulit, ſacra inſtituit, Acronẽ Cecinenſium Regem bello vicit, Acronis arma Ioui Feretrio cõſecrauit: Antennates ſuperauit, Cruſtuminum Coloniam fecit, de Sabinis triumphauit, Tatium Sabinorum Regẽ in ſocium Regni aſciuit, Fidenas cœpit, Camerinos vicit, Senatores patres cõſcripſit, duodecim Lictores habuit, Cẽturiones ordinauit. Deinum è media concione in maxima tempeſtate ſublatus, creditus ad ſuperôs (ob ceremonias legis ſuæ obſeruatas) migrâſſe. Non eſt taciè prætereundum, quod quo anno Roma condita eſt, eodem anno natus eſt Numa Pompilius ſacrorũ Romanorum inuentor, teſte Plutarcho.

Eſt etiam in calculo menſium aduertendum, quòd diluuiũ Noæ accidit menſe Februario: Roma condita eſt menſe Februario: Carolus hic noſter natus eſt menſe Februario.

Atq; id cum calculo mille quingentorum annorum: cum numero ſeptenario, & Quadragenario: cùm anno decimo quinto, toties hoc in volumine repetito, hic vobis viri illuſtres indicandum pu-

taui,vt intelligeretis ſingulariſsimam rerum magnarum ordinationem,à Deo per hunc Imperatorem veſtrum Carolum inchoandã fuiſſe,quam Deus ad ſuam diuinam gloriam, homines ad humanã laudem(me approbante)non vertent.

Cùm numa natus fuit,& vrbs Roma condita eſt, fuerunt per id tempus apud Iudæos Hoſea,Eſaias,Amos,Micha,Prophetæ:& apud Macedones,Thales Mileſius Philoſophus. Ac apud Lydos fuit Sibilla Erithręa: & Siracuſæ in Sicilia conditæ ſunt. Atq; hoc tempore Mydas in Phrygia regnauit,& Athenienſium Regnum in Decennalem magiſtratum verſum eſt, ſecundum Euſebium , ac iam anteà Lacedemonij Magiſtratum inſtituerant : qui Ephori dicebantur.

Quadrageſimo anno poſt vrbem Romam conditam, poſtquàm Romulus apud Paludem Capræam nuſquam comparuiſſet,Numa Pompilius regnare cępit:qui vir cùm ingenio clarus, & virtute magna prædirus eſſet,bellum nullum geſsit. In pace populum rexit, leges conſcripſit,mores conſtituit, ſacra,flamineſq; ordinauit,Sacella, & templa quàm plurima erexit,Martium Pontificé legit, Fôeciales, & Salios ſacerdotes creauit,veſtales conſecrauit virgines, annum in menſes deſcripſit,Ianuarium,& Februarium decem menſibus addidit,atq; hæc fuit origo Reipublicæ Romanæ cuius iure, & imperio tàm multæ gentes vſæ ſunt,& adhuc vtuntur.

Sciendum autem eſt quòd circa initium vitæ Abrahami Patriarchæ(à quo Euſebius ſuam exorſus eſt hiſtoriam)qui annus fuit poſt diluuium Noæ trecenteſimus vna hebdomade annorum communium detracta, hoc eſt,inquam tribus ſæculis, ſiue centurijs annorum exactis,& initio noui ſæculi , quod à ſalute aquarum quartum fuit,Iuno Ægyptia,cognominata Iſis maxima, ex Rhea, & Chameſenuo in Ægypto nata ſit,frugifera,legifera, ſoror, & vxor Oſiridis, cuius mentionem facit Diodorus de antiq.geſt.

Et apud Aſſyrios eodem anno primo noui ſæculi, Aſcalonita Semiramis,Nini vxor,quarta Regina imperare cœpit,paulò plus Quadraginta annis,quæ diuitijs,militia,victorijs,triumphis, & imperio anteceſsit omnes mortales. Ac ipſa Babylonem vrbem maximam ex oppido fecit:vt magis dici poſſet eam ædificâſſe,quàm ampliâſſe, teſte Beroſo,Iuſtino, & Oroſio.

De Semiramide autem, & Babyloniæ ſitu, & ſacris videndus eſt Herodotus,& Diodorus Siculus,qui eius ortum,ingenium, mores, formam,pompas,triumphos,luxum,pulchrè narrat.

Atq;

Atq; hoc tempore quod incidit in Quadrageſimum annum Iani apud Latinos regnantis, in Italia apud Ianigenas, Rezenuos, veſta vxor Iani ſempiternum ignem cuſtodiendum virginibus puellis ſacra edoctis tradidit. Ac poſteà Sabacius Saga, cum Iano patre regnauit, qui Sabacius Sabum præfecit Sabinis, & Aboriginibus. Ipſe iuxta Ianiculum cum alijs Curetibus Regionem coluit, & ibi obijt.

Sed apud Ægyptios prima hebdomade annorum regnãtis apud Latinos Iani ad Cham Italia pulſum Rhea venit, & illi nupta, ambo contra Hammonem cum Titanibus pergunt, ibiq; prælio commiſſo pellunt Regno Hammonem.

Cùm in Libya regnaret Cham, peperit ex Rhea ſorore Oſirim, quem cognominauerunt Iouem, teſte Diodoro, & Beroſo.

Et initio quidem vitæ Abrahami Dionyſius Hammonis filius armis ſumptis Rheam, & Chameſenuum Regno paterno pellens, & ſenem Oſirim retinens, in filiumq; adoptans eum à patre ſuo Hammonem Iouem cognominauit, vt à magiſtro Olympo Olympicũ, eiq; totius Ægypti Regnum tradidit.

Ac in eodem exordio vitæ Abrahami, virgo Pallas apud Tritonidem Lacum, infantula expoſita, ab eodem Dionyſio (Ioue Libyco etiam cognominato) adoptata in filiam fuit, quæ omnem militiam prima Libycos docuit. Ac in eodem vitæ Abrahami auſpicio Ianus pater apud Latinos, ritus, & rituales ſcripſit libros, & multa literis ad philoſophiam pertinentia mandauit.

Atq; hæc ad hiſtoriarum, numerorum, ponderum, menſurarum, viciſsitudinum, temporum, & Reip. veteris in ſpeculo repræſentatam imaginem dicta ſufficiant.

Sed hoc tamen pro obſeruatione calculi, & numeri eſt notatu dignum, quod Romani poſt Numam Regem à menſe Ianuario annũ ſolarem auſpicantur, Arabes autem à Septembri annum lunarem ordiuntur.

Ab Adamo ad Chriſtum recto calculo, eoq; qui quàm proximè accedit ad calculum inſignis illius Mathematici Alphonſi Romanorum, & Hiſpanorum Regis, fluxerunt ſeptem chiliades annorum, quæ ſeptem chiliades annorum vnam veram hebdomadem conſtituunt, in quà ſunt compræhenſa ſeptuaginta ſæcula annorum: ſed decreta patrum huic calculo repugnant, ne neſciatis.

Monarchiæ, & Regna poſt diluuium Noę inceperunt eſſe tẽpore Nemrod primi Principis Babyloniorũ, tribus chiliadibus anno-

rum antè Chriſtum,& vt Regna diuerſa,ità linguæ diuerſæ eſſe cęperunt. Quarum origo in ædificatione turris Babylonicæ contigit, ſicut anteà obiter,& quaſi per tranſennam tetigi,& oſtendi. Atq; hic calculus ſecundum Hebræos,quibus ea in re primas meritiſsimò tribuo,certus,& rectus eſt.

Ex quibuſcunq; in prouincijs mutationem magnam linguę repęrietis illuſtres Equites,id ex diuerſitate Principum originem ſumpſiſſe pateſcet.

Linguæ autem varietas,morum varietatem peperit.Hinc diſsimilitudines ingeniorum,æmulationes,iurgia,prælia,bella,& irriſiones,& ſupplantationes vicinorum primùm natæ ſunt: ac victor ſemper cum victis,vt leges,& mores:ità prius linguam, & catalectum, ſiue idiôma victricium gentium communicauit: victorumq; vſibus, & conſuetudinibus,& ritibus impreſsit.

Trecentis,quinquaginta annis antè Chriſtum vixerunt Plato, & Ariſtoteles philoſophi, & Socratici multi. Ac Ariſtoteles quidem fuit præceptor Alexandri magni.

Cicero & Cato Quadraginta annis Chriſtum præceſſerűt. Quid autem iſtis duobus,& Marco Bruto defuit ad ſummam ſapientiam, & ſummam charitatem in Deum,in Rempublicam,in parentes, in vxorem,in liberos,in vicinos,in ciues oſtendẽdam, & impertiendã? præter illud vnicum, quòd DEO IGNOTO ſeruierunt. Nihil enim Reſpublica Romana cũ maximè in maxima libertate florebat; hoc heroum ternione perfectius,nihil præclarius,nihil admirabilius produxit. Ac D. Ambroſius quidem honeſtiſsimè ſemper de Cicerone,& ſenſit,& ſcripſit.

Cùm ad Octauium Monarchia orbis noſtri; reliquis Regnis Iudæorum,Iſraëlitarum,Aſſyriorum,Ægyptiorum, Mædorum, Perſarum,Sycioniorum, Corinthiorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum,Gallorum,Hiſpanorum, Germanorum,Britãnorum,Cimbrorum,Heluetiorum,Sarmatarum,Pannonum,Aſiaticorum,Cartaginenſium,& Afrorum,propter impietatem, auariciam, iniuſticiam,& tyrannidem Regum,& populorum,extinctis:(Deo ſic volente) delata eſſet.

Eccè anno Imperij Cæſaris Auguſti Quadrageſimo natus eſt IESVS CHRISTVS ſeruator orbis. Et Auguſtus quidem tàm gratus fuit populo Romano propter ſummam eius modeſtiam, & æquitatem,vt populus Romanus de illo publicè iactaret: vtinam Auguſte nunquàm natus, aut nunquàm mortuus fuiſſes. Sic vt illi viuo &

mortuo

mortuo diuinos conceſſerint honores: & menſem Auguſtum, & Sydus Cæſaris ab eo appellârint: ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum: alij illum vultu Apollineo, alij fœmore Apollineo fuiſſe voluerunt.

Vnum mali attulit Auguſti illius Monarchia (vt Cornelius Tacitus non obſcurè ſubindè indicat, & Suetonius) quòd illa recepta, populus vndiq; in adulationem, nemo ad veritatem, aut virtutem excolendam, tuendamq; prolapſus ſit in aula Cæſarea.

At hoc omnibus Monarchis eſt ſummè cauendum, ne adulatoribus, & aſſentatoribus aures aperiant: ſed id quod eſt cum virtute, & veritate coniunctum, amplectantur, ac teneant.

Ità enim fiet, vt illis duabus rebus retentis, propter diuinos, & humaniſsimos pariter illorum mores: Dei immortalis (cuius hîc in terris loco, ac vice funguntur, in iuſtitia, & æquitate iuris hominibus tribuenda) ſimiles eſſe putentur: ac porrò ab omnibus mortalibus bonis amentur: ab omnibus mortalibus malis timeantur, & permetuantur.

Quemadmodum enim Dei, ità & Monarcharum Dei vices in tellure, & mari gerentium longæ, tàm ad præmia elargienda, quàm ad pœnas infligendas ſolent eſſe manus. Et vt ſunt longæ, ſic ſolent eſſe tardæ.

Ac de illa quidem tarditate, & lenitudine ſemel conuentus Carolus Maximus noſter ab Legato Veneto, qui Senatum ſuum nihil in eo deſiderare præter tarditatem aiebat. Sic reſpondit, ſi ea veterer omnibus in rebus celeritate, quam res, & cauſæ plærumque poſtulant: mundus à bellis tamdiu quieſcere, & reſpirare non poſſet. Si enim vt poſſe, ità velle quoq; meum ſemper promptum foret: vna hebdomade dierum mundus ſub, & ſuprà tolleretur: & ſurſum, deorſumq; ferretur.

Septingentis, quinquaginta annis poſt Chriſtum natus fuit ſeptẽ annos Carolus Magnus, Imperator Europæ noſtræ, & populi Romani. Anno poſt Chriſtum octingenteſimo Romæ, declaratus fuit Carolus ille Magnus Imperator, & imperauit quindecim annis.

Septingentis annis rurſus remenſis, hoc eſt, vna hebdomade ſæculorum elapſa à tempore mortis Caroli Magni (quę incidit in annũ ſalutis generis humani octingenteſimum decimum quintum) rurſus emicuit Regnum Caroli Maximi noſtri, qui fuit annus ſalutis noſtræ, milleſimus, quingenteſimus, decimus quintus.

Carolus Magnus ſeptuaginta annis vixit, & cùm ipſe habebat an

nos

nos ſeptem,Regna,& Dynaſtiæ ad illũ perueniebant, ab illo autem ſeptennio ſi numeraueritis rurſus ſeptingentos, quinquaginta annos,verum annũm natalem Cæſaris veſtri Maximi habebitis:ac illi quidem bis ſeptem centeni,& bis quinquaginta anni ſimul iuncti faciunt annos mille quingentos.

Hic Cæſar Carolus Maximus non ſolum Europæ,& populi Romani,auguſtiſsimus fuit Imperator, ſed Galliæ Ciſalpinæ, & Belgicæ Dux,Sed Auſtriæ Archidux,ſed Germaniæ,& Hiſpaniæ, & vtriuſq; Siciliæ,Pannoniæ,Dalmatiæ,Croatiæ, & Balearium Rex: ſed Aſiæ,& Africæ Dominator,ſed noui orbis, & maris Oceani, & Mediterranei Domitor, Conſeruator, & Monarcha dictus eſt. Princeps pius,fœlix,triumphator, pater patriæ, Gallicus, Germanicus, Saxonicus,Aſiaticus,Africanus,Indicus, Maximus eſt à multis mortalibus appellatus. Qui omnes tituli an à ſpiritus ſancti afflatibus, & inſpirationibus,an aliundè ad hunc ſanctiſsimum Carolum deuenerint,aliorum eſto iudiciũ. Flatus certè tàm vehementes, & propitij,& fauſti fuerunt, vt quod nemini vnquàm mortalium contigit. Carolus hic Imperator orbis,vtriuſq; veteris,& noui,inuitis omnibus æmulis publicè dictus,proclamatus,acclamatus ſit.

Ac de veteri quidem orbe ſatis compendioſè multa perſtrinxi, & perſtricturus ſum deinceps.

De nouo autem aliquid viri illuſtres interſerendum eſt, vt ſtatus Reipublicæ illius melius cognoſcatur: qui noſtris hominibus non ſine magna infamia,& labe nominis Belgici, nimis diu incognitus, ignoratuſq; permanſit.

Dicam autem ea,quæ ex Legatis Indicis ijs,qui poſtremò aulam Cæſaris Maximi,& Philippi Regis filij eius Domini noſtri Clementiſsimi adierunt,intellexi.Et quæ ex libro illo de nouo orbe ſcripto mihi perlecto,& narrationibus Cæſari Maximo ſæpè factis ; ac ex perilluſtri Marchione Vallenſi Ferdinandi Corteſij Proregis Mexicani filio,ac illuſtri Domino Antonio à Riuera Peruaci Regni Legato: qui hoc tempore cum magna laude Regis noſtri aulam, caſtraque ſequũtur:& Gomara,& Zarate, alijſq; fide dignis viris tumultuariè, & ſucciſiuis horis audiui, legi, & cognoui.

Res enim tota tanta eſt,vt cum Iouis odio,aut Eporedia,aut monte Mercurij,aut Marienburgo,Caleſio,Guineis,villa Theonis comparata:res finita cum infinita comparata videri queat:cùm tamen finiti ad infinitum nulla ſit proportio.

Ac id primùm dicam Legatum Indicum noui orbis Carolini ter

ſep-

ſeptem miliones aureorum Carolinorum Coronatorum,ſiue Ducatorum,ſiue manulcis ſcutatorum(hi enim Coronæ, hi Duces,hi Scuta,hi nerui ſunt bellorum)paucis his annis exactis obtuliſſe Carolo Maximo,vt priuilegium,vnamq; legem Carolinam, Quadraginta linearum Hiſpanicarum pro noui orbis incolis auferret.

Totidem miliones eorundem Ducatorum, alterum Legatum poſteà obtuliſſe:vt Rex noſter Philippus iuſtus,iuſtiſsimis de cauſis motus,priuatam eam legem negaret,alteramq; concederet.

Nunquàm vlla Ariſtotelica tanti licitata fuit affirmatio, aut negatio,ab orbe condito.

Atq; hæc vera eſſe,& comperta non dicerem:niſi nemo de his rebus in aula Regis Philippi dubitaret: ac ego ex ore licitantium has affirmationes,& negationes ipſe audiui: acciditq; ea licitatio anno Regni Caroli Maximi Quadrageſimo:ſæculi autem noſtri quinquageſimo quinto.

Sunt autem hæc tàm magna,tantiq; ponderis,& momenti: vt nemo de Attali Regis opibus,aut teſtamento, meritò fari debeat: qui noui orbis diuitias,& amplitudinem populorum,& gentium infinitatem,leguminum,frugum,auium,piſcium,armentorum, pecorũ, arborum,& reliquarum rerum ad vitam neceſſariarum vbertatem, teneat,& calleat.

Nihil ego verbis cupio amplificare,ac multò minus omnia illuſtria,& admiranda Cæſaris geſta hoc libro percenſere.

Quorſum enim pertinet,apud vos ſapientiſsimos,& grauiſsimos orbis chriſtiani proceres his de rebus me prolixius agere? aut contrà veritatem rerum,res Cæſaris veſtri exaggerare, & attollere?

An non animaduertiſtis me modeſtiſsimi, & moderatiſsimi, & minime de ſe,benè,pulchrè,bellè ſentientis Cæſaris res geſtas, & vitam,& mores,ſic conatum eſſe exprimere?vt illo abſente, ignorante,& fortaſsis etiam vetante:& aut inuito,aut mortuo:hæc tàm ieiunè,tàm aſperè,tàm peruulgatè, tàm tenuiter, tàm acciſè, tàm modeſtè,tàm moderatè: de Republica, & ipſo Reipublicæ iubare: & columine ſcripta, in veſtras manus venirent, oculoſque perſpicaces?

Nefas eſt apud vos illuſtres Equites mẽtiri quenquam: hoc enim omnes Cæſarianum habetis,vt res nudas,ſine cincinnis,aut ornatu, aut calamiſtris verborum,dictas libentius,& alacrius accipiatis.

Quemadmodum autem apud Amazones,fœminę maiori corporis parte nudæ, & in India Carolina optimè luctantur, & dimicant cęſim,

cęſim,& maximè punctim: qui mos eſt militum Romanorum in diſciplina veteri.

Ità veritas quò nudior, eò pulchrior, & gratior, & fortior apparet.

An non vos omnium rerum geſtarum Cæſaris teſtes, conſortes, conſcij, Duces, Comites, auſpices, vt fuiſtis: ità ſemper eritis? Ac adhuc harum rerum omnium: & mei voluminis Iudices futuri eſtis? Neminem autem tàm perfrictę frontis, aut græciſimi ſtudioſum eſſe arbitror, qui in os grauiſsimorum Iudicum: quales vos eſtis illuſtres Equites: mentiri, aut palpum vobis obtrudere ſuſtineat.

Ac vt aliquis queat reperiri: qui veneficia, & cædes homini inſonti falſò inurere conetur: quod quia turpe, & flagitioſum: & ob id vt impoſsibile eſt ipſo iure: ità & facto impoſsibile eſſe deberet.

Nunquàm eum tamen conſpectum, tàm grauis, & præpotentis Senatus veſtri laturum: nunquàm oculorum veſtrorum illuſtrium lumina ſubiturum eſſe rebor.

Etſi enim quoſdam ad res nefarias dicendas, atq; ſcribendas ſcelus, audaciaq; incitat, & impellit: incitauit, ac perpulit cupiditas, atq; ambitio.

Nunquàm tamen vſq; eò, vel ſalutis ſuæ æternæ, vel veſtræ ampliſsimæ dignitatis toto orbe notiſsimæ, atq; celebratiſsimæ immemores futuri ſunt: vt innocuo, inſonti, ſancto viro, labem alicuius inhumani criminis, aut ſceleris grauioris aſpergere vobis inſpectantibus, audientibus, & iudicantibus, conentur.

Scio enim, & id vobis optimè compertum eſt, dixiſſe Cæſarem potius dimidium Imperij amiſſurum, & Regni ſeſe fuiſſe: quàm aliquo tàm nefario, & non ferendo ſcelere mentem ſuam, non ſolum agendo, ſed cogitando obſtringeret: aut id fieri ab alijs pateretur.

Sed veniamus ad nouum orbem Carolinum, ſine vllo ordine, & modo: ſicut illi fecerunt, qui illum primi ex Europæis ingreſsi ſunt.

Sic enim dicta, & minimum artis præ ſe ferunt: & à vobis gratius, iucundiusq; (vt ſenſi) audiuntur.

Septem decades milionum auri referuntur, ex nouo orbe Carolino in Hiſpanias relatæ.

Septem decades milionum auri ex margaritis, gemmis, vnionibus, & reliquis lapidibus, & rebus pretioſioribus noui orbis, perhibentur, illinc iterum in Hiſpanias tranſportatæ.

Præter hæc, multò maior ſumma nummorum in milites, & Tribunos Cæſaris his Quadraginta annis in expeditionibus, & præſidijs noui orbis Carolini conſumpta eſt: vt pro certo omnes atteſtantur,

qui

qui illîc cum aliquo imperio in re nummaria fuerunt. Cum autem miliones auri dico, intelligo purum putum aurum Caſtellanorum Ducatorum Carolinorum.

Veritas harum rerum penès Cæſarem fuit, qui auaritiam, cupiditatem, & crudelitatem quorundam, Dei Optimi Maximi iudicio iuſto coërcitam, & repreſſam fuiſſe in nouo orbe ſuo Carolino non poteſt ignorare.

Neque hæc ſumma ſuprà modum admiranda videri debet, cùm Belgica in vltimum bellum Gallicum contulerit ter ſeptem miliones aureorum Carolinorum: præter id, quod aliundè profectum in eodem bello Gallico abſumptum, abſorptumq́; eſt, & illîc, & in Italia, Germania, India, nouoque orbe Carolino: quin & Belgicæ in auxilium vltimi belli Gallici, quod Rex noſter Philippus iuſtus cum Henrico Galliæ Rege geſsit, ex Hiſpania allati fuere quindecim miliones ſimilium aureorum Carolinorum, intrà vnius anni vertentis ſpacium, ex quibus illîc duodecim vno anno conſumpti ſunt miliones.

Fitque illarum terrarum, & gentium nouarum magnitudine, & opibus, vt totius veteris chriſtiani orbis merces illuc, tanquàm ad forum, & emporium ſuum confluant, vbi omnis generis res vænales quàm chariſsimè, vtiliſsimeq́; vendantur.

Magna debet eſſe laus Hiſpanorum, quòd non ſolum omnia Africæ, & Aſiæ littora: & maris Arabici, Perſici, Taprobanenſis, Molucēſis, oras longiſsimas difficillima nauigatione, & victorijs fœliciſsimis illuſtrârint, ac multos Reges & Regna præpotentia Aſiæ & Africæ ad vltima mundi veteris latera mirificè, & glorioſè (multis Turcarum Claſsibus, & exercitibus conciſis, & deletis in mari rubro) ſuperârint in Oriente, & Auſtro: ſed etiā in Occidente, has noui orbis Carolini latebras vndiquàq́; perueſtigârint, & ſubegerint.

Sic vt rurſus in Auſtraliori veteris orbis noſtri plaga trecētis, quinquaginta leucis (quæ dimidium ſeptenarij conficiunt) vltrà caput bonæ ſpei nouas noui orbis Carolini plagas, & vaſtitates terrarum eos reperiſſe, nuper pro vero allatum ſit: quæ magnitudine ſpatiorum longè apud fretum Magellanicum in Orientem, & Occidentem, & Auſtrum portendantur.

Adeò vt quaſi ſtellæ in cœlo noctu nouæ: nouæ quotidiè tellures noctu, & interdiu emicent in mari. Ac cœlum quidem ipſum ſiuè ſerenum, & lucidum ſit, ſiuè turbulentum, & nebuloſum, magnam habet cum ipſo mari Oceano ſimilitudinem: quemadmodū vtrun-

que oculis noſtris lucis,tenebrarumq; tempore adijcitur: ſic vt neutrum ſine luce aliena ſplendeat, atq; emicet.

Quò autem hæc maior Hiſpanorum eſt gloria,eò maior labes eſt Belgarum, qui cum habeant plus quàm ſeptem milia pulcherrimarum nauium, non modò non ſeptingentas(quæ decimæ Deo conſecratæ fuiſſent)ſed nec ſeptem, ſed ne vnam quidem hactenus in ſeptentrionis Borealis noſtri maria emiſerint ad perluſtrandas illius Oceani inſulas, & littora incognita.

Cornelius Scepperus clariſsimus Eques Ecanij Toparcha, vir multis Cæſaris Caroli legationibus functus,& exercitatus,multùm ac ſæpè illas inſtituendas eſſe nauigationes ſuadebat:præſertim cum floridæ extrema, Groenlandiæ, & Britanniæ noſtræ tàm eſſent vicina.

Sed quod Cæſaris noſtri Maximi auſpicijs factum non eſt,optandum eſt,ac ſperandum,vt fiat auſpicijs Philippi filij eius Regis noſtri iuſtiſsimi,atque clementiſsimi.

Certè Belgæ noſtri nequaquàm pati deberent tantum commodum Reipublicæ in ſe claudier. Et præfectus Oceani Belgici Maxæmilianus à Burgundia Verienſium Marchio,& Beuerorũ, Tornehemi,Duuelandiæ, Creuecordij Dynaſta, cum ſingulari in Regem,& totam Rempublicam ſtudio,&amore ſemper ferebatur eam curam vrgere, illam ſollicitudinem acuere, illam nauigationem ſuſcipiendi author, conſultor, adiutor eſſe debebat, nec ei pace benè firmata, hunc aculeum defuturum ſperarem, ſi vita eſſet ſuperſtes.

Eius certè ciues Vlyſſæi, qui Vlyſsingi vulgò vocantur, auſpicijs Cæſaris Maximi vltimo illius bello Gallico, trecentas quinquaginta naues Gallicas à littore eorum auertiſſe, & Vlyſſæam in portum Marchionis perduxiſſe cognoſcuntur: neq; vllo vnquàm tempore Diepenſes Gallici littorales viri tantum detrimenti, & in nauibus ſuis,& in ciuibus amittendis acceperunt, quantum huius vltimi belli Gallici ductu à Cæſarianis ſibi illatum fuiſſe, Centuriones eorum captiui mihi(in carcere illos iuridicè audienti)retulerũt: & aliâs mihi rem veram eſſe conſtat.

Pertinet ea res ad laudem, & gloriam Cæſaris Maximi, qui tales habeat incolas ſuæ Belgicæ, vt vnius Promontorij Vlyſſæi ciues pauci,nullo ſtipendio Cæſaris honeſtati,nec inuitati,nec aliâs bello Cæſariano auctorati, ſua ſed voluntate, ſua ſponte, ſua impenſa, tantum,tàm valido, & generoſo, & gloriæ militaris auido,& iuueni Regi Henrico negocium faceſſere in abducendis,& abripiendis tot nauibus

tibus auſi ſint, ſacramento tantum, & literis Cæſaris ad bellum gerendum innixi.

Si vni hoc poſſunt Vlyſſæi, quid facerēt, ſi vniuerſi maritimi, & littorales Mercuriales Belgæ in idem ſtudium ſumma alacritate, & pertinacia animi incumberent? An contrà tàm multarum roſtratarum nauiū proras, contrà tot æ nearum, & ferrearum beluarum marinarum àrdentes maximas ſphæras emiſſas, contrà tot validiſsimorum ferratorum virorum corpora ænea, ac pila acuminata, vlla piratarum, aut hoſtilium Principum manus, vlla nauium latera ſeſe opponerent? Sed Mercurius his rebus hactenus fuit impedimento gerendis, cui cum Marte haud multùm commune eſt. Vt Veneri enim & lunæ propinquior eſt, ità ſolem magis reſpiciens, affectanſq; Mercurius apparet: quàm Martem, aut Iouem, aut Saturnum: multò enim libentius pactione, quàm verberibus, aut iurgijs ciuilibus Mercurius (qui ſermo vocatur) Iouis, Deorumque apud Ethnicos nuncius litem dirimit, & publicam, & priuatam. Ac id apud Belgas abijt in prouerbium: diuites haud libenter pugnare, Mercurius autem mercatorum (vt aiunt) eſt genius, bonus locupletum.

Neq; hæc in Belgarum inuidiam, aut repræhenſionem quiſquā dicta exiſtimet: ſunt enim etiā hodiè, vt Iulij Cęſaris tēporibus quoq; erant Belgę omniū Gallorū fortiſsimi: & tamē ſunt quoq; omniū Gallorum Belgæ rurſus ditiſsimi, tempore Caroli Maximi.

Sed quia tantæ ſunt omnium rerum ex omnibus orbis angulis in Belgicam inuectiones, & illinc in omnes orbis terminos rurſus exportationes, tàm infinitæ omnium precioſiſsimarum merciū opes, & diuitiæ, vt tempus belli gerendi maritimi, ſine graui rei familiaris iactura non reperiant, nec hyeme, nec æſtate. Nulla enim Belgis ad merces importandas, & exportandas maria, nulla tempora hyemis ſunt clauſa: ſulcant rei augendæ cauſa omnia maris ſpacia: nullum nec caſum, nec periculum reformidantes.

Itaq; vna Andouerpia ſola (quam forum Caroli Maximi vocant) plus pecuniæ euomit, quàm ſeptem nobiliſsimæ & maximæ Europæ, aut Aſiæ, aut Africæ vrbes ſimul egerere valeant.

Atqui Cæſar cum Aquiſgrani anno xx. ſacramentum Germanicorum Cæſarum ſeptemuiris illis electoribus Germanicis Principibus cunctis, & ciuitatibus ſic expoſcentibus præſtitit de ſeruandis veteribus eccleſiæ ritibus, & cæremonijs, de dignitate Pontificis Romani cōſeruanda, de religione Chriſtiana, quàm longiſsimè propaganda, de maieſtate Romani Imperij defendenda, ac tuenda, fatis, ſin-

 perq;

perq́; officio ſuo,& iuriſiurandi religioni feciſſe,iudicandus eſt,repertis, & ad Chriſtianiſmum deductis tot gentibus. Viderint alij quid iurauerint, quidq́ue præſtiterint.

Conſiderentq́; velim imprimis,vtrum hoc ſacramentum tàm ritè, tàm ſolemniter, tàm religioſè, tàm piè, tàm grauiter, tàm deliberatè, tàm ſanctè, ab eo flagitatum, & ſponſione ſua iurata firmatum ſemel, iterùm, ac tertiò tactis Euangeliorum ſacroſanctis libris, & Euchariſtiæ ſumptione vallatum, vnquàm illi remiſſum, vel eraſum,vel (vt vocant) diſpenſatum,vel legitimè,vt iuris, & moris antiqui vetuſta authoritas poſtulat,ablatum ſit.

Certè quomodocunq́; Deus illas tandem controuerſias funeſtiſſimas finiet, hic Cæſar Carolus Maximus extrà omnem noxam erit multorum ſapientum iudicio. Scriptum eſt enim: vouete,& reddite vota veſtra Deo: & iterum,non ſumes nomen Domini tui in vanum: iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.

Nolo autem hîc rurſus quiſquam arbitretur, me hoc loco velle aliquem perſtringere: tantum enim hoc à me abeſt, quàm id quod abeſt longiſsimè.

Sed eò hęc dicũtur,vt illi qui homines Phalariſmi,aut Monarchię iniquorũ inuaſorum, aut idololatrię crimine perſtringere conarentur prius totam hominum vitam, actioneſq́; diligenter perluſtrent, & quid illis cum bonis, & ſanctis viris, & heroibus cõmune ſit, quid rurſum habeant à tyrannorum Idololatrarum,& violentorum Monarcharum natura alienum conſiderent,atq́; cognoſcant.

Quoties Cæſar in bello belli fortunam contrà hoſtes, in optima belli occaſione noluit experiri? ne vel Deum tentare, vel Reip. ſalutem in diſcrimen deuocare, vel vitæ hominum paruam rationem habuiſſe coargui,& repræhendi à Cenſoribus poſſet.

Neq́; ea res vitio Cęſari verti debet,ſi Monarchiam Gallicam,aut Germanicam, bellica virtute nanciſci noluit. Sed eo maior eius eſt laus,atq́; gloria,quod cum omnium propè mortalium iudicio,ſi annisus fuiſſet,id conſequi potuiſſet,quod potuit,noluit.

Et fortaſſè id non erat in numeris Quadragenarijs: ac diuinæ voluntatis arcana myſteria hucuſque non ſe extendebant.

An non Cæſari ſatis eſſe debuit quod duo extima mundi veteris latera in Europa & Aſia? ac rurſus duo paria latera: in Africa, & Europa, Aſiaq́;: ad quatuor mundi veteris Cardines: in Oriente, Occidente, Auſtro, Borea: Cæſareo & Auſtriaco ſanguini ope & auctoritate ſua paruerint?

An nō Calecutij, & molucarū & carmaniæ & alios quāplurimos Aſiæ Reges auſtriaco ſanguini amicos, Socaos, vectigales, effecerunt auſtriacæ victoriæ? Septem chiliadibus Leucarū Carolinarū diſtant molucæ à freto gaditano, omnes tam ingentis maris oceani, Sinus: portus: promontoria: vrbes: Regna, claſſes: diuitiæ: auſtriaco ſanguini fauent & parent: quę dignitas? quanta amplitudo? quāta maieſtas?

Quadraginta magnis, & illuſtribus victorijs (vt dixi) hic Cæſar in veteri, & nouo orbe potitus eſt. Septuaginta bella ad finem, per ſe op tatum perduxit. Quæ, qui volet ordine intelligere, cum cauſis, & rationibus, & originibus bellorum, cum occaſionibus belli gerendi, cum neceſsitatibus ſuſcipiendi belli (Cęſar enim hoſtibus ſe nullum bellum intuliſſe, ſed illatum ab illis ſemper: neceſſariò, & quàm lentiſsimè, atq; tardiſsimè ſuſcepiſſe: magis ſui tuendi, quàm alterum le dendi cauſa dictitabat) cum diſciplina militari Cæſaris, cum ſuis, & ſuorum Proregum, & Nauarcharum aut Trierarcharum, aut Magiſtrorum equitum, aut Dictatorum, aut tribunorum, aut Centurionum concionibus: aut militum veteranorum vocibus, & fiducia (illæ enim multum ſemper auſpicij, & fęlicis omnis antè victorias at tulerunt): cum apparatu claſsium: delectu equitum, peditum, nauium, tormentorum, & bellicarum machinarum: cum oppugnationibus claſsium, vrbium, arcium, totorumq; ſæpè caſtrorum: cum deſcriptionibus marium, alpium, collium, vallium, amnium, fontium, ſyluarum, nemorumq; cæduorum, oppidorum, munitionū, promontoriorum, portuum, littorum: cum metationibus caſtrorum, eorumq; munitionibus, & vigilijs: cum commeatuum, & impedimentorum cōuectionibus: cum pontium naualium inſtrationibus: cum viarum militarium explanationibus: cum acierum ordi nationibus, earumq; progreſsionibus: cum cornuum flexionibus lunaribus: cum alarum circumfuſionibus, ac totorum exercituum impetu, & concurſione: cum victoriarum adeptione. Deinde qui muralem, qui ciuicam, qui naualem, qui vallarem, qui vrbicam, qui prouincialem, qui triumphalem coronam meruerint: adeptiq; ſint laborum militariū præmia duplices, aut triplices, aut quadruplices, aut quintuplices, aut ſextuplas, aut ſeptuplas annonas: cū virorum fortium nomenclaturis: cum expugnationibus validiſsimarum munitionum: cum dubijs plærumq; dimicationū, & incertis euentibus, & hoſtium inopinatis ſuperuentibus: cum emiſſariorum timoribus: tyronum horroribus: cum equitum aſſultibus: cum veteranorum conſtantia: cum auxiliariorum fugis: cum commeatuum,

& ſtipendiorum direptionibus:armentorum interceptionibus:copiarum recenſionibus: cum excubiarum triplicium, quadruplicibus mutationibus:cum trianguli,& ſeptenarij militaris in tota bellica diſciplina(cuius vſus latiſsimè patet)conſeruationibus,& tuitionibus:cum victoriarum partim fame,partim fama,partim lue, partim ferro,partim æſtu,partim celeritate,partim cunctatione adeptis laudibus:cum illarum adeptarum victoriarum finibus ſemper pientiſsimè,& moderatiſsimè à Cæſare queſitis,& retentis: intelligere,& verè ſcire:hæc qui volent: illis Germanica Belgica lingua, hiſtoria vberrimè de his rebus ſcripta foret perlegenda.

Neq; enim hîc mihi ſumpſi res hiſtoriographorum more,& ordine narrare:quemadmodum nec volui Panægyricos ſcribere.

Sed Reipublicæ noſtræ ſuccinctam picturam:& imaginẽ optimi, pientiſsimi,ſanctiſsimi Cæſaris vobis ob oculos ponere ſum conatus,cum ſumma prouidentiæ diuinæ laude,& admiratione.

Quod ſi huius virtutes,& victoriæ Caroli,in vna lance ponãtur: ac aliorum Principum pariter virtutes,& victoriæ in altera libræ lance appendantur,quod facile eſt factu. Tunc æquus Iudex conſiderata lingua libræ,quid loquatur de Cæſare Carolo,videbit, atq; audiet. Ac tùm ſibi de ſe,vt oculatus,videns,& audiens teſtis, non alijs de alijs credet. Et cuius virtus,vitiumq; præponderet, & degrauetur: rectiſsimè,certiſsimeq; diſcernet.

Ego hoc mediusfidius affirmare bona fide auſim: nihil me nec patriæ Gandauo,nec Flandriæ,nec toti Belgicæ, nec Hiſpanorum, aut Germanorũ,aut Italorum,laudi,nec ipſi Cæſari tribuiſſe, quod putarem,aut crederem à vero alienum.

Sed ſi ea,quæ ſunt:ſcripta ſunt, vt ſunt : quis mihi hoc crimini vertet?

Perſequamur nunc igitur aliquid de nouo iſto orbe (vt cupitis) dicere.

Septem in nouo orbe voluit Cæſar Carolus maximus eſſe maximos,& ampliſsimos Senatus. Quorum quidam Cancellariæ vocantur,nempè in Fano dominici:in Mexico:in Guatimala: & Nicaragua:in noua Granata:in Regibus ciuitate Peruaca: in Cuba eſt Gubernator:& in noua Galicia ſunt quatuor Prætores,qui vocantur Alcaldes maiores.

Duos conſtituit Proreges,quorũ vnus mari Meridionali, & eius littoribus,& locis Mediterraneis dominatur, & habitat Regibus in Peruaca prouincia:quò nunc eſt miſſus Diegonus Azeuedius: ſed

mortuus

mortuus(vt aiunt)non peruenit. Alter mari Septētrionali, & eius latiſsimis littoribus dominatur: & locis, prouincijſq; Mediterraneis: habitans in Mexico, qui nuper fuit D. Ludouicus à Velaſco.

Sunt Gubernatores plurimi, ſiue Proconſules: vt in Boriqueno, Panama, Cartagena, Venezuela.

Sunt Adelantadi Preſides prouinciarum à præeundo, aut prius ſe dēdo ſic dicti: quemadmodum Franciſcus à Monteio in Yucatano.

Sunt præterea Alcaldi Ordinarij, qui ſunt Prætores vrbium. Sunt & Conſulares prouinciæ: ac in ciuitatibus maioribus habitāt, quos Corregidores appellant: quorum electio, & deſignatio pertinet ad duos Proreges in ſuis duobus Regnis, ſeu potius Imperijs.

In Fano dominici eſt Archiepiſcopus, & habet ſub ſe ſex Suffraganeos Epiſcopos. Videlicet Cubenſem, Boriquenſem, Honduranū, Panamanum, Carthagenam, & diuæ Marthæ, ſic vt Archiepiſcopus ſit ſeptimus.

In Mexico eſt Archiepiſcopus, & illi ſubſunt ſeptem Epiſcopi, videlicet Xaliſconius, Mechauacanus, Guaxaca, Taſcala, Guatimala, Chiapa, & Nicaragua.

In Regibus ciuitate Peruaci Regni nobiliſsima: eſt Archiepiſcopus: cui ſubſunt inter cæteros Epiſcopi: Cuſconus, Quitonus, & Charcas, & quotidiè plures fiebant.

Rex Caſtellæ eſt caput, & patronus omnium Archiepiſcoporum Epiſcoporum, dignitatū, & beneficiorū eccleſiaſticorū, noui orbis.

Itaq; ipſe illos deſignat pro ſuę arbitrio voluntatis. Ac id, aliaq; habet ex permiſſu Pontificis Romani: cuius diplomatis exemplū vidi.

Nouus ille MVNDVS CAROLINVS in mari Boreali, quod appellant Germani, & Belgæ Noortzee: Hiſpani Norte: habet in dimēſione littorum SEPTEM MILIA LEVCARVM communium, quibus Belgæ Gandaui in Cęſaris Caroli Maximi patria vtuntur: quarū ter ſeptem leucæ conficiunt vnum latitudinis, ſiue altitudinis gradum, à ſeptentrione Boreali in Auſtralem plagam metiendo.

Singulis autem gradibus attributa ſunt ſeptuaginta milia paſſuū à Ptolomeo: qui floruit antè duas hebdomades ſæculorum: hoc eſt, anno centeſimo, bis Quadrageſimo poſt natum Chriſtum.

Septuaginta autem milia paſſuum conficiunt ſeptem decades miliariorum Italicorum, ſiue Britannicorum.

Orbis hic vetus(nam nouum cum cæteris ignorauit) à Ptolomeo diuiſus fuit in nouies Quadraginta gradus: quos partiēs in quatuor quaterniones: aſsignauit ſingulis quaternionibus bis Quadraginta,

&decem gradus:qui compacti,& coadunati excreſcunt in trecentos ſexaginta gradus. Ac totidem dies numerant noui orbis Carolini incolæ in vno anno: ſed illis intercalabant, & interponebant dies quinq;: quos habebant toto anno celeberrimos veluti noſtrum paſcha noſtri.

Vultus igitur hic,ſiue globus rotundi orbis noſtri non plani,ſed ſphærici:terram in ſe,mariaq; complectens:continet in longitudine trecentos,ſexaginta gradus:& totidem in latitudine. Quia ſicut eſt orbicularis,& globoſus:ità eſt æquè latus,ac longus.

Septuaginta milia paſſuum Romanorum faciunt vnam,& viginti leucas,ſiue miliaria communia:hoc eſt, ter ſeptem leucas communes,quibus Cæſariani ciues Gandaui in Flandria vtuntur: quæ conueniunt cum ſeptemdecim leucis Caſtellanorum, & media leuca, menſura Hiſpanica.

Itaq; à Septentrione Boreali(quod ſignum eſt in Polo arctico immobile)ad lineam ęquinoctialem:ſunt gradus latitudinis,ſiue altitudinis nonaginta. Ab æquinoctiali linea ad ſeptentrionē Auſtralem, (quod ſignum eſt in polo antartico,pariter immobile)ſunt nonaginta gradus. A Septentrione Auſtrali complectente ſeptem ſtellas in eodem polo antartico immobiles:rurſus ad lineam æquinoctialem ſunt nonaginta gradus.Et rurſus à linea æquinoctiali ad ſeptentriones Boreales,& polum noſtrum arcticum:ſunt nonaginta gradus.

Longitudinis autem gradus,qui numerantur,ab Oriente in Occidentem:ſunt ſimiles,& pares numero.Sed quia nullum in Oriente,aut occidente certum,& fixum eſt ſignū:ad quod humanus oculus(rebus omnibus circulariter,& ſphæricè ſeſe mouentibus) poſsit certò collimare:Calculus illîc eſt magis anceps,difficilioriſque indagationis.

Duo autem ſunt ſeptentriones, hoc eſt, ſeptem ſtellæ fixæ: vnus in parte Boreali,ad polum arcticum: alter in parte Auſtrali, ad polum antarticum.Et hi appellantur mundi axes:in quibus mundi rota,tanquàm in cardinibus,voluitur.

Lapis magnes,& ferrum eo lapide attactum,qui index eſt omniū naucleroruṁ,ac ſine quo indice difficillima,& periculoſiſsima eſſet in mari omnis nauigatio:ſemper reſpicit Septentriones Boreales.

Ac ſecundum eum indicem nauigant etiam in polo antartico,& ad fretum Magellanicum(licet quidam eum illîc conuerti aſſerant) Eſt autem fretum illud longum,ter Quadraginta leucas Carolinas Gandauenſium:latum duas.Ac in illo freto ARAS CAROLI MAXI-

MI,

MI, ET COLVMNAS CAROLI MAXIMI reliquerunt, cùm Magellanus, tùm alij, qui illum ſecuti Nauarchæ illuſtres fuerunt.

Noui orbis Cæſarei Carolini dimenſio in mari Meridionali, ſiue Auſtrali, quod Hiſpani appellant Zur, ſiue Zuyder zee more belgico, eſt dimidio minor ea menſura, quàm diximus eſſe in mari Boreali: ſicut hactenus à Cæſarianis Heſperijs Nauarchis eſt enauigata: & continet in ſe TRIA MILIA, ET QVINGENTAS leucas cõmunes recto calculo, qui rurſus dimidium ſeptenarij condit.

Noſter orbis vetus quâcunq; eas, conficit ſeptem milia leucarum communium, ſiue ab Auſtro in Boream, ſiue ab Oriente in Occidẽtem pergas, habita ratione graduum Ptolemaicorum, quibus nihil hactenus laudatius, aut perfectius repertum eſt in Coſmographia.

Septem erunt climata orbis, ſi ſingulis climatibus vnam chiliadẽ leucarum communium attribuetis.

Ac ſi ſingulis climatibus decem parallelos injjciatis, parallelisq; ſingulis, ſingulas centurias leucarum adijciatis, iàm ſeptuaginta parallẽlos, & ſeptuaginta centurias leucarum orbis habebit.

Si rurſus ſingulis parallelis decem meridianos addatis, ſingulisq; meridianis decem leucas concedatis, jam ſeptuaginta decades leucarum orbis habebit.

Quos ſi in gradus Ptolemaicos contrahatis, quorum ſinguli continent ter ſeptem leucas Gandauenſes Carolinas, id eſt, communes: apparebunt nouies Quadraginta gradus, hoc eſt, ter centum, & ſexaginta gradus, in quos ille partitus orbem, ſpacia telluris, mariſq́ue diſtribuit.

Eſt autem veriſimile, & ferè neceſſe in Meridionali orbis noui plaga, hoc eſt, ad polum antarticum, & fretum Magellanicum (vbi aræ, & columnæ Caroli Maximi cõſtitutæ ſunt) eſſe latiſsima, vaſtiſsimaq; terrarum ſpacia: quæ fortaſsè noſtri continentis parti Meridionali, hoc eſt, promontorio bonæ ſpei (quod eſt in India Africana extimũ) ex diametro reſpondeant. Ipſum enim eſſe, & freti Magellanici nomen indicat, & multorum Heſperiorum Nauarcharum nauigationibus iuſſu Cæſaris Maximi ſuſceptis, cognitum eſt.

Sed antequàm aliquis vniuerſarum terrarum orbẽ vltrà vtrumq; tropicum arcticum, & antarcticum circuierit (quód hactenus factũ non eſt: aut ſi factum eſt, ad aures meas nondum peruenit) nemo rectè magnitudinem mundi, vniuerſitatiſq; rerum immẽnſarum menſus fuerit.

Ac

Ac eum quidem ad vtroſq; ſeptentriones, & axes progredi oporteret, ſi poſſent fata viam oſtendere: vt quid de vniuerſitate rerum maximarũ eſſet, iudicaret: qua in re quantis hebdomadis opus eſſet, numerare haud conuenit.

Iudicia Dei Abyſſus magna: quis iudicabit iudicantem omnia? infractus illabatur orbis, quem intrepidum ferient ruinæ? Quis enumerabit res innumerabiles? Quis finiet res infinitas? Quis erit ſapientior ipſa ſapientia? Quis celerior ipſa celeritate? Quis melior ipſa bonitate? Quis potentior ipſa poteſtate? Quis ſanctior ipſa ſanctitate? Quis verior ipſa veritate? Quis maior ipſa magnitudine? Quis æternior ipſa æternitate? Quis prior omni rerum principio? Quis poſterior omnium rerum fine? certè ſolus Deus.

De quo in Elegeia, quam ſcripſi ſtans pede in vno de Homelia illuſtris, & reuerendi D. Franciſci Patieci eccleſiaſtæ Cæſarei, & Regij viri ſancti per eum ad Cæſarem habita, pridiè nonas Iunij Bruxellæ, in ramentis ſyluæ Arduennæ, quod parcum appellant. Sic cecini ipſis nonis Iunij, cum quid relegerem. Quis cauſam effectum præcedere iuſsit? Et omni principio rerum ſe cupit eſſe prius.

Sacramentum equidem Regis non pandere pulchrum arbitror, & ſacram Regibus eſſe viam. Sumpſerat ille autem ex duodecimo capite Thobiæ illa verba pro themate Homeliæ, in die feſta ſacramenti? SACRAMENTVM REGIS ABSCONDERE BONVM EST: eratq; Cæſar præſens.

Ac ego illius cócionis cum vndecimuiris auditor fui, & Cæſarem, quem tantopere animus meus ſemper coluit, & obſeruauit, illic prudenter prudentem vidi, non imprudenter imprudentem.

Fuit quidam Sebaſtianus à Cano appellatus, qui vltrà æquinoctialem egreſſus, cum naui VICTORIA dicta, triennio vndè egreſſus fuerat, nauigans, in Hiſpanias reuertit, ac in tellure, vtrorumq; antipodum anchoras fixit.

Atq; ille quidem multa Aſiæ, Africæ, Europæ littora circumnauigauit: vltra lineam æquinoctialem ſeſe extendens (quam veteres inhabitabilem fuiſſe ob æſtus vehementiam putabant, ſed falſò) ſed vltrà vtroſq; ſeptentriones Boreales ſcilicet, & Auſtrales noluit, aut nõ potuit tantillo temporis ſpatio progredi.

Ac ego illi ad id faciundum vnam hebdomadem annorum concederem. Ac ſi hebdomas vna annorum non ſufficeret, aliam adderem: ac rurſus aliam: atq; id tandiù eſſet faciundum, ſeptem nauibus ad ſingulas claſſes pro ſupplemento ſemper additis (more Zelan-

dico

dico, qui ſeptimo quoque anno aggeres marinos adaugent, idque Euenthitum vocant: hoc eſt tempus ſeptennale) dum certiora, maioraq; crebrius intelligerentur.

Certè nemo Deum vnquàm maiore pietate, veneratione, aut latria coluit, quàm qui eius potentiam, amplitudinem, immenſitatem, infinitatem, æternitatem, ſapientiam, veritatem, clementiam, bonitatem, & amorem erga humanum genus, optimè, pientiſsimè, & verecundiſsimè contemplatus eſt, & conſiderauit.

Quod quia Cæſar noſter Carolus ſemper fecit, illi Deus ſua arcana, & myſteria ſi cuipiam alteri, etiam ipſi patefacta eſſe voluit.

Mundus totus habitabilis eſt: & non ſolum habitabilis, ſed habitatus.

Neque quenquam æſtus, aut frigus à viuendo, & habitando deterret.

Si enim in Oceano vndiquâq;, & in omnibus climatibus viuunt, & nutriuntur, & fœcundi ſunt piſces, & aues in omni cœlo, & ſolitudine reperiuntur, & arbores vegetantur, creſcunt, folia ſumunt, deponuntq; relicto in tellure ſemine, aut ſobole ſurculorum, cur non pariter homines?

An ea, quæ naturalia telluri, & rebus creatis Deus eſſe voluit, contrà ſolam, & ſolius hominis naturam erunt, & non contrà naturas cęterorum animantium?

Atqui legitur in Geneſi, quòd omnia ſubiecerit homini: fuitque illa prima benedictio Dei ad humanum genus: creſcite, & multiplicamini, & replete terram.

Atqui ſecundum veteres, terra nullo modo eſſet repleta, ſi torrida zona ob æſtum, ardoremq; ſolis calentiſsimi inanis, ſi arctici, & antarctici poli ſpacia, ob immenſitatem frigoris, vacua, & ſine hominibus ſemper fuiſſent.

Ea autem quæ ſunt ſecundum naturam, non poſſunt eſſe naturę contraria.

Vbicunq; ergò frumentum, aqua, frutices, legumina, arbores, lapides, animantia, naſcuntur, aut ſunt, inuecta, & illata, homines eſſe poſſunt.

Alimenti inopia, & libertas intercluſa, & intercepta itinerum, magis vitæ hominum ſunt impedimento, quàm ſolis æſtus, aut polorũ frigora, & hyemes.

Qui enim fieri poteſt, vt ſol, cuius tanta eſt benignitas, tanta claritas, tantus ſplendor, tanta immenſitas, tanta facultas, tanta rotunditas,

tas, tanta vnitas? Qui ſanguini, & vitæ, & calori animantium omnium, & luci, & lumini dominatur, & ſtirpibus, arboribus, fruticibus propinquitate ſua, folia, fructus, ſementem induit: ac diſceſſu ſuo exuit: rurſuſque quaſi res mortuas redeunte verè regenerat, atq; reſuſcitat, tàm ſit hominum generi infeſtus? Tàm telluri infenſus? Tàm aëri, tàm aquæ ſuæ inimicus, atq; hoſtis? Vt ſocietatem hominum certis locis admittat, reliquis excludat, & tanquàm faciat exulare?

An non in medio conſiſtit Sol?

An non paribus à medio radijs in Oriente, Occidente, Septentrione, Meridie, omnes æquè gratè illuſtrat? omnibus tenebras adimit? omnibus ſe conſpicuum? beneficumq; repræſentat?

Sunt igitur Antipodes, & Antæci, & Paræci, vt alio loco demonſtrabitur.

Et ſunt duo Hæmiſpheria mundi, quorum vnum diem, alterum noctem noſtram complectitur.

Vnum, veterem Aſiæ, Africæ, & Europæ continentem, illiſq; adiacentes inſulas: alterum complectitur nouum orbem Carolinum, illi in æquilibrio (mari interiecto) reſpondentem, fretiſq; diſtinctum, ac planè æqualem.

Etſi tota antiquitas in contraria his de rebus fuit ſententia.

Et ſemper id tamen, & vbiq; verum erit, quod cecinit poëta: Os homini ſublime dedit, cœlumque videre iuſsit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Oceanus enim ambit tellurem, & illi tales ſunt termini, & vectes poſiti, ſicut legitur in ſacris literis, ne poſsit terras inundare diutius, nec magis, quàm Deus permittat, quanquàm ſit ipſa tellure altior.

Ac ipſe aër ità Oceano, tellurïq; incumbit, & circunfunditur, vt ceu aqua à terra, ità ille aër ab vtroq; ſit ſeparatus: & tamen in vtrunque pariter innitatur: ſuperficiem vtriuſq; opere concauo orbiculari, contegens, & ſepiens: cuius aëris conuexa ſuperficies aſtra, igneſq; cœleſtes reſpicit.

An non ipſi oculi côeleſtes, ità inter ſe ſunt diuiſi, & diſtincti, vt mutuo ſe concurſu, aut laniatû non perimant, non atterant, non offendant?

An non numeris, & ordinibus, certiſq; proportionibus, & menſuris conſtare videmus? in die, in nocte, in æſtate, in autumno, in hyeme, in vere, in animantibus, in ſtirpibus, in ſtellis, in aſtris?

Et

Et quarundam quidem rerum certas, & definitas, & perceptas motiones, & vias, vt ſolſtitia, & æquinoctia, & eclypſes veteres prudenter, tam in nouo orbe Carolino, quàm in veteri noſtro orbe ad notarunt: ex cognitione artium mathematicarum, & diuturna obſeruatione oculorum poſteris ore, vel literis tradita.

Sed vim earum, ac poteſtatem medullitùs, & naturaliter illis inſitam omnes veteres (pace eorum dixerim) ignorarunt: quemadmodum, & rationem alibi æſtuantis, alibi non æſtuantis Oceani neſciuerunt.

Atque ſi non omnium, certè multarum rerum maximarum cognitio ad tempora Caroli huius Maximi, ſingulari Dei optimi prouidentia reſeruata, & ſuſpenſa fuit.

Neq; tamen veteres hic ego reprehendo magna alioqui veri inueſtigandi cupiditate captos, & inflammatos, & celebres viros.

Non enim mirum eſt, ſi quod nunquam viderant, nunquam legerant, nunquam audierant, nunquam olfecerant, nunquam deguſtarant, nunquam tetigerant, nunquam ſenſerant: ne eſſe quidē poſſe vnquam putabant.

Quanquam verecundius, & modeſtius feciſſent, ſi à rebus ignoratis cohibuiſſent aſſenſionem, affirmationem, & negationem.

Quemadmodum enim cęcus rectè de coloribus non iudicauerit, ita nec ipſi de rebus non viſis.

Plato tamen quæ de inundatione Atlantici maris ſcribit, poſſent fortaſsis huc referri ex Tymæo & critia: ſed illæ ſunt coniecturæ, & narrantur tantum.

Scire eſt per cauſas cognoſcere eiuſdem ſcientiæ effectrices.

Atque ſcientiæ parens, & nutrix eſt mater experientia.

Veritas temporis filia eſt.

Tempora autem & anni ſunt in manu Dei ſolius.

At ille ſolus numeris, ponderibus, menſuris ſuis, ſuſtinet hanc rerum vniuerſarum immenſitatem: eamque mouet pro ſui libertate, & perennitate arbitrij.

Et qualis rerum omnium exitus futurus ſit, diuina eius ſapientia haud ignorat.

Nobis mortalibus duas oſtendit vias, vnam virtutis, bonitatis, & veritatis, alteram vitij, nequitiæ, & mendacij.

Permittitque nobis eligere, quam velimus ingredi: ſed poſtquam ingreſsi ſumus, quid de nobis futurum ſit, haud ignorat.

Fidendum eſt ſanguini innocuo ſanctiſsimi lacerati, & perforati, quinis vulneribus, & duabus ſauciationibus corporis Ieſu Chriſti, Domini noſtri pientiſsimi.

Eiuſque gratia ieiunio, oratione, eleemoſina, fide, ſpe, charitate, & bonis operibus, diu, multumque manè, & veſperi, media nocte, & meridiè, verecundè eſt imploranda.

Quemadmodum arbores, etſi vegetæ, virideſque, altiſsimæ, denſiſsimæ, & opaciſsimæ, folijs, floreque onuſtiſsimæ ſint, tamen ex fructibus earum cognoſcimus quales ſint: an ſuaues, & odoriferos fœtus an amaros, & inſipidos proferant, idque vnicum bonitatis, vel malitiæ arborum habemus argumentum.

Ita Deus ex cogitationibus, actionibus, ſermone, ſcripto, auditu, viſu, ſenſu noſtro nos iudicabit, boni ſimus, an mali.

Ac id ita verum eſſe ipſe Chriſtus exemplo vitæ ſuæ in omnes partes conſummatiſsimæ prius facto oſtendit, pòſt ore concionatus eſt.

Incœpit Chriſtus facere, & poſtea docere.

Idem Apoſtoli omnes, idem Martyres, idem Confeſſores, omnes denique Doctores, & ſacri homines, tam mares, quàm fœminæ, vita, moribus, homelijs ſuis: permiſſa etiam tyrãnis laceratione, & cõuulſione corporum ſuorum ſemper ſunt conteſtati.

Neque ab illa orbita maiorum cuiquam eſt diſcedendum: ac præſtat cum illis errare, quàm cum alijs ſapere.

Multi quibuſcum mihi de his rebus olim ſermo fuit, magis de verbis, quàm rebus diſſentiebant; alij viri notæ melioris ſibi planè interdicebant, quòd alijs indulgebant, ſicut de Diuo Hieronymo legitur: alij ſibi permittebant eas res, quarum rerum fruitione alijs interdicebant, ſicut de diuo Auguſtino legitur: quos ego patres hîc honoris cauſa nomino: illi enim cum Chryſoſtomo, Baſilio, Gregorio, Ambroſio, & Theophilacto, ſeptem baſes ſeptem columnas, ſeptem lampades Eccleſiæ Dei, conſtituunt: illæ ſunt ſeptem virgines prudentes, quarum oleum nobis eſt incendendum, ſi lumen Euangelij intelligere, & rectè cernere velimus.

Quod ſi iſti noui, veteres illos imitati doctores, à gremio Eccleſiæ Catholicæ non diſceſsiſſent, potuiſſent ingenij ſui fœtura orbem ad virtutis ardorem incendere. Nunc cum id non fecerint, in quas ſeſe, & nos anguſtias præcipitarint, exitus lamentabilis comprobabit: neque enim ebrietatis, neq; auaritiæ, neq; blaſphemiæ, neq; luxus

luxus, neque libidinum, neq; ſuperbiæ, neq; perfidiæ crimina ceſſarunt, illis in locis, vbi hæc noua recepta eſt doctrina, ſed vigent magis, quàm antea.

Chriſtus cum duodecim Apoſtolis, & Paulo gentium Apoſtolo, qui duplicem ſeptenarium nobis numerum oſtendunt, viua voce oleum Euangelij primò incenderunt, & nobiſcum communicarunt.

Ac ea quidem ſeptem libellis Apoſtoli conſignarunt, quorum quatuor Euangeliorum ſunt libri, quintus actorum eſt, ſextus epiſtolarum, ſeptimus Apocalypſis.

Rogandus eſt igitur, atque orandus Deus, vt nos clementer, & piè iudicet, ſpiramenq; diuini ſui, & ſanctiſsimi ſpiritus, ita nobis, mentibuſque noſtris inſpiret, vt eius gratiam prius quæramus, poſt inueniamus.

Quærite, inquit, & dabitur vobis: pulſate, & aperietur vobis: & iterum, venite ad me omnes, qui onerati, & grauati eſtis, & ego reficiam vos.

Vnus eſt ſanè mundus, quemadmodum vnicus eſt Sol, vnus eſt Deus, vna Lex, vna Fides, vna Gratia, vnum Euangelium.

Ac ipſe quidem mundus, vt videmus, & audimus, multas Inſulas, multa maria complectitur.

Vniuerſitas enim rerum, quæ cœlo, terra, mari, aëre compræhēditur, mundi vnius appellatione continetur.

Et centrum mundi rotundum eſſe debet: ne ſi quadratum ſit, ad angulos æquales, aut inæquales fiat colliſio in motibus orbicularibus.

Et eſſe centrum rotundum ex Eclypſibus, & æquinoctijs, & cæteris vmbrarum obſeruationibus, & Matheſi ſatis liquet.

Sed ſumma, & certa harum rerum cognitio Deo relinquenda eſt ne videamur contra vetus prouerbium, ponere os in cœlum vt Deo ſua ſapientia diuina, cum ſumma imperij, & pulcherrimi decoris maieſtate integra, illibata, & inuiolata ſeruetur.

Septem ſunt prouinciæ noui orbis maiores, ſiue Conſulares: quarum maximè Borealis eſt florida: cuius latera extrema amnem Neuadum, & terram laboratoris attingunt, & Groenlandiam, Iſlandiamque, ad ducentas Leucas reſpiciunt.

Eſt eo loco FRETVM VICTORIAE CAROLI MAXIMI SACRVM, & dedicatum: quod mirum eſt mercatores Belgas nunquā

penitius inſpexiſſe, ſed Hiſpanorum ea debuit eſſe gloria, qui non vt Indi, & noui orbis incolæ Aborigines olim ebrietatibus,& idololatriæ, ſed virtuti, & gloriæ, cùm Principis ſui, tum Dei noſtri Ieſu Chriſti ſemper(quoad licuit)ſtuduerunt, operaſq; nauarunt.

Neuadus eſt in ſexaginta gradibus Ptolemaicis altitudinis poſitus.

A Neuado amne, vſq; ad Maluas, ſunt ducentæ leucæ.

Totum illud littus, quod appellant terram laboratoris,ac in Auſtraliori parte habet Inſulam dæmoniorum, eſt ſimiliter poſitum in ſexaginta gradibus Ptolemaicis, hoc eſt, in 60.gradibus altitudinis Borealis, ſiue latitudinis terrenæ, quam metiuntur Coſmographi à Borea in Auſtrum.

Illinc ſecunda prouincia eſt Hiſpania noua.

Hinc Prouincia tertia, terra firma vocata.

Hinc Andalouſia noua, prouincia quarta.

Hinc Breſillia, prouincia quinta, quæ paret Ioãni Regi Luſitaniæ ſororio Caroli maximi: de cuius laudibus, & victorijs in ſinu Arabico, & Perſico contra Turcas nactis Damianus à Goes Eques Luſitanus abundè differit. Ac ego quidem gentem Luſitanicam propter Damianum, Reſendium, Oſorium, multoſque alios, ſed præcipuè propter ſummam prudentiam, cum ſumma humanitate, & authoritate coniunctam, quam iampridem in illuſtri Heroe Roderico Gomeſio à ſylua Meliti Comite perſpexi, qui ſummus Philippi Regis noſtri iuſti eſt Cubicularius,& Conſiliarius magis,ac magis colere, & venerari cœpi.

Atq; illæ quidem prouinciæ omnes poſitæ ſunt ad mare Boreale, quod reſpicit veteris orbis noſtri littora in Occidentali noſtrorum littorum plaga, vſq; ad fretum Magellanicum, quod reſpicit Meridiem, ſiue Auſtrum noui orbis. Ad quod littus à Paria ad fretum Magellanicum modici ſunt æſtus marini: reliquo littore nil ferè tale videtur: aut raris locis: ſed in mari Auſtrali Peruaco maximi ſunt æſtus, ſic vt ad duas leucas littora nudentur, vel inuoluantur quotidiè fluctibus.

At in mari, quod ipſi Hiſpani appellant mare Zur, & Belgæ appellant Zuyderzee: & latinè ſignificat mare Auſtrale. Vnica eſt Peruaca prouincia ſexta: vbi ſunt Chile, Quito, Cuſco,Reges, Platana,Loxa, Portus vetus, Guayaquile, Guanucum, Pax, Valles, & ſimiles vrbes, & Dynaſtiæ.

Septima Prouincia eſt illa,quæ nuper reperta eſt contra caput bonæ

næ ſpei obiecta,& freto Magellanico longiſsimè reſpondet,veterem & nouum illum Carolinum reſpiciens orbem.

Inter Cuſconem,& Quitonem media ferè via tranſit tropicus Capricorni.

Inter Andalouſiam, & terram firmam,Prouinciam ſic appellatã, tranſit linea Æquinoctialis.

Per mediam Inſulam Cubenſem tranſit tropicus Cancri.

Reliqua extrema, & freta duo, tangunt duo tropici Borealis, & Auſtralis.

Et hæc quidem ſecundum mappas, & deſcriptiones Nauarcharum Carolinorum Cæſarianorum, alij aliter ponunt, quibus non reſiſto:ſed me ad Gaſcam remitto, cuius tabulas Cæſar Carolus hactenus arcanas eſſe voluit:ego tamen Cæſaris globum àRupelmondano mercatore confectũ, & inſtrumento horologico à Ianello impoſitum mobilem vidi,qui ſic continebat.

D. Petrus Gaſca nunc Epiſcopus Palentinus Comes Pernienſis, vir illuſtris, pius, ſapiens, & eruditus pulcherrimam nuper ex nouo orbe Carolino victo,& cæſo Gonzaluo Pizarro victoriam auſpicijs Cæſaris noſtri Caroli Maximi reportauit.

Quo in prælio Pontifices, viriq; ſancti, Carolini orbis incolæ,nõ vt tyrones, ſed vt veterani, & triarij milites pro Centurionibus, & Tribunis fortiſsimè,acerrimeq; pugnarunt.

Gaſca Cæſari Auguſtæ vindelicorum anno quinquageſimo ſæculi noſtri, & vitæ Cæſaris, omnium rerum veriſsimam, & multis idoneis teſtibus, & locupletiſsimis teſtimonijs confirmatam, & corroboratam narrationem, & hiſtoriam commemorauit.

Ac poſteà iuſſu Cæſaris eandem literis arcanis mandauit, vt cæterorum narrationes, & ſcripta ex illo commentario cenſuram, & obelos paterentur.

Non eſt prætereundum omnes Indos, & noui orbis Carolini incolas,& accolas:fieri quotidiè magis,ac magis Chriſtianos. Vnus ſacerdotali fungens dignitate ſepties centena hominum milia baptiſauiſſe illic in Archiuis Caroli legitur. Alius ter centum, alius centum milia, alij plures, alij pauciores, res ſanè admirabilis,& planè obſtupeſcenda noſtris hominibus viſa eſt. Sed Caroli res geſtæ aliæ adhuc maiores,magiſq; laudatæ extiterunt.

In ſolo Mexico referunt multi, & inter cæteros Hiſtoriographus Franciſcus Lopez à Gomara vir apprimè eruditus, ſyncerus, & pius. Ac idem confirmat Marchio Vallenſis, Corteſij filius, compluresq;

alij viri cum omni exceptione maiores, tum ſumma laude, ſummaq́; fide digniſsimi: triginta fuiſſe dynaſtas, quorum quilibet habuerit ſub ſe centum milia hominum, aut circiter: & tria milia toparcharum, qui & alios ſub ſe habebant Clientes fiduciarios, & beneficiarios Vaſſallos, Valuaſores, & Valuaſinos, qui Dynaſtæ certa anni parte familiam ſuam alebant, in ciuitate Mexicana Curia clari Regis Moteczumæ: & ex ea non erat illis integrum diſcedere, ad ſuas prouincias, & dynaſtias, niſi impetrato commeatu regio: ac relictis ſuis liberis, aut fratribus in ciuitate vadum, atq́; obſidum loco: ne de illorum abſentum fide, aut integritate Rex Mexicanus dubitare, aut ſiniſterius ſuſpicari cogeretur.

Vno die mille plærumq́; homines in ciuitate Mexicana immolabantur.

Omnia idola illîc per Ferdinandū Corteſiū, Marchionem Vallēſem auſpicijs huius noſtri Caroli Maximi, de aris deturbata: demonibus malignis, & idolis illorum idololatrarū ſilentiū indictum: oracula, & præſtigiæ conticeſſere iuſſæ ſunt: lex & pietas Chriſtiana populo toti patefacta: pluralitas vxorum detracta: vna illis conceſſa vxor: ſacramentum matrimonij, baptiſmatis, & euchariſtiæ, cum reliquis quatuor Eccleſiæ ſacramentis illis conceſſum (eſſe autē ſeptem, nemo ſanus ambigit) ac illis cæteros Eccleſiæ Romanæ ritus ad iungi Cæſar mandauit.

Hæc Cæſaris Maximi victoria, an non digna eſt, quæ omnium gentium linguis, & ſermonibus, & libris, & cantibus, & teſtudinibus, & citharis, & arte muſica omni, decantetur, & celebretur?

Septem magna opera Corteſij narrantur, de quibus ipſemet ſæpè Deo gratias egit, quod ea auſpicijs, & fœlicitate Caroli Maximi tam proſperè accidiſſent. Primò quòd naues iuſsit incendi, quibus applicuerat ad littus Mexicanum, vt ſocijs præriperet fugæ occaſionem, accenderetque pugnandi ardorem.

Secundò, quòd illam maximam vrbem Mexicanam cœpit: Narbayſamq́; profligauit.

Tertiò, quòd potentiſsimum Regem Moteczuma in ſua Metropoli vrbe cœpit.

Quartò, quòd vrbe eiectus claſſem reedificauit, antequam diſcederet à littore.

Quintò, quòd vrbem rurſus cœpit, diripuit, incendit, vaſtauit.

Sextò

Sextò, quòd idola omnia de aris deturbauit, nullo indianorum prius admonito, ipſemet ſtipatus tredecim viris ſolis: crucemq; aræ ſummæ præfecerit, quanquam ducenta milia Indorum eo die, eaq; hora, partim in magno illo templo, partim circum templum illud eſſent.

Septimò, quòd vrbem totã reedificauit: & multò ampliorẽ, auguſtiorẽ, munitiorem, populoſiorẽ, ditiorem, meliorẽ, & chriſtianã effecerit, eamq; PALATIVM CAROLI vocant. Habebat Corteſius colorem fuſcum, parum barbæ, latum pectus, & altum, & tumeſcens: vir liberalis, pius, fortis, omnia in ſe regia habens, præter diadema.

Tota orbis noui Carolini terra, in alpes, planiciem, & ſyluas diuiſa eſt.

Cæſar cùm audiſſet nouum orbem ſeditionibus, & auaritia Prætorum rerum vrbanarum, & Proconſulum, Præſidumq; prouincialium, & Præfectorum Prætoriorum, aliorumq; anteceſſorũ quorundam diuexari: diſſentionibus Proregum, & Senatuum ampliſsimorum quorundam agitari, atq; conuelli re cum ſummo prętorio indico in Hiſpanijs permanente communicata, & deliberata: ex Senatuſconſulto bis ſeptem virorum (quorum ipſe Cæſar caput, & vertex erat) Barchinonæ 20. Nouẽmbris, anno ætatis ſuæ, & ſæculi noſtri, altero, & Quadrageſimo (quæ erat ſexta ſuæ vitæ hebdomas annalis) dedit nouo orbi Peruaco Quadraginta nouas Leges, quarum promulgationem, curam, cuſtodiamq; credidit Blaſconi Nunezo, Velæ Proregi, additis illi, Cepeda, Teiada, Hortenſio, & Aluareſo Senatoribus.

Sed multis de cauſis hoc loco haud commemorandis, magnorũ motuum, magnarumq; turbarum in noui orbis Regno Peruaco, poſt ęarum legum lationem origines, & fomites emicuerunt.

Sed Cæſar, qui nouo orbi libertatem, & pacem reſtitui ſummoperè cupiebat, miſit poſteà eò D. Petrum Gaſcam Præſidem noui Peruaci orbis, qui ſapientia, & æquitate iuris dicundi, omnia in tranquillum, & optimum Reipublicæ ſtatum redegit.

Ac is quidem Gaſca à veteribus Romanis originem ducit, qui Caſcæ dicebantur, quorum vnus fuit ex interfectoribus Caij Iulij Cæſaris. Eſtq; vir tanta vitæ, & morum ſanctitate prædıtus, vt ne vnã quidem vnciam auri, ex tot myriadibus chiliadum auri pondo Cæſari, & militibus conceſsi, ſibi attribuerit.

Res ſtupenda, & ſumma hominum omnium, & Cæſaris, & Re-

gis Philippi, & veſtra illuſtres Equites laudatione digniſsima.

Ea certè res omnium Fabritiorum, Camillorum,& veterum Romanorum virtutem, abſtinentiam, continentiam vicit, & ſuperauit.

Habet apud ſe Gaſca ille noui orbis exactiſsimè confectas tabulas, quas ſi diligenter me perluſtrare contingeret,cum illius cômentarijs,veracius,& diſertius cuncta nouo volumine de Maximi noſtri in nouo orbe geſtis rebus edifferentur.

Sed nunc nos intereà ad veterem orbem noſtrum,& vitam Cæſaris Maximi tranſeamus.

Neq; interim id mirum cuiquam videri debet, ſi tantoperè numerum ſeptenarium celebrê:cùm ſeptemuiri in Germania Carolũ Maximũ Imperatorẽ elegerint, Regemq; Germaniæ deſignarint.

Et fuerunt in Germania à multis ſæculis ſeptem Archiepiſcopi, ſicut & in Gallia,& Hiſpania,& Italia.

Etſi labente ſæculo ex Epiſcopis, nunc fiant identidem Archiepiſcopi.

Nomina illorum clariſsimorum bis ſeptemuirorum, qui leges noui orbis Quadraginta tulerunt,referuntur à multis ſcriptoribus, & inter cæteros ab illo Lopezio,cuius libellus de Mexicana hiſtoria plane ſit legendus ei, qui noui orbis res geſtas prius cognoſcere quã cenſere cupiat.

Et quo tempore ego in Gallijs iuri, & foro operam dabam, ſeptem illîc erant parlamenta, ſeptem ſupremæ omnium curiæ:nempè Pariſienſis, Tholoſana, Rothomagenſis, Burdegalenſis, Diuionenſis, Aquenſis,& Gratianopolitana.

Cæſar quoq; in Belgica, cùm dictaturam Belgicæ depoſuit, ſeptẽ habebat prætoria, à quibus non appellabatur, nempè parlamentum Maclinienſe:Cancellariam Brabantiæ, Cancellariam Geldriæ, Cancellariam Tranſyſulanæ: Senatum Friſiæ,Senatum Traiectenſem,& Senatum Hannoniæ.

Et rurſus ſeptem Prætoria, à quibus appellatio admittitur, Flandrenſe,Hollandicum,Artheſienſe, Lucenburgenſe, Namurcenſe, Inſulenſe,& Tornacenſe: & oppida maiora ferè ſeptem habent portas,ſeptem vias militares maiores,ſeptemq; parôechias.

Bruxella autem vbi Caroli Cæſaris,Regis Philippi,Eleonoræ Galliæ Reginæ,Mariæ Pannonum Reginæ,Maxæmiliani, & Mariæ Caroli filiæ, bohemiæ Regis, & Reginæ: & Chriſtiernæ Chriſtierni Danorũ Norvvegiæ,Svvetiæq; Regis,ex Iſabela Caroli Cæſaris ſorore

core, filiæ, olim Mediolanenſis, nunc Lotharingiæ Ducis fœminæ lectiſsimæ, & ſapientiſsimæ, aulæ ſeptem, cùm hæc relegebantur, rant: quantum ad ciuitatis domum, & Pyramidem vrbicam: quã tum ad magiſtratus vrbicos, ad vias militares in campum martium eorum reductas, & ad cætera hoc loco breuitatis cauſa prætereunda tota poſita, & collocata eſt in numero ſeptenario.

Qui numerus cùm ſit perſpectiſsimus, haud mirum, ſi Cæſarem Carolum, eiuſq; aulam, cùm Cæſar ipſe totus in numero ſeptenario ſit poſitus teres, atq; rotundus, vt ita dicam, ad ſe potiſsimum inhabitandum, & inſidendum inuitauit, atq; pellexit. Neq; tamẽ hæc dico, quòd numerorum vlla ſit potentia, ſed vt perſpiciatur diuina prouidentia.

Nec rurſus mirum, ſi Nuremberga à Bruxellenſi ciuitate (quemadmodum olim Roma ab Athenis, & Spartha) formam magiſtratuum, legumq́ue ad Rempublicam gerendam petierit, eiq́ue eam ob cauſam adhuc quotannis, enſem maximum, gratitudinis ergo dono mittat.

Nuremberga enim, vt in vmbilico Germaniæ ſita eſt, ita vmbilicum virtutis, perfectionemq; menſurarum ſemper eſt conſectata, & ab omni tumultu religionis nouæ cauſa abſtinuit, Cæſariq; Carolo ſemper fuit vna ex omnibus Germaniæ ciuitatibus addictiſsima: reliquæ Germaniæ vrbes, quæ ab hac virtutis perfectione, & pietate fideq; Cæſari Carolo præſtanda deſciuerunt: quantum damni, infamiæ, horroris, victoribus intra muros receptis pertulerint, ipſę me tacente ſatis loquuntur: ac hæc ſcribo cum dolore, eiuſque rei tres Hallerici VVolfangus, Chriſtophorus, Robertus, viri eius ciuitatis clariſsimi, in aulaq; Cæſarea, & Regia notiſsimi: locupletes mihi futuri ſunt teſtes: ac Ioannes Stratius Conſiliarius Caroli Cæſaris, Nurembergæ, Carolo Cæſare præſente, formam, faciemq́ue, eiuſ ſic depinxit, & obtulit Reipublicæ, vt nulla ſit in Germania vlteriore ei conferenda, aut certè anteferenda.

Septem Regum filiæ Carolo Maximo vxores in vita deſponſę fuerunt, quarum vnam tantum duxit Iſabelam ſapientiſsimi, & optimi Emanuelis Luſitaniæ, & Algarbiorum Regis filiam formoſiſsimam, atque tenerrimam, ex qua ſeptem ſuſcepit proles.

Nec mirum, ſi ad eam animum potiſsimum adiecit, Maxæmilianus enim Cæſar huius Cæſaris Caroli auus matrem habebat Luſitaniæ Regis filiam, quæ fuit vxor Frederici Imperatoris Auguſti: qui poſt Octauium Auguſtum quàm diutiſsimè Romanum Imperium

rexit,

rexit, videlicet annis liij. & Caroli Burgundi mater, huius Cæſaris noſtri abaui, filia erat Regis Luſitaniæ, Vxor Philippi Burgundi vulgò boni dicti. Et ipſe Cæſar Eleonoram ſororem Emanueli Regi, Catharinam ſororem Ioanni Luſitaniæ Regi vxores dedit: & filium ſuum Philippum Regem, & Dominum noſtrum clementiſsimum cum filia Ioannis Regis: & filiam ſuam cum filio vnico eiuſdem Ioannis Regis Luſitaniæ collocauit.

Sic vt ſeptem connubijs Cæſar Carolus ſtirpem ſuam paternam cum Luſitanica Regum ſtirpe colligatam concernat, omniumq́ue horum connubiorum ſobolem florentiſsimam, proſperrimamq́ue videat.

Taceo maternum Cæſaris latus, quod variè cum Luſitana Regũ familia implicitum, & innexum erat.

Ex his autem matrimonijs hoc commodi Reſpublica cepit, vt Auſtriaci, & Luſitanici ſanguinis par eſſet in nouo, & veteri orbe perenniſq; ſocietas.
Atq; hæc obiter de nouo orbe
dicta ſufficiant.

Finis libri ſecundi.

VEllem, ſi fieri potuiſſet Principes, vt quæ de Caroli Cæſaris geſtis perſcribi potuiſſent: ea vel ex vobis aliquis: vel ex eloquentibus, & ſummis oratoribus quiſpiam ſcripſiſſet: vel mihi ſaltem meo more res Cæſaris percurrendi ſpatia concederentur.

Sed quoniam me multi ex vobis ſæpe rogarunt, qui ius imperandi habebant: vt ex ſua, non mea hæc ſcriberem ſententia: aggrediar incœptum opus: non tam perficiundi ſpe: quàm experiundi voluntate.

Malo equidem cum illuſtriſsimorum Equitum ſtudio ſim obſecutus: requiri, & deſiderari in me ſcribendi peritiam. quàm ſi id non fecerim, quod illi mandarunt, obedientiam.

Ac fuit illud tempus cum veſtrûm nonnulli, paria quoq; ab ipſo Cæſare Carolo exigerent: videlicet vt rerum omnium per ſe ſuoſq; Tribunos geſtarum narrationem conficeret.

Sed ſpem cogitationum, & conſiliorum veſtrorum: cùm graues Reipublicæ Chriſtianæ, tum varij Cæſaris, veſtrique caſus interruperunt.

Nam cùm bellum Prouinciale. cùm bella Allobrogica: cùm bellum Cathalaunicum: cùm bellum Metenſe recordabatur: nihil ſe vnquam magis inuitè feciſſe Cæſar ipſe dicebat.

Quod igitur ægro animo ſuſcepit, vt illa ſic gererentur: quomodo eum perſcribere voluiſſe, quare illa geſsiſſet, credendum eſt?

Ac mihi quidem ſæpenumerò in Maximum Carolum, & maximo ingenio, & iudicio præditum intuenti: quærendum eſſe viſum fuit: quid eſſet, cur omnibus in bellis, bella cum Gallis geſta, maximè deteſtaretur.

Sed nimirùm maior quædam, & diuinior res fuit in Carolo quā homines multi ſuſpicabantur.

Ex illis enim virtutibus, & excellentibus rebus Carolus Maximus conſtabat vniuerſis: quibus in ſingulis aliquid efficere, glorioſum videtur.

Itaque ex infinita multitudine Cæſarum, & Regum: hunc extitiſſe vnum ſæpè ſum admiratus: qui id quod cum multis Cæſaribus & Regibus à Deo communicatum fuit ſolus: vel cum vno tantum commune habuerit.

Quin verò, quo vno homines maximè præſtant beſtijs: videlicet ratiocinatione: in eo homines omnes antecelluit.

Ac

Ac eius quidem ratiocinationis vis, & finis omnis in Dei gloria, & Reipublicæ vtilitate conſumebatur.

Eam autem cum ex Regum, & Principum Chriſtianorum concordia: tum ex vero, & pio numinis cultu capiendam, & [illegible]ndá rebatur.

Ex omnibus autem Principibus, & Regibus Chriſtianis: vnum Galliæ Regem chriſtianiſsimum: plurimi in animo ſuo ſemper fecit.

Quem ſi poſſet ad ſocietatem belli Turcici fœderibus, & affinitatibus ſemel pertrahere: ſummam, & vltimam ſe Reipublicæ operá illam nauaturum eſſe dicebat.

Itaq; ille aliquando Mediolanenſem ducatum, in animo habuit, Franciſci Regis liberis donare: nonnunquam Belgicam totam: nonnunquam res alias maximas, atq; grauiſsimas eius amicitiæ largiri: vt eum Reipublicæ lucrifaceret. & in communem hoſtem: & ad ſalutem communem Cæſar contendens: amicum, ſocium, fratrem eum haberet. Sed peccata hominum in cauſa fuerũt (ſicut arbitror vt Cæſar quam rem ex omnibus vnam: ſummo ſemper ſtudio concupiuit: pacem videlicet Gallicam: eamq; firmam, & ſtabilem: ea non niſi parciſsimè, & dubitanter vſus ſit.

Sed ipſe Deum tamen ſemper rogabat vt quod ſibi pacis Gallicę occaſiones omnes appetenti: à Deo conceſſum non eſſet: id filio ſuo Philippo: poſteritatique, & familiæ ſuæ Deus tandem concederet.

Neque enim ſe viuum: nec cùm moreretur ea præcepta cuiquã liberorum, aut conſanguineorum, aut affinium, daturum: quæ Gallicæ pacis conſilia poſſent diſturbare.

Sed ſi ſibi, liberiſq;, & poſteritati, in id ſtudium pacis ſemper incumbentibus, res optatas aſſequi: affinitatibus, & fœderibus non contingeret.

Tum Principes, & ciuitates prouinciarum ſuarum exortás eſſe cupiebat: ne ſaluti communi deeſſent: & vt bella, quæ [illegible]s inuitis, & obluctantibus: toties offerrerentur, & ingererentur ab hoſtibus & publicæ tranquillitatis, & concordiæ inimicis: ſiue illi Turcæ: ſiue Hæretici: ſiue Galli eſſent: magno animo, conſilioque, omnia illa ſuſciperent.

Neque ea parte abſiſterent, quòd nõ omnes ſucceſſus proſperos: in bellis, & prælijs nanciſcerentur. Sed finem adipiſci contenderẽt: qui eſt, vt in bello iniuſto, ablata: pace iuſta reſtituantur: limiteſq;, & fines

fines prouinciarum ſuarum, omnes ſtudioſiſsimè tuendos, cuſtodiendoſq; curarent.

Amabat ipſe Galliæ populos: & ſe Gallum natum eſſe non ibat inficias: ac ob id cùm videret toties oboriri noui Gallici belli ſuſcipiendi fomites, acerbiſsimè illos ad animum admittebat ſuum.

Et tamen cùm in ipſis Gallicis expeditionibus verſaretur: & Galliæ Regem nec ad pugnam, nec ad pacem elicere poſſet (frequenter enim Gallus prælia cum Cæſare propinquis caſtris detrectauit) iocās & perfacetè dicere ſolebat: vel plus audaciæ, & fœlicitatis: vel minus verborum, & odiorum quibuſdam ex illis ineſſe debere.

Nunc ad bella quædam paucis perſtringenda aggrediamur: cauſæ autem bellorum, in hiſtoria dicentur.

Bellum Allobrogicum primum.

ANNO ætatis Cæſareæ, & ſæculi noſtri trigeſimo ſexto, natum eſt bellum Allobrogicum primum: in quo magnis operibus obſeſſum Foſſanum Gallo Cæſar ademit: dedente oppidum Palicia Tribuno Gallico: ſeptingenti Equites illic ſub iugum à Cæſare miſsi fuerunt.

Bellum Prouinciale.

HINC Prouinciale ſecutum eſt bellum: in quo aquas ſextias, ampliſsimam, & ampliſsimo Prouinciæ Senatu ornatam ciuitatem aliaſque ſeptem Prouinciæ vrbes, & ciuitates Cæſar expugnauit: & cum Boyſiaco, & Monteiano: duobus Gallicarum turmarum Ductoribus, proſperrimè Ferdinandus Gonzaga veſtet collega: & leuis armaturæ Equitum Præfectus, accurrente Cæſare conflixit. Ipſe autem Cæſar exiſtimans Galliæ Regem ad duellum eſſe venturum: (vt ſe facturum anteà oſtenderat) cùm eum ab omni dimicatione abſtinere, tam propinquo loco caſtra vltra ſe habentem ad Auenionem videret, copias in Italiam per Vaſtium reduxit. Ac ipſe triremibus primùm Genuam: illinc in Hiſpaniam ſe recepit: mandata belli cū Gallo, & in Italia, & in Belgica gerendi Tribunis ſuis cura.

Bellum Italicum octauum, quod Genuenſe dicitur.

INTEREA dū Cæſar in Prouincia longè, lateq; omnia in poteſtatē ſuam redigit: Andreas Auria Melphitanus Princeps littora Maſsilię

legebat,magnoſq; commeatus in caſtra Cæſaris comportabat. Hac occaſione Comes Guido Rangonus,& Cæſar Fregoſus Genuenſis: duo rurſus Gallici Ductores, Genuam abſente Auria copijs Gallicis inuadere annixi ſunt. Sed cum ſcalis admotis,& vi tentata, multos Centuriones amiſiſſent:ſerò didicerunt fortiſsimè,& fœliciſsimè ſeſe à Genuæ poſſeſsione reiectos. Atque ita nulla re magnificè geſta, receptui cecinerunt. Auguſtinus Spinula, magnam hoc bello conſeruatæ vrbis laudem retulit. Caninus Gonzaga,Comes Hannibal àNoualara,& Petrus Strozzi Florẽtinus tres Gallici Ductores in hoc bello Genuenſi fortem Regi Galliæ:ſed fruſtra operam nauarunt.

Bellum Belgicum ſecundum.

CVM eſſet Carolus Sabaudus indicta cauſa, ſine vllo iuris tramite auunculus à nepote ſuo Franciſco Galliæ rege ex Sabaudia,& Allobrogibus eiectus,moleſtiſsimè illud Cæſar tulerat:ac eius reſtituendi cauſa(vt qui Vicarius eſſet Imperij)Cæſar Carolus in prouinciã fuerat tranſgreſſus.Et quo tempore Cæſar illic verſabatur, Hẽricus Naſſauij Comes,& Adrianus à Croia Comes Roeſij,duo perilluſtres veſtri ordinis Equites:ex Belgica Carolina,in Belgicam Francicã, cũ exercitu denunciato bello irruperunt.Acprimũ multa caſtella:mox Guyſiã vrbem,& arcẽ oppugnarũt,expugnarunt,diruerũt.Hinc Clerium oppidũ:hinc Royã vrbem ſeptem miliaribus vltra Somonam amnẽ diſsitam,cũ exercitu circũuallarunt,cęperũt,incenderũt.Hinc Peronam obſcderunt:quam prius copijs ſuis circumplexi fuerant.

In Peronenſi obſidione Comitem Dammartini Gallicum Tribunum,multoſque Gallicos Centuriones:cuniculis ſub arcem ductis, & incenſis:ex arce,& vita eiecerunt.

Mareſchallum Marchianum Florengij Dynaſtam, & Sercuſium Dynaſtam, ita ipſa in obſeſsione, dimicationibus,& diuerberationibus vrbicis defatigarunt:vt vterque vrbis Præfectus magni apud Gallos nominis:breui exanimatus ſit.

Per hoc tempus Pariſiorum ciuitas, verita proſperrimos Cæſarianorum iu prouincia ad Rhodanum, & in Belgica Francica ad Somonam ſucceſſus: ſummo in timore verſabatur: ne accedentibus duobus victoribus exercitibus:manus dare cogerentur.

Itaque nouas foſſas, nouaque propugnacula, Cardinalis Bellaius Pariſijs erigebat: ac ille quidem ſeditione militari(ob negata ſtipẽdia)illic ferè abſumptus fuit.

Bel-

Bellum Belgicum tertium.

Cvm vno eodemque die cæſariani ex prouincia, & ex Belgica Frãcica, iuſſu Cæſaris diſceſsiſſent: & illa quæ ad pacem, à Pontifice Paulo tertio, & ab alijs nonnullis adferebantur: paruos progreſſus haberent: quin verò Galli Simpolium in Artheſia communirent: & Heſdinium poſt diutinam obſidionis morã pactione nacti eſſent: altè admodum in pectus cæſarianorum id factum deſcendit. Itaque Florentius ab Egmonda Burenij, Lærdammijque comes, florentiſſimus collega veſter, contracto in Belgica carolina florentiſsimo exercitu, properè in Artheſiam accurrit, gallicis copijs occurſurus: & ſi caſtra haberent, cum illis concurſurus. Galli pedem referentes, in præſidijs ſe ſuis continebant.

Erat in Simpolio oppido fortiſsimum, & copioſiſsimum gallicũ præſidium: ac in eo flos iuuentutis Francicæ æſtiuabat. Multa enim noua propugnacula, nouoſque aggeres multos, illic Franciſcus Rex præſens cum exercitu, excitauerat. Burenij comes aduertens pugnę copiam à Galliæ Rege nullam fieri, ad Simpolium ſtatim caſtra tetẽdit, vt Simpolio in diſcrimen adducto (quæ creatura Franciſci Regis dicebatur) Gallus ad prælium excitaretur.

Maxæmilianus Yſelſtenij Dynaſta, Burenij comitis filius, immoderatæ, & incognitæ fortitudinis adoleſcens: communicato cum Reginaldo Brederodij, Vianenſiumq; Dynaſta conſilio, vbi ſinuoſum aggerem, noto opere, ad munitiones à patre perductum eſſe ſenſit, ſubitò ex planicie vrbi ſubiecta, cum expeditis cohortibus, ad vrbis mœnia prouolauit.

Cùm impreſsionem Cæſariani militis, Galli non tolerarent, vnico horæ ſpatio, quinq; lectiſsimorum iuuenũ Gallicorum milia fuerũt trucidata: vrbs capta, direpta, cremata. Iacobus Touteuillanus Prætor Pariſienſium Villebonij Dynaſta, & Martinus Regulus Yuetoti, in Normandia, duo Gallici Torquati ordinis Equites, illic capti fuêre: cum multis alijs vrbis, & pręſidij Præfectis. Hac victoria clariſſima adepta comes Burenij Monſtrolium, latiſsimam, copioſiſsimãque illius Picardici tractus vrbem lunatis caſtris aggreditur. Præerat vrbi Canaplius cum validis cohortibus: ſed cùm arma Bureniũ latè circumtuliſſe ſenſit: poſt vim, metumque vrbi allatum, eam dedidit. Hanc Cæſariani compilarunt, ac incendio miſerabiliter totam deformarunt: hinc latè populatus antea agros, caſtellaque vicina depredatus, ad Morinorum Teruanam caſtra fixit.

Cui cùm ſuppetias tuliſſent Annibaldus, & Pieneſius:duo fortiſ ſimi gallici proceres(quorum ille Admiraldus Galliæ factus notior eſſe cœpit)illic prælio commiſſo profligati in reditu, & capti milita riter fuerunt.

Poſt id prælium Annas Montmorancius, iuſſu Franciſci Galliæ Regis: fœdus trimeſtrium induciarum ad Bomiacum in Belgica:cũ Maria Pannonum Regina, Cæſaris ſorore percuſsit. Ac illa,ſpe futuræ pacis incitata exercitum dimiſit.

Bellum Allobrogicum ſecundum.

ALPHONSVS Daualus Marchio Vaſtij,poſt mortem Antonij Læuæ factus gubernator Inſubriæ:aduertit comitis Guidonis Rangonij,gallicarum copiarum Ductoris,conatus nihil pacis, aut concordiæ ſecum adferentes.

Itaq; poſt Tomaſium Ronciũ,Lælium Filiomarinum,Girolamũ Camerinũ,comitem Hannibalẽ à Noualara,Gulielmum Delphinalem,& Zageſſam Ariminenſem in certaminibus cũ comite Guidone Rangone,eiuſq́; copijs nunc hic,nũc illic commiſsis cęſos:non exiguã ſpem concipiebat:frangendi Gallorum cũ tempore impetus.

Quocirca dum in Belgica bellum adhuc vigebat: Caſale oppidũ in agro Monferratenſi à Gallis occupatum, expeditis caſtris eripuit: ac interempto Chriſtophoro Gualco,cepit Præfectum vrbis Buriacum procerem gallicum, cum omnibus ſuis equitum, peditumq́; alis. Ac duo milia hoſtium opem Buriaco latura, de via auertit.

Fuit ad Caraium Antonius Toreſanus, per Marchionem Salucia rum, iuſſu Vaſtij in fugam verſus: & Carminola per Cæſarem Neapolitanum tormentis pertuſa, & vi capta fuit. Eius loci Præfectum Stephanum Ballianum Mutinenſem Vaſtius(vt Marchionis Saluciani cineribus parentaret)laqueo ſuſpendi iuſsit. Humerius à gallico Rege cum nouis vltra alpes copijs miſſus Buſcam inuadere cœpit.

Sed Quadraginta milites Hiſpani: etſi continentibus ruinis nudatus murus eſſet: fortiter caſtellum defenderunt: ac ab eo Candalium, & comitem Berlingerium, duos præcipuæ inter Gallos authoritatis Duces deiecerunt.

Humerius totius exercitus gallici in Alpinis agris Legatus: hoc primo ſuæ militiæ tranſalpinæ conatu deſtitutus: varias Germanorum Gallo merentium Centurionum diſſentiones pertulit: Albam tamen aſtu militari nactus ad Pinarolum ſe continuit.

Vaſtius

Vaſtius Marchio Albæ iactura cõmotus: Cherium inter Aſtam, & Taurinum poſitam: vrbem amplam, & locupletem, corona cinxit: ac latè murorum ſtrage edita, interiora vrbis patefecit: ac ſigno prælij dato, per vim in vrbem euaſit: multiſque trucidatis, Acciaolum Italum, & Dynaſtam Ramonem Vaſconem, duos gallicos Tribunos in carcerem duxit.

Hinc Moncalerium pari vi obruit.

Hinc Chieraſcum inter Albam, & Pinarolum ſitum oppidum, magnitudine caſtrorum ſuorum circumcingens: & omnia munitionum latera verberans: pugnæ ſuis indicium fecit. In ea pugna cecidit Liuius vrſinus, Bartholomæi Daluiani filius: peruicaciter, & obſtinatè gallicis partibus fauens Tribunus.

Poſt cuius necem Cæſar Fregoſius gallicorum conchiliatorum Torquium Eques celeberrimus: cum Aloiſio gonzaga nomine Vaſtij pactus: dedit Chieraſcum.

Hinc ad Albam copias Vaſtius duxit: in qua erat Iulius vrſinus, Vincentius Strozzi, & Ortiga quingentorum militum ſinguli Præfecti.

Cùm ita vrbem tranſuerberaret, vt nuſquam in muro conſiſtendi illis faceret poteſtatem: ad vrbis deditionem repentè illos compulit.

Cùm his cæſarianarum victoriarum fluctibus alpina iuga intumeſcerent: Vaſtius, vt Gallum ſemel ex omnibus alpibus profligaret: binis caſtris Taurinum, & Pinarolum circumſedit, & ad vltimam famis tolerantiam eas coegit.

His rebus in Galliam perlatis ſummus mœror Franciſci Regis animum, omniumque procerum gallicorum inuadebat.

Annas itaque Montmorancius Galliæ Conneſtablius, veritus ſi Vaſtius Taurinum, & Pinarolum, per duriſsimam militum famem & eſuriem reciperet: Galliſque omnibus in Italiam redeundi tramites omnes præcluderet (iam enim & Suſam, & alia caſtella multa in medijs alpibus Vaſtius edomuerat) ne omnia pacis conſilia difficiliora redderentur: Henricum Galliæ Delphinum, ardentiſsimo animo militarem gloriam expetentem ſecutus: commeatum vel cum diſcrimine prælij in vrbes obſeſſas inuehendum curauit. Id ſine prælio aſſecutus, & prioribus comitiis Guidonis Rangonis conatibus anno ſuperiore obtentis contentus (cùm Vaſtius tutis, & præſidio copioſiſſimo impoſito permunitis vrbibus, & intra caſtrorum munitiones ſe contineret) ad pacis conſilia animum appulit.

Ac illius fiducia conſequendæ, ex ſententia Franciſci Galliæ Regis fœdus trimeſtre (quale antea in belgica) & ipſe pariter cum Vaſtio icit. Hoc fœdus de trimeſtri in trimeſtre prorogatum: & in prouincia Narbonenſi repetitis legationibus rurſus productum: occaſionem attulit Cæſari Carolo ex Hiſpanijs: & Franciſco Regi ex Celtica: ad Nicæam allobrogicam in maris Liguſtici littore conueniendi.

Induciæ Nicænæ.

AD Nicæam vltra Varum amnem, Italiam à Gallia diuidentem: primò venit Pontifex Romanus Paulus eius nominis tertius: antea Alexander Farneſius vocatus.

Deinde Carolus Cæſar ex Hiſpanijs ſoluit: & cũ triremibus ſuis littora Maſsilienſia prælegens: incidit in gallicas triremes: quas hoſtili animo, & more, ſuis occurrentes cepit.

Hinc in portum Nicænum, qui villa Franca vocabatur: aliquot milibus paſſuum ab vrbe diſsitum peruenit. Ac ne victoria naualis Franciſco Regi diſpliceret: triremes (liberatis à gallica cathena quibuſdam Cæſarianis: & machinis ſuorum notis inſignitis recuperatis) ei reſtitui mandauit.

Poſtremò ad Villamnouam: cis Varum amnem: venit Franciſcus Galliæ Rex. Cum Cæſare erat Ferdinandus Aluarus à Toleto Dux Albanus: Bertrandus à Cueua Dux Alburcercij: Manricus à Lara Dux Naiaræ: tres illuſtres veſtri aurei velleris Hiſpani Equites: complureſque ex belgica, Italicaque nobilitate veſtri Collegæ. Cæſar prior Pontificem ſalutauit: dein Gallus: ac tandem induciæ decennales, poſt Quadrageſimum diem, quàm principes de pace conueniſſent ineunda: die xviij. Iunij. anno xxxviij. inter illos: terra, mariq́ue: vltra, & citra alpes: pactæ ſunt. Quibus hoc cautum fuit: more edicti Prætorij: VTI POSSIDETIS, ITA POSSIDEATIS, ET QVO MINVS ITA POSSIDEATIS, VIM FIERI VETO.

Colloquium ad aquas mortuas, inter Cæſarem Carolum, & Franciſcum Galliæ Regem.

ETSI Paulus Pontifex, ſummè & ad Nicæam: & poſtea ad Genuã: vtrobique cum Cæſare in colloquium eo tempore frequenter veniens: elaboraſſet, vt pax ſolida inter Reges coiret: nunquam tamen

men id perfici potuit. Quapropter Cæſar viam paci cum periculo capitis, & fortunarum ſuarum ſternere cupiens: per Cornelium Scepperum Legatum ſuum: Franciſco Regi ſignificat:ſe ad Maſsilienſem oram: in eius conſpectum venire cupere, & colloquium. Scepperus cum Veliaco Gallo rem communicans: coniunctim ad Regem Franciſcum duabus triremibus vectus, vterque proficiſcitur. Ac Franciſcus quidem tanta videndi, & amplectendi Cæſaris cupiditate ferebatur: vt illum diem in vita ſe fœlicisſimum habiturum eſſe dixerit: quo Cæſarem pro veteri ſua hoſpitalitate Hiſpanica: amicè, & beneuolè complecti poſſet. Ferdinandus Marchio Aguillariæ: Nicolaus Perenottus Granuellæ Dynaſta: & Franciſcus Cobonus Leonenſis militiæ præfectus: qui induciarum decennaliũ à Cæſare miſsi, authores extiterant: & Ioannes Lotaringiæ Cardinalis: ac Annas Montmorancius magnus Gallicæ Curiæ Magiſter: à Rege Franciſco ineundi fœderis oratores, apud Nycæam deputati: multum & ipſi omnes allaborabant: vt ſyncera cum Regibus amicitia coaleſceret.

Erat quidem Granuellæ Dynaſta ob id notior Regi: quia eo capto: in fœdere Madricio paciſcendo: & illo liberando ex carcere: ſtrẽnuam iubente Cæſare operam nauarat.

Cæſar Genuæ verſabatur: ac vt Pontificem ſibi obſtringeret: ad Italiam pro ſalute communi contra Turcas defendendam: filiam ſuam Notham Margaretam (quam ante matrimonium in Flandria habuerat: & quæ anno ſuperiore vidua Alexandri Medices Florentinorum Ducis effecta fuit) nepoti eius ex filio: Octauio Farneſio Camerinorum Duci deſpondit: ac Pontifici valedixit. Ac poſtea intelligens Franciſcum Galliæ Regem à ſua amicitia pariter non abhorrere: Andreæ Auriæ (in cuius ſuburbano palatio tũ verſabatur) præcipit: vt triremes anchoris ſubductis, in mare educat: ac rectà Maſsiliam petat. Sed in itinere admonitus Gallum ad aquas mortuas fore: eò claſſem direxit.

Franciſcus Rex de his rebus certior factus: ad aquas mortuas (vbi foſſæ ſunt Marianæ) properans: in duas ſcaphas ſeſe demiſit: cum Hẽrico Delphino, & Carolo Aureliorum Duce, Ioanne Lotharingo Cardinale, & Anna Montmorancio: multiſque proceribus. Cæſar ad quadriremis ſuæ latus accurrens, Franciſco, liberiſque eius, & proceribus, dexteram porrigens, vlnis ſuis amabiliſsimè, ſummoque animi candore omnes complexus eſt.

Hinc in arcanum cum Gallico Rege colloquium in puppi ſua ve-

niens:longiſsimum, ſuauiſsimumque pariter & humaniſsimum:cū eo de totius Reipublicæ ſalute:& amore reintegrando, ſermonem habuit. Ac facta merenda nautica, illum cum ſuis in vrbem reuertentem, ad ſcalas quadriremis ſuæ deduxit. Deinde edicto facto ne quiſquam ſuorum, ſe inſcio, in terram deſcenderet: cum perpaucis, eiſdemque veſtris collegis illuſtres Equites: ad aquas mortuas: in vrbem gallicam, & ad oſtia Rhodani venit. Ac Quadraginta horis amiciſsimè cum Rege, & Regina Eleonore ſorore ſua chariſsima proceribuſque gallicis, conſumptis: certam cum Franciſco Rege inijt amicitiam:ita vt ſub Cæſaris vexillo, & in tentorio Cæſaris Caroli, Rex Franciſcus cum quàm maximis terra marique coactis copijs, ſe contra Solymannum Turcarum Dominum militaturum ſponderet.

Huius amicitiæ ſpe fretus Carolus: varia in quadrireme ſua, cum Andrea Auria, de Aſiaticis, & Græcis, & Africanis bellis ſuſcipiendis conſilia in itinere Hiſpanico communicauit: ac Reges, Principeſq; omnes chriſtianos de amicitia ſua cum gallico Rege amantiſsimè cōciliata commonefecit.

Bellum Corfinienſe, & Epeiroticum.

TVRCARVM Dominus Solymannus, exiſtimans Caroli, & Franciſci bella: ſuis bellis gerendis fore vtiliſsima, ad ea per multos incenſus cū Aiace Baſſa, & Muſtapha baſſa, cæteriſque bellici, & ſupremi ſui conſilij Ducibus: in maris Adriatici fauces ad Corfinium venit. Ænobarbus, & Luctibaſſa: & Ioniſbecus, maritimarum rerum & claſsium curam procurabant.

His copijs omnibus: interea dum ſuperiora bella Allobrogica, & belgica ſecunda durabant: magnam ſe cladem Cæſari in Regno quoque Neapolitano illaturum ſpoponderat.

Sed Andreas, & Antonius auria, duo clariſsimi veſtri ordinis Equites in duodecim triremes Callipoli venientes: & adhuc prius in vndecim alias naues ex Alcairo progreſſas, vterque incidens, omnes illas militariter excepit: ac hoſtiliter tractauit, cepitq;.

Dum in Epêiro Turcus verſatus ſummam Cæſari, & Venetis perniciem moliretur: ita illi, & in Epêiro, & ad Corfinium ab eo obſeſſum: Cęſar reſiſti curauit: vt cum ſumma ſuorum clade, Turcus, exercituſque eius abierint.

Mar-

Marcus grimanus, & Vincentius Capellus: ille Pontificis Pauli tertij: hic Venetorum in exercitu Legatus: præclaram hoc in bello Cæſari, & Reipublicæ, & communi Italiæ ſaluti operam præſtiterunt.

Bellum Hetruſcum ſecundum.

Qvo tempore in belgica, in alpibus, & ad Corfinium, & in Epeiro omnia bello ardebant: Florentiæ Alexander Medices à conſanguineo ſuo occiſus: dedit Philippo Strozi Bartholomæo Valori, Antonio Franciſco Albici, ac Ioanni à Marco Vito occaſionem Florentinæ ciuitatis, & Hetruriæ totius cum exercitu inuadendæ.

Galli multis de cauſis ſuas adiunxerunt copias: ſed Alexander Vitellus Caroli Cæſaris nomine in arce carolina Florentiæ agens, ſubitò collecto exercitu: illis ad Montemmurlum occurrit: & pugna cōmiſſa fudit omnes: ac quatuor illos Hetruſci belli authores, in arcē carolinam captiuos duxit.

Sub id tempus Carolus Coſmum Medicem Florentinis Ducem dederat. Atque hac ratione Hetruria nobiliſsima Italiæ prouincia, per Cæſarem pacata fuit.

Sub finem Iulij anno æui huius, & Cæſareæ ætatis xxxvij. ea pugna proſperrimè, & ad exitum belli gallici, tum ardeſcentis vtiliſsimè, per Cæſarianos pugnata fuit. Triplex fuerat hoſtium exercitus: ſed vnum prælium omnes profligauit.

Bellum Dalmaticum.

Havd procul ab Epidammo (vbi Raguſa ciuitas eſt) anno ſequente menſe Octobri, geſtum eſt bellum Dalmaticum, ad caſtrum nouum: quod cum duabus munitiſsimis arcibus: Andreas Auria, & Ferdinandus Gonzaga, duo illuſtres veſtri ordinis Equites Cæſaris iuſſu ceperunt, & expugnarunt.

Multi Turcæ ſicut anno priore ad Corfinium, hic quoque per Cęſarianos ad mortem adacti fuêre.

Cęſar Franciſcū Sarmentiū Hiſpanū, virū nobiliſsimum, atq; clariſsimum, cum legione Hiſpanica: ac Lazarum Albanenſem caſtro nouo (ſic enim oppidum illud vocabatur) præfecit. Et cùm ad reliquarum rerum in Græcia, & Aſia perficiendarum curam ſe componebat:

nebat:tum ad eam multas naues ex Belgica ſua Carolina euocabat anno proximo : interea mors imperatricis ex puerperio defunctæ: & mors Andreæ Griti Venetiarum Ducis : & inopia frumenti in locis maritimis interueniens : curas Cæſaris grauiores , & duriores effecit.

Profectio Cæſaris per Galliam.

ANNO ætatis , & æui Cæſarei xxxix. menſe Nouembri , Carolus Cæſar Gallias eſt cum perpaucis Principibus,pacis , & concordiæ veteris renouandæ animo , ingreſſus per Baionam:ad id faciendum multis Franciſci Regis legationibus,& literis inuitatus:ac ipſe quidē Lachienſi in agro Franciſcum Regem conueniens , honeſtiſsima de Republica chriſtiana tuenda,& religionis diſsidijs tollendis, conſilia cum illo habuit.

Hæc profectio omnibus ſummæ admirationi fuit:diffidentibus fidei Gallicæ,ac eam quidem contra omnium ſuorum conſilium Cæſar ſuſcipiebat.

Tumultus Gandauenſis.

EX GALLIA reuerſus Cæſar:poſtquam Henricum Galliæ Delphinum , & Carolum Aureliorum ducem , ac Eleonorem ſororem ſuam Galliæ Reginam , humaniſsimè,lautiſsimeque per triduum , ad Valentiam Belgicam excepiſſet : eodem in loco audiuit oratores Gandauenſium , flagitantium , vt eò Cæſar veniret,cauſamque ſuā cognoſceret . Quibus Cæſar reſpondit , ſe id ſed cum præſidio corporis ſui ampliore eſſe facturum . Ac Cæſar Bruxellæ aliquantiſper hærens immiſſo in vrbem Thamiſio cum legione vna germanica venit Gandauum . Reque cognita , & deliberata ſententiam, & legem dedit illis , quæ in hodiernum adhuc diem carolina vocatur. Ac ne ſimiles tumultus , Belgicæ totius perturbandæ occaſionem darēt arcem illic , ad fanum Bauonis , in ripa ſcaldis , à fundamentis totā nouam ædificauit , quatuor ampliſsimis propugnaculis illam veſtiens.Quæ Quadragenaria Caroli vocatur:eò quod anno ætatis cæſareæ:& æui noſtri Quadrageſimo,extructa fuiſſet.

Cum

Comitia Ratiſbonentia.

Cum eſſet Cæſar Gandaui: venit eò officij cauſa Ferdinandus Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, frater eius: cum quo, & Cardinale Alexandra Farneſio Legato Pontificio: & Selua, Vaurenſi Epiſcopo Galliarum Regis Legato, & Vincentio Cappello Legato Veneto, varia de rebus communibus, & ad ocium chriſtianiſmi pertinentibus habuit conſilia.

Gulielmus Cliuenſium Dux eò, ab Henrico Brunzuycenſium Duce perductus, quoque venit. Sed alienatio animi à Cæſare Regis Gallici, omnes honeſtiſsimos eius conatus, cõtra Turcas in Gręcia dimicandi fregit.

Itaque Ratiſbonam (dimiſsis humaniſsimè à ſe Principum, & ciuitatum Germanicarum oratoribus) profectus eſt. Vbi colloquiũ de religionis controuerſijs haberi permiſit. Sed cùm res non ſuccederet: & Gallus alieniorem ſe ab eius amicitia oſtenderet: ac prætextu Legatorum ſuorum in Inſubria amiſſorum, Georgium Auſtriam, Epiſcopum Leodienſem, Cæſaris auunculum, pacis tempore per Gallias ex Hiſpania venientem retinuiſſet: Cæſar ad Italicam profectionem ſe compoſuit.

Bellum Pannonicum ſecundum.

Bifariam Cæſar reſiſtendum Turcis: Pannoniam vtramque ſummis conatibus, & viribus aggreſsis: iudicauit.

Itaque Solymanno Fridericum Furſtenbergicum comitem collegam veſtrum, ad Auſtriam tuendam, anno xlj. cum legionibus germanicis obuium miſit: ac ipſe in Italiam tranſiens illato in Africam bello Turcam à diuturniore in Auſtria, & Pannonia mora reuocandum cenſuit.

Rebus omnibus in Germania deliberatis, concilium tridentinũ definiendis omnibus de religione controuerſijs expectandũ omnes ordines conſuluêre.

Fridericus Furſtenbergenſis comes: etſi Turca cum Maximo exercitu ceruicibus Auſtriæ immineret: confirmatus Ferdinandi Romanorum Regis copijs, fœliciter, fortiterque Solymanno Turcarũ Principi reſtitit: ne Viennam peſte per id tempus planè exinanitam cum perpetua Pannoniæ pernicie caperet.

Bel-

Bellum Africanum ſecundum, quod vocatur Algerenſe.

COMPARATA claſſe, Cæſar ad Algeram menſe Octobri in Africã nauigauit. Ac priuſquam ad ſpeciam vela ventis daret: lucæ Pontificem Romanum Paulum tertium, & Coſmum Medicem Florentinorum Ducem conuenit.

Iam antea Andræas Auria Siculis, Neapolitaniſque triremibus ſibi adiunctis: Turcas, & Pœnos Turcis fauentes: Clupea, Neapoli, Adrumento, Ruſpina, Tapſoque, & deniq; tota ea Africæ Regione, vna excepta vrbe Lepti (quæ Mahomedia à Pœnis, à noſtris Africa dicitur) ad Mænicis vſq; Inſulæ Syrtes depulerat. Muleaſsiſq; Thunetani Regis Imperio parere coegerat.

Eæ vrbes hodiè ſunt Calybia, Suſa, Mahometa, Monaſterium, Faxia, & Africa, quæ Pœnis Mahomædia dicitur.

Sed cùm Cæſar ad Algeram anchoras figeret, ac legionem Italicã Hiſpanicam, & Germanicam, in Mauritaniam expoſuiſſet: tanta ſubitò coorta eſt tempeſtas aëris, & maris, vt magna pars claſsis colliſa, in oculis Cæſaris mergeretur.

Hac Dei ira animaduerſa, Cæſar primùm valde religioſè, & piè, animum ſuum luſtratione expiauit: ac ſumpta ſacra (more Chriſtiano) ſynaxi, ſe cum Deo reconciliauit: Idem toti exercitui imperans: poſtquam loco accliui, & ſalebroſo, cum Mauris, Turciſque, aſperrimè manus ſemel atque iterum conſeruiſſet: ac Algerum Ducibus, militibuſque facillimum expugnatu videretur: non conquieſcentibus ventorum iris: militem ad naues progredi iuſsit: inquiēs MALLE SE VNVM CHRISTIANVM SERVARE QVAM MILLE MAVROS, TVRCAS, POENOSQVE, occidere.

Receptus ad naues non caruit ſumma difficultate: vno etenim tēpore, & contra hoſtes: & contra ventorum, & contra maris, & contra pluuiarum rabiem: Cæſari erat dimicandum.

Sed cùm multa tela hoſtium coſtas tranſadegiſſet, paſsimque illi glandibus, piliſque afflati concidiſſent: terga vertentes: Cæſari tandē tutum ad naues receptum reliquerunt. Cùm magis magiſque mare deſæuiret, paſsimque naues mare hauriret, atque mergeret: Cæſar tantis acceptis detrimentis ſeipſo, vel admiratione ſuorum, vel inimicorum iudicio: maior, & auguſtior repertus eſt.

Quapropter

Quapropter cum duriſsimis ventorum , vndarumque caſibus: inuicto,& infracto ſemper animo conflictatus,ſuæ propriæ,nec vlli Ducum,aut militum communicatæ laudis, triumphum de deuicta belua marina, & beluina, & rabioſa tempeſtate, reportaſſe cernebatur.

Velificatione igitur Eurum verſus ad Bugiam facta:(qui eius erat in Mauritano illo littore portus)illinc contra Hiſpaniam ad ſuos nauigauit.

Publicè ſparſa fama fuit,Cæſarem illic vndis abſorptum fuiſſe.

Sed Villaganon Eques Rhodienſis, (cuius vitam Carolus ſeruarat)perſcriptis quas ad Algeram Cæſar geſſerat rebus : famæ apud Gallos de morte Cæſaris percrebeſcentis authoritatem minuit.

Milites paſsim incolumitati reſtituti canebant: ALIBI CAROLVS AGMINA: ALGERAE SESE, ET AERA, ET MARIA, VICIT.

Bellum Iuliacenſe primum.

CVM Cæſar Fregoſius, Et Antonius Rinconius: in pado flumine reperti eſſent necati: ac iter illorum ad Solymannum à priuatis hoſtibus Fregoſij eſſet perturbatum: Franciſcus Rex Galliæ idoneam eſſe putans belli gerendi occaſionem: necem Legatorum: non indicto bello:quintuplicem anno ætatis Cæſareæ,& æui noſtri Quadrageſimo ſecundo, contra Cæſarem exercitum duxit.

Primas huius belli partes ſibi deſumpſerunt Longouallius, & Roſſemus: per id tempus apud Gulielmum Ducem Iuliacenſem verſantes: Longouallius, & Roſſemus exRaueſtana vrbe ad Moſam ſita in Brabantiam ingreſsi: latè pagos flamma populabantur.

Sed cùm ad forum Caroli(quod Andouerpia vocatur) ſpoliandũ & retinendum acceſsiſſent: Philippus Croiæ Sirius, & Ariſcotiæ Dux primò:deinde Renatus Aurangiæ Princeps, & Naſſauij comes valida neruorum compage firmiſsimus adoleſcens, duo præſtantiſſimi veſtri collegæ:illorum conatus irritos fecère.

Hinc ad Louanium dilapſi: per colloquij ſpeciem:dolio vini ex porta Bruxellenſi expetito, doloſè in vrbem peruadere meditabantur.

Sed tanto gládium turbine equitatus eorum ſauciatus à ciuibus fuit, vt miſerabili cæde ſuorum animaduerſa: corpora mortuorum ad bancum fanum in colle cremauerint, illîncque diſceſſerint, nihil quàm minarum, & odiorum fulmina contrà vrbem euomentes: Belgicaq; perſequentibus Cæſarianis abſceſſerunt.

Bellum Iuliacenſe ſecundum.

Cvm illa belli procella ex Iuliacenſi agro aduenisſet: Ioannes ab Henninio Boſſuorum Comes: aſſumpto ſecum Renato Aurangiæ Principe: & Maxæmiliano ab Egmonda Burenij, & Leerdammij Comite, tres militiæ laboribus, & omni ingenua exercitatione corporis, robuſtiſsimi, & valentiſsimi, veſtri ordinis Equites: intrà Quadrageſimum diem in Iuliacenſem prouinciam cum exercitu irruperunt, & latiſsimè bellum circumferentes: Duram, Iuliam, Zittardum, Sorores, Bergiam, Ambachium, Heynsbergiam, omneſq; Iuliacenſis prouinciæ vrbes, arceſq;: ſubita belli mole, conquaſſatis, & dirutis muris, obruerunt. Præſidium Heynsbergiæ, & in alijs quibus viſum fuit vrbibus reliquerunt: alias complanârunt: interq; cæteras Zittardiam.

Bellum Iuliacenſe tertium, & quartum.

Foedvs Principum Germanorum ope: cum Cliuenſi inibatur: ſed Gallicis, Saxonicisq; auxilijs confirmatus reſpuit.

Quocircà cùm ille Heynsbergam fame premeret: Philippus Ariſcotiæ Dux, & Carolus Lalænij Comes: commeatum in Heynsbergam, trimeſtrem intulerunt.

Cùm autem ad Zittardiam in hoſtes incidiſſent, Cęſariani Equites: hoſtium pedites: ferociter inter ſe dimicârunt.

Hînc cũ rurſus obſeſſa maximo exercitu Heynsberga à Cliuenſi foret: Renatus Aurangiæ Princeps, & Ludouicus à Flandria Prati Dynaſta: ille iuuenis impiger, & acer: hic ſenex conſideratiſsimus: duo veſtri collegæ: rurſus ad exercitum hoſtium caſtra ponentes: ſubitò illos caſtris eiecerunt: ac vrbem grauiſsima, & duriſsima obſidione liberârunt.

Bel-

Bellum Iuliacenſe quintum, ſextum, & ſeptimum.

POST liberatam obſidione Heynsbergam, Roſſemius anteà vaſtatis agris: & capta in reditu Arenberga ferocior factus: noua pecunia Gallica accepta: nouas, & diſsipatas copias collegit. Ac Amerſfordiam in Vltraiectino agro locupletem vrbem, improuiſo, & ſubito terrore armorum ſuorum exterritam capit. Hinc in Endouiã Brabantiæ vrbem ſe proripit.

Qua re agnita, cùm fœderis ad Nurenbergam per Granuellæ Dynaſtã, cũ Cliuenſe rurſus icti, nulla (rumpéte fœdera Cliuenſi) authoritas extitiſſet: Aurangius, ac Pratenſis Monioiam corona militari cinxerunt: vrbemque in dorſo montis poſitam ceperunt.

Poſtremò Carolus Cæſar cupiens Iuliacenſibus bellis finem imponere: adducto ſecum Ferdinando Gonzaga Prorege Siciliæ: Duram menſe Auguſto anno ætatis ſuæ Quadrageſimo tertio obſedit: VENIT, VIDIT, VICIT.

Tanta fuit ad Duram militum hoſtilium cædes: vt Cæſar quàm maximè illorum miſertus ſit.

Poſt Duram captam Cæſar prolatis in vltimam Iuliam: Cliuiam Geldriam: Bergenſemq;, Dynaſtiam armis: vniuerſam Regionem Martia lue deuaſtare, ac euerrere moliebatur.

Cùm Iuliacenſis Dux Gulielmus, Germanicas ſuas copias in diuerſa præſidia ſparſas: ad Cæſaris aduentantis, & prementis nutum, & voluntatem, metu Durenſis periculi horrefactas videret: ità toto animo conſternatus fuit, vt vix ſteterit.

Renunciata igitur Regi Galliæ ſua amicitia, ipſe & Roſſemus Cæſaris miſericordiam implorantes, à Cæſare auditi, & in gratiam tandem recepti fuêre.

Ac Cæſar quidem Geldria Poſtliminio, ad ſe prouinciaſq; auorum ſuorum redeunte: reliqua omnia Iuliacenſi reſtituit.

Ac poſteà Neptem ſuam, Ferdinandi Romanorum Regis filiam: ei vxorem conceſsit. Roſſemumq; virum ſtrennuum, & ſolertem: ad amicitiam ſuam interiorem quoq; admiſit. Ac hic bellorum Iuliacenſium finis fuit.

Quieuerat ea Regio nullis bellorum procellis agitata: & diutiſsimè opima pace floruerat: cùm ob Geldriam ereptam, & fœdus cũ

Gallo pactum: bellumq; Cæſari in Brabantia factum: multis incendijs, & ruinis horribiliter defædata fuit.

Arẽberga, ac Amesfordia Cæſari reſtitutæ fuerunt. Ac Raueſtana vrbs (ex qua belli Iuliacenſis primum fulmen emicuit) ſolo æquata per Cæſarem in ripa Moſæ fluminis fuit.

Bellum Scoticum, Dani cum, Suetium.

BELLA quæ Dani, Suetij, Scoti, geſſerunt: & cum illis geſta fuerunt: in nauibus vtrimq; in mari capiendis cõſumpta ſunt: reſq; fœderibus diuturnis, & amicis confectis: abolitæ fuerũt. Ac Copenhagiũ præſidijs Cæſaris in Dania inſeſſum annalẽ pertulit obſidionẽ.

Bellum Belgicum quartum, & quintum.

PER idem tempus, quo Longouallius, & Roſſemus Brabantiam hoſtiliter infeſtârant: Carolus Aureliorum Dux in agrum Lucemburgenſem ingreſſus, Lucemburgum, Yuodium, Arlunum, multaq; illîc oppida: ad patris ſui Franciſci Galliæ Regis poteſtatem armis redegerat.

Similiter & Vandomiorum Dux in Arteſia, arces quaſdam diruerat.

His ne Longius exercitum producerent, Cæſariani enixiſsimè ſe oppoſuerunt. Et bellorum Iuliacenſium exitum præſtolantes: Cæſaris aduentum, & cum fortuna auxilium: & conſilium expectabãt.

Confectis itaq; bellis Iuliacenſibus, cùm Gallus à Bincij expugnatione per Henricum Delphinum Galliæ cum duabus legionibus tentata repulſus, Landreciam intereà permunijſſet in Hannonia, ad eam obſidendam, primò Ariſcotiæ Ducem poſt ferdinandum Gonzagam Cæſar miſit.

Sed cùm loco non cederent obſeſsi: & Galliæ Rex Franciſcus ipſe, ad liberandam obſidione vrbem, cum triplici exercitu prouolâſſet: veniſſe Cæſar exiſtimans tempus, quo de belli fortuna cum Gallo decertaret, ipſe in caſtra ad Queſnoium venit.

Ac illînc ad Cambrecium profectus: ſumma cum Gallo dimicãdi cupiditate incenſus: dextrum, ſiniſtrumq; cornu: & mediam inſuper aciem ſuam Gallo expropinquo oſtentauit.

Sed

Sed cùm ille ad pugnandum non ſe commoueret, omnes copias amnem traijcere: & vltra hoſtem caſtra ponere iuſſet.

Hoc ſigno animaduerſo Gallus: & Buſij perduellionis in caſtris Cæſaris verſantis, ad monitu: certior de Cæſaris voluntate factus: noctu non conclamatis vaſis diſceſsit.

Cæſar Cameracenſibus præter meritum ſuum, Gallis plus æquo fauentibus: arcem cum præſidio impoſuit. Ac per totam hyemem, Lucemburgenſem agrum cohortibus ſuis implens: primo vere Lucemburgum Regionis totius Metropolim valido Gallorum præſidio inſeſſam obſedit: hac cito dedita: Metim acceſsit: commendataq; Magiſtratibus vrbicis ciuitatis ſuæ cura: in Campaniam Galliæ progrediens, latè circumlato belli terrore, hoſtibus ſe formidabilem oſtentabat.

Hic Henricus Angliæ Rex ad Bononiã, & Monſtrolium à Cæſare in belli aſcitus ſocietatẽ detonabat: Bononiamq; à Gallo auertebat.

Illic Gallis multas adimebat vrbes Cæſar: & timorem ſignorum ſuorum victricium Pariſienſibus rurſus incutiebat.

Sed cùm cuncta Proſperè caderent, res ad pacem tamen deduci permiſit.

Hoc argumentum liquidò demonſtrauiſſe, multorum iudicio videtur: Cæſarem ab illiberali omni alienarum opum poſſeſsione abhorruiſſe.

Pax Crepiaca.

ANNO ætatis Cæſareæ, & æui noſtri Quadrageſimo quarto: pax coijt in Crepiaco: inter duos armatos exercitus Cæſaris, & Galli. Qua pace conſtituta vrbes captæ vltrò, citroq; redditæ fuere: ac omnia poſt inducias decennales Nycænas vtrimque, vltra, citraq; alpes innouata: fuerunt in integrum reſtituta. Aſtenaium quoq; ex quo Gallus initium belli mouerat, terræ æquatum fuit: ac Gorſiæ iuriſdictionem Gallus ab ſe abdicauit.

Cæſar Carolo Aureliorum Duci filiam, aut neptem ſuam, cum ampla dote ſpondens: ſperabat ſe Galliæ Regem contra Turcas impulſurum.

Sed Aureliorum Ducis præpropera, & immatura mors, hác Reip. procurationem: toti chriſtiano orbi tàm exoptatam, & ſalutarem in teruertit: eademq; mors reſtituendi in Sabaudiam Caroli Ducis Sabaudiæ, facultatem illo fœdere à Gallo promiſſam, impediuit.

Ab hac pace Britannus Rex abſtinuit: ſed Cæſari vti vellet, paciſcendi cum Gallo liberam reliquit poteſtatem. Ipſe Bononia ad fretum Britannicum capta (Burenio Comite gnauiter res gerente ne impediretur) contentus.

Bellum Hiſpanienſe quartum: & bellum Allobrogicum tertium: & quartum: & bellum pannonicum tertium.

Qvo primùm tempore Iuliacenſe bellum cęperat, Henricus Galliæ Delphinus cum quinquaginta milibus hominum, ad Perpenianum, & Ruſcinonenſem agrum à Cæſare inopinanter auertendum fuerat profectus.

Sed veterani Hiſpanicarum legionum milites manipulatim ad curſum ſe incitantes: & ex præruptis, & præcipitibus Piræneis alpibus: ſe in planitiem ad radices montium demittentes: (ad ſigna cohortes cogente Duce Albano) confeſtim obſeſſis Perpennæ incolis ſuppetias tulerunt: obſidionemq; multis hoſtibus ex corona oppidi telo miſſili traiectis: multiſq; tragula tranſfoſſis, ſoluerunt.

Ac ità Hiſpania quartò, veteri ſuo otio per Cæſarem fuit reſtituta.

In Pannoniam quoq; Cæſar cum Germaniæ totius aſſenſu, & ſtipendio: miſit Ioachimum Brandenburgenſem electorem, quo tempore Henricus Galliæ Delphinus Perpenianum obſidebat: & Gallus omnibus ex lateribus in Belgicam Carolinam penetrare ſatageret. Sed cum ſuorum auxilia illi Brandenburgico adiungere (bello Gallico præuentus) non poſſet: multoq; minus ipſe (quod ſummoperè cupiebat) adeſſe: etſi copioſiſſimus eſſet exercitus, expectatum tamen in bello inferendo finem non eſt conſecutus. Nimis abundanter copijs Turcarum, ad Budenſium obſidionem dirimendā ſuperuenientibus. Attamē illa, quæ prę ſidijs Ferdinandi Regis oppida obtinebãtur, conſeruauit. In Alpibus quoq;, & ſubalpinis Allobrogum campis vario Marte per Marchionem Vaſtium, & Franciſcum Burbonium Anguianum Comitem, Ducis Vendomij fratrem, ad Cereſollas in Cariniani obſidione tollenda pugnatum eſt.

Sed Vaſtius reiecto ab arcis Nycænæ expugnatione Ænobarbo Turcici maris præfecto: qui eam cum copioſa Gallorum, & Turcarum

rum manu obſederat:& cęſis alio loco,& profligatis Palauicinis,Malateſtis,Ballionis,Vicecomitibus,alijsq; præcipuæ dignationis in Italia proceribus:Gallicas partes armis tuentibus,non inanem Reipublicæ,& Cæſari operam impendit. Ac pace Crepiaca res(vt dixi) vltrà,citraq; alpes,ad veterem induciarum decennalium pactionem reuerſa,totaq; conſopita eſt.

Bellum Germanicum ſeptimum,quod bellum Germanicum magnum, ſiue Smalcaldicum appellatur.

ANNO ætatis Cæſareæ,& ęui noſtri Quadrageſimo ſexto,cùm nouos aurei velleris Equites, in collegium veſtrum, viri illuſtres, Vltraiecti, vobis ſuffragantibus cooptâſſet: pace in Italia, Gallia,Britannia, Turcia, ope ſua conſtituta:Carolus Imperator in Germaniam ad comitia Ratisbonentia ſine armis profectus eſt: vt negotia in religione controuerſa maturè,& ſolemniter ad concilium tridentinum perduceret. Sed cùm non ſolum ad id ſe alacres multi non oſtenderent: ſed ne ad ipſi Imperatori Carolo quidem in imperio, & Germania conuentus peragenti, parendum: mentes, animosq; ſuos plurimi adhiberét:Cæſar proſcriptionis formulá promulgauit.

Et cùm Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux, & Elector:ac Philippus Lantgrauius Heſſiæ: Vdalricus VVirtenburgenſium Dux, multiq; Germaniæ Principes,& ciuitates:ſubitò ad arma antè Cæſarem concurriſſent:epiſtolamq; ad amentum teli alligatam per puerum Cæſari(hoſtili more veteri Germanico)miſiſſent: Cæſar ſuas quoq; copias collegit, fortiſsimaq; Albani Ducis,& Comitis Burenij eo in bello opera vſus: multorum veſtrorum collegarum illuſtres Equites ſtudio,& diligentia adiutus:Smalcaldici fœderis ſocialem potentiſsimum exercitum:(in quo per ſex menſes, centum & viginti milia hoſtium à Cæſare propinquis caſtris cernebantur)induſtria,& ſapientia ſua militari fregit,& deuicit: omnesq; Germaniæ Principes, clementia ſua vſus, veteri,& libertati,& amicitiæ ſuæ reſtituit.

Bellum Saxonicum primum, & ſecundum.

INTEREA dùm in Germania,fortiſsima,& ſapientiſsima victoria vſus Cæſar: Maximi Imperatoris nomen promerebatur: Ioannes

Fridericus Saxoniæ Dux, à Ferdinandi Romanorum Regis, & Mauritij pariter Saxoniæ Ducis copijs in Saxonia ſua laceſſebatur. & à caſtris Smalcaldicis (ſuis opem laturus) abſtrahebatur. Hic bellum redintegrans Cæſarem in Saxoniam pertraxit. Ac cum illo confligens. Carolus (cùm Albim vado tranſiſſet) illum in prælio, omnibus eius copijs profligatis, cepit. Subacta Saxonia tota: & Duce capto: ac Lantgrauio Heſsiæ Philippo ſeſe dedente: reliqua erat Parthenopolis, quæ Maudenburgum vocatur.

Hæc igitur iubente Cæſare obſeſſa, & poſteà deditionis conditiones admittens, finem belli ſecundi Saxonici attulit.

Bellum Bohæmicum.

BOHÆMI Saxonico priore bello: ad Saxonis amicitiam (neglecto Ferdinando Rege) aſpirantes. per Marignanum Marchionem Iacobum Medices Cæſaris Tribunum, & per Ferdinandi Regis copias ad veterem parendi nexum reuocati ſunt, ædificataq; arce Pragenſi, alijſque præſidijs, per prouinciam diſtributis totum Regnum pacatum eſt.

Bella varia, & interna.

IN Sicilia, Sardinia, Regno Neapolitano, Inſubria, Genuæ, in nouo orbe Carolino, & in Germania, Africa, alibiq; multi, & varij: ex ſeditionibus tumultus nati fuêre: maximeq; etiam in caſtris, à militibus ſæpè excitati: vbi ſummum plærumque diſcrimen fuit.

Sed id bellum, quod cum Gonzaluo Pizarro à Petro Gaſca Cæſaris nomine geſtum eſt: omnium maximè fuit memorabile: in quo ille extinctus, & quies nouo orbi parta eſt.

Comitia Auguſtana.

AVGVSTANIS Comitijs, Belgica Carolina, cum Germania vnita eſt per Carolum Cæſarem: ac tridentinum concilium admittendum. obſeruandumque quod definierit: omnes Germaniæ ordines promiſerunt.

Mauritius Saxoniæ ducatu, & electoria dignitate à Cæſare inauguratus eſt: ac rurſus PAX TOTO ORBE PER CÆSAREM (CASTIGATIS VBIQVE HOSTIBVS SVIS) CONSTITVTA EST.

Bel-

Bellum Africanum tertium, quod Aphrodiſicum dicitur.

POSTQVAM Cæſar filium Philippum ex Hiſpanijs, in Italiam, & Germaniam, Belgicamq; euocâſſet: mandat Andreæ Auriæ Melphitano Principi, & Ioanni Vegæ Siciliæ Proregi: vt Aphrodiſium (à noſtris Africam dictam) in littore Africano aggrediantur: ac vt vicina illi oppida in poteſtatem redigant.

Id vt imperatum, ità factum eſt. Ac Dragutes piratarum Turcicorum id tempus maximus: ex illis ſpeculis ope Cæſaris deturbatus fuit, totumque mare deuictis archipiratis, pacatum eſt.

Concilium Tridentinum.

CONCILIVM Tridentinum, PACE PVBLICA INTER REGES, ET PRINCIPES ORBIS CONSTITVTA, fœlicibus initijs Iubente Iulio tertio Pontifice maximo, & Carolo Cæſare, inceptũ erat. Plurimique Germanici Principes, & Magiſtratus, ſuos illûc (iuxtà comitiorum Auguſtanorum decreta imperialia) doctores, ſcriptoreſque miſerant.

Sed cùm Henricus Galliæ Rex, ſuos Epiſcopos eò haud mitteret, prætextu belli Parmenſis (quod cum Pontifice per id tempus gerebat) res dilata, & diuturniore illorum, aliorumq; expectatione, & mora, extracta fuit.

Bellum Germanicum octauum.

CVM ſeptem annos pax Gallica, cum patre Henrici Galliæ Regis pacta Crepiaci, durâſſet: ecce prætextu Parmenſis belli: & Germanicarum ſocietatum: pax abrupta fuit.

Mauritius Dux Saxoniæ, & Albertus: Marchio Brandenburgij, alijq; nonnulli Germaniæ Principes: id excitârunt, Galliæ Regi hoc in bello (vt aiebant) applauſuri, ſuiſque vtilitatibus conſulturi.

Cæſar erat in Oeniponte: expectans concilij Tridentini progreſſum: Nurenberga, Vlma, Francofordia, ab hoſtibus obſeſſæ, fortiter reſtiterunt.

Auguſta à Mauritio tentata, eum intrà muros admiſit. Ac is ſubitò cluſam arcem inuadens eam expugnat.

Cum

Cùm ſine vllis copijs:pacis,& concilij Tridentini tranquilla conſilia ſecutus, Cæſar eſſet in Oëniponte: intellectis Mauritij Ducis progreſsionibus:cum Ferdinando Rege fratre ſuo Villacum abijt.

Mauritius intelligens duos fratres paucis diebus abijſſe: & ipſe Oënipontem cum exercitu adijt.

Cęſar Paſſauium(in Danubij ripa ea poſita eſt ciuitas)fratrem Ferdinandum Regem cum mandatis de pace tractanda abire permittẽs Germaniam (paucis rebus conceſsis)veteri ſuæ libertati,& tranquillitati aſſeruit, & reſtituit. Sed cùm Albertus ad Rhenum, & Moſellam,vrbes vi ſubigeret: primò ex Villaco Oënipontem prætergreſſus, Auguſtam ingreſſus eſt. Ac illic veteribus edictis ſuis,& magiſtratibus renouatis: ad Rhenum cum exercitu acceſsit. Vrbes omnes ab Alberto Marchione ſubactas recuperauit. Ac illum tandem in caſtra ſua tranſire coëgit.

Bellum Belgicum ſextum, & ſeptimum.

CVM Henricus Galliæ Rex Argentoratum (occupata, per ſpeciem tranſitus, Meti)pergeret,vt ſe cum Mauritio, Albertoque coniungeret: Roſſemus in Campaniam Gallicam irrumpens, cum copijs Cæſaris: fœdiſsimè Gallorum agros, & vrbes incendijs euaſtauit. Ac ità Gallum ab alienis appetendis: ad ſua tuenda diuertit.

His rebus Henrico Regi Galliæ in Germania nuntiatis: anno ſæculi,& vitæ Cæſaris quinquageſimo ſecundo: exercitum ſuum in Leucorum agros conuertit. Ac ibi abſente Cæſaris in Germania exercitu: Yuodium, Damuilerium, Montemadium, Bullionem, aliaq; deditione cepit oppida, & caſtella.

Cæſar victorem exercitum ex Germania conſeruata reportans, cùm nihil præter Metim à Gallo occupatam reliquum eſſet: quod recuperari poſſet: etſi dura hyems caſtra affligeret: illam circumſedit. Ac eodem tempore, & cum Daumalio Dynaſta: multas Gallorum equitum turmas ducente: Albertus Brandenburgicus Marchio conflixit: copijſq; eius omnibus diſsipatis,cepit Daumalium, Guyſiæ Ducis in Gallia celeberrimi, & nobiliſsimi fratrem. Et Adrianũ à Croia Roëſij Comitem, & Reginaldum Brederodij Dynaſtam, duos veſtros collegas, cum Roſſemo in Picardiam vltra Somonam amnem Cæſar emiſit.

Acilli

Ac illi quidem Nouiodunum, Royam, Chaunium, Nellam, Mondiderium, Papilionem Regium Follembrenam, compluraque alia Picardiæ oppida ceperunt: incenderuntque direpta.

Tàm longè autem, lateq; toto illo tractu ignes in agros, caſtellaq; Gallica iniecerunt: vt Cæſar re cognita non parum commoueretur Gallorum damnis.

Poſtremò Heſdinium expugnârunt. Cæſar adhuc ad Metim ſedebat: ac Amurates ab Egmonda Princeps Gaueriorum, & Egmondenſium Comes: generoſiſsima, & bellicôſiſsima indole præditus, collega veſter: Pontémonſonium Gallis eiectis, & fugientibus inſedit. Ac cum Barone Guerriarum proſperrimè, cum alijſq; non paucis Gallorum turmis dimicauit acerrimè.

Hînc Cæſar ad Morinorũ Teruanam copias coëgit: eamq; anno proximo inuadens vi bellica proſtrauit, & euertit.

Poſteà Heſdinium paulò antè à Gallis recuperatum: iterùm expugnauit: duaſq; illas munitiſsimas Gallorum, celeberrimaſq; totius Galliæ vrbes, & munitiones maximis, ornatiſsimiſq; equitum conchiliatorum torquium turmis, & cohortibus inſeſſas planè diruit: magnamq; ſummorum Galliæ equitum, & ſatraparum copiã in illis cepit: multoſq; ad necem coëgit ſphærulis, globiſq; afflatos.

Horatius Farneſius Henrici Galliæ Regis gener, in Heſdinio cum multis concidit.

Marchianus Dux Bullionenſis, & Comes Villarius Conneſtablij Montmorancij affinis, cum alijs non paucis ibidem capti fuêre.

In Teruana Diſeius cum multis animam efflauit: ac illîc Montmorancij Conneſtablij filius natu maximus, cum alijs nonnullis capti fuêre.

Poſteà ad Ambianos conflixêre turmæ vario marte.

Hînc Cæſar ad Rentiacum Gallo Marienburgica, & Dinantia, & Bintiaca expugnatione exultanti occurrit: eumq; ſummis viribus Rentiacum oppidum diuerberantem, ab obſidione prælio exiguo commiſſo deterruit.

Poſteà varijs excurſionibus Picardiæ, & Campaniæ limites ſæpè deuaſtans: Heſdinfertum: Carolomontem: & Philippopolim: tres nouas vrbes cum exercitu in oculis Gallorum ædificauit: bellumq; in Belgica ducere, & extrahere cepit: vt Gallum per quàm diuturno bello fatigatum, ad æquas concordiæ conditiones adduceret.

Bel-

Bellum Allobrogicum quintum, & ſextum : bellum Corſicum : bellum Hetruſcum tertium, quod Senenſe dicitur: bellũ Germanicũ nonum.

IN Subalpina Regione peridem tempus varioMarte pugnabatur:& in Corſica Henricus Galliæ Rex vrbes quaſdam Genuenſibus eripiebat. Ac in Hetruria Senam, & Senenſia municipia quampluri-ma in tutelam ſuam receperat.

Quocirca Andreas auria Fanum Laurentij in Corſica graui obſidione preſsit, cepitque.

Illinc Marignanus Marchio Iacobus Medices, Senam annali obſidione in Hetruria circumuenit. Ac tandem poſt multa præclara prælia cum Gallis, & Petro Strozi gallicæ militiæ in Italia Ductore commiſſa: per deditionem eam cepit.

Hinc ad portum Herculis: Senenſium in Hetruria portum, caſtra fixit. Idque oppidum eiecto Petro Strozi recepit. Septuaginta ſigna hoſtilia in Cæſaris caſtra bello Senenſi fuerunt deportata, ac vno conflictu ſigna Quadraginta.

Mauritius autem, & Albertus in Germania, in mutua odia incenſi, prælium grauiſsimum ipſi quoque in Bruunſuicenſi agro cõmiſerunt. In quo Mauritius Saxoniæ Dux, cum tribus Ducibus Germanicis, octodecimq́ue Comitibus perijt.

Albertus cæde hoſtis exultans, alia ſuper alia, bella in Germania nectens, in grauemq; ob id Cæſaris indignationem veniens: per eũ proſcriptus fuit, ac is tandem cum morte vitam commutauit, atq; ita omnia illa bella finita ſunt.

Nuptiæ Philippi Regis in Britannia.

ANNO ætatis Cæſareæ quinquageſimo quarto, menſe Iulio, Philippus Caroli Cæſaris filius Hiſpaniæ Princeps, Luſitanica ſua coniuge iampridem mortua, venit in Britanniam. Ac illic Mariã Henrici octaui Angliæ Regis filiam, Reginamq; Britanniæ, vxorem duxit.

Bellum Britannicum.

IN Britannia varij tumultus, bellaq́;, poſt mortem Eduardi Regis Angliæ enata: partim per Mariam Reginam: partim per Philippũ Regem Cæſaris filium: cæſis hoſtibus, & ſupplicio affectis: annitente, & adiuuante Reginæ Mariæ cauſam Carolo Cæſare: conſopita fuerunt: ac ad veterem religionem Britannia tota reducta fuit.

Tranſlatio Regnorum à Cæſare in filium facta.

CÆSAR Quadrageſimum Regni ſui annum ingreſſus, & ferè egreſſus in filium Regna tranſtulit Bruxellæ, vt anteà memini, anno vitæ, & ſæculi ſui quinquageſimo quinto.

Induciæ quinquennales.

INTEREA dum Cæſar in Hiſpanias profectionẽ parat: ad ſolitudinẽ vitę: tantoperè ab ſe in omni ętate expetitã: ac imperio ſe abdicare conatur: induciæ quinquennales inter Philippum Hiſpaniæ, & Angliæ Regem: & Henricum Galliæ Regem, & Carolum Cæſarem, in Belgica pactæ ſunt.

Bellum Italicum nonum.

GVYSIÆ Dux à Galliæ Rege in Italiam miſſus: ſtatim poſt pactas inducias: exercitum ſuum in Inſubriam: Hetruriam: Neapolitanumq́; Regnum, protulit. Ac Albanus Dux hoſtiam Pontifici adimens, Romæq́; appropinquans: non exiguo terrore vrbem affecit: Sed tandem fœdere inito, bellum illud Italicum cum Pontifice geſtum, extinctum fuit.

Bellum Allobrogicum ſeptimum: bellum Belgicum octauum, & nonum.

POSTQVAM Dux Guyſiæ res Italicas, nouo bello perturbâſſet. Ac Admiraldus Galliæ, Duacum repentina irruptione contra fœdus facta intercipere fuit conatus in Belgica: rurſus bellum in Belgica renouatum fuit.

Ac Rex Philippus exercitum ſuum ad Auguſtam Veromanduorum ad ſomonæ amnis ripam in Picardia ſitam: obſidendam miſit. Ad quam nouis auxilijs communiendam Annas Mótmorancij Dux: Galliæ Conneſtablius: cum quàm maximis copijs profectus eſt. Sed eius exercitus ab Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce profligatus, deletuſq; fuit. Multis veſtri ordinis Equites acerrimè, aſperrimeq; cũ Gallico exercitu confligentibus: Coneſtablius, multiq; illic Galliæ proceres capti fuêre: hînc Auguſta Veromanduorum vi à Rege Philippo expugnata fuit: ac Admiraldus Gallici maris præfectus, cum Dandelotio fratre, alijſq; multis illîc captus fuit.

Hînc Caſtelletũ: hînc Hanium à Philippo Rege Gallis ereptum: agerq; Gallicus multis eruptionibus conceſsis direptus, compilatuſq; fuit.

Henricus Galliæ Rex primùm Caleſium, & Guineas Anglis adimens: poſteà ad Villam Theonis in Lucemburgenſem agrum obſidionibus capiendam perrexit: illaq; potitus: Thermetem cum Villebono duos præclariſsimos Gallicos Tribunos in Flandriam ad Dunckerkam, Bergaſq; emiſit. Quibus oppidis potiti, cùm Caleſiũ per Grauelingenſes Anguſtias redire conantur: ab fortiſsimo collega veſtro Amurate Gaueriorum Principe, Egmondæq; Comite: cum omnibus copijs ad vnum omnes cæſi, captiq; ſunt.

Poſt eam pugnam Philippus Rex, caſtra contrà caſtra Regis Galliæ ad Dorlentium in Artheſia poſuit. Ac res inducijs factis, ſuſpenſa manſit in Belgica.

Sed Seſe Dux in Allobrogicus Moncaluium, Centale, aliaq; oppida Gallicis præſidijs obtenta, vi bellica obruit.

Tranſlatio Imperij per Cæſarem facta in Ferdinandum Romanorum Regem.

INTEREA dum in Belgica bellum renouatur: Cæſar proſperrimis præliorum ſucceſsibus filij Philippi Regis exilaratus: Imperium Ferdinando fratri cedit: quod Germani ratum, gratumq; habentes: permagna Carolum Maximum lætitia affecerunt.

Omni

Omni itaq; ditione,& dominatione nudatus, exutuſq; ſua ſponte Carolus: ad vitæ ſuæ ſolitudinem Dei obſequio dedicandam ſe totum in fano iuſti, in Hiſpaniæ Beticæ prouincia Eſtremadura: quę à vera Placentina celebre nomen habebat: ac ad ibi vitam ſuam finiendam compoſuit. Ac filio conſilia pacis, reſtituendique Sabaudiæ Ducis, quàm diligentiſsimè commendauit.

Eratq; hic annus vitæ ſuæ quinquageſimus octauus, quo & mortuus eſt: Imperij autem ſui, Quadrageſimus annus. Et Quadrageſimi anni poſtquàm id ſuſcepiſſet dies Quadrageſimus, eum ad cœlites vndè venerat, xxj. Septembris remiſit. De cuius geſtis, & obitu & cæteris virtutibus alio loco (vt vos velle aduerti) dicetur. Veniamus nunc ad comparationes Caroli Maximi.

Comparatio Caroli Maximi, cum Carolo Magno, in qua admirabilitas diuinæ prouidentiæ maximè elucet.

PROFERANT nunc Friſij aliquem Dominum, Flandri Comitem, Burgundi Ducem, Auſtriaci Archiducem, Itali Principem, Hiſpani Regem, Germani Cæſarem, quem cum hoc Carolo cõparabilem eſſe putent.

Nihilne ſeptem hæ nationes efficere poſſunt? Nuſquàm ne vllus poſt Chriſtum natum totis mille quingentis annis apparuit? Vbi igitur ſtellæ Regum? Vbi Cæſarum res geſtæ occultatæ fuerunt?

Explicemus numeros, ſupputemus calculum totius mundi: quid dicitis illuſtres Equites? An non ſeptingentis quinquaginta annis poſt Chriſtũ natum, fuit ſeptennis natus Carolus magnus Cæſar?

An non rurſus ſeptingentis quinquaginta annis poſt Carolum Magnum illum ſeptennem, natus eſt nouus Carolus maximus Imperator?

Ex vnguibus vtriuſq; Cæſaris, colligamus formã vtriuſq; leonis.

Quintus Carolus Maximus in patria mea Gandaui in Gallia Belgica natus, reuiuiſcentis Caroli Magni memoriam apud multas gentes renouauit.

Quemadmodum autem ea ciuitas totius eſt Belgicæ, & Europæ

Maxima: ità hunc Carolum Auſtriacum omnium Belgarum Maximum,& Europęorum Principum, & Cæſarum Auguſtiſsimum fore plęriq; (ſicut dixi) prædiuinabant: inter quos Gulielmus à Croia Marchio Ariſcotiæ, & Henricus Comes à Naſſauo Principes augurij fuêre veſtri ordinis perilluſtres Equites: & antè cæteros Cæſar Maxemilianus, veſtri iſtius ordinis quondam Decurio. At anno xvi. vitæ Cæſaris Caroli noſtri, cum Carolus conuentus aurei velleris Equitum Bruxellæ haberet, non Decurio, ſed Prodecurio extitit. Quod idem Quadraginta remenſis annis huic Carolo noſtro accidit: vt anno ſæculi noſtri quinquageſimo ſexto Romano calculo, cũ Philippus Rex Caroli filius ſimiles Equitum conuentus Antuerpiæ haberet, non conſul Senatus veſtri, ſed conſularis, aut exconſul (vt Iuriſconſulti loquuntur) eſſet.

Illius autem Caroli Magni collationem cum hoc Carolo Maximo noſtro, hoc tempore obiter, & neglectè, curſim & tanquàm prætereuntes faciemus, ne per omnes omnium ponderum, menſurarum, numerorum circulos temerè nobis ſit diſcurrendum. Vtemur autem Quadraginta ſignis eminentioribus, quæ talia ſunt.

j.

Sicut ille Carolus Magnus in Gallia Belgica Landaui natus, & in finibus Brabantiæ à puero educatus ad Netham amnem fuit: ita hic Carolus Maximus Gandaui in Belgica Gallia natus, & in Brabantiæ finibus, ad Netham fluuium ab incunabulis, educatus, ablactatus, & enutritus fuit.

ij.

Vt ille ex Imperatorum familia natus fuit, & Carolum Martellum inter auos paternos, & Pipinum patrem numerabat: ità & iſte Carolum Valæſium Burgundicæ, & Belgicæ Dynaſtiæ Principem, & Satrapam potentiſsimum, formidabiliſsimumq; inter auos paternos, & Philippum patrem habebat, (adeò vt Pipini nomen nunc Philippus vocetur apud multos) & ex multorum Imperatorum ſanguine, & ſtẽmate ſatus fuit: adeò vt ſeptem Cęſares Romanos optimè queat pro Maioribus ſuis recẽſere, ſicut in hiſtoria Cęſaris fuſius edocebitur: illic enim tota Cęſaris genealogia lõgiſsimè deducta eſt.

iij.

Vt ille patrem habuit Regem: ità hic parentem habuit Regẽ Philippum: quod ſanè mirum videri queat, cum amplius centum annis maiores Cæſaris in linea maſculina nullo intercalato extraneo fuerunt

rint Imperatores,an hoc prouidentiæ diuinæ numerus expoſcebat? vt Philippus Rex cùm quatuor hebdomades annorum communiũ expleuiſſet, ſigno Cometæ in cœlis ædito ex hoc orbe eriperetur: relinquens patrem ſuum viuum Maxæmilianum: & filium relinquens hunc Carolum in primæ hebdomadis ſuæ vitæ fine? certè frater Abrahami antè Thare patrem ſuum obijt, quod tùm nunquàm anteà acciderat: ac perquàm rarò accidit, vt filij Regum, qui Reges eſſent, antè patrẽ ſuũ Regem moriantur. Ac ſi à ſtirpe Caroli illius magni diſcedatis, haud temerè alibi plures in hiſtorijs reperietis.

iiij.

Vt ille à parentibus, & patrinis in baptiſterio Carolus vocatus fuit: ità & hic in baptiſmate à parentibus, & patrinis, in fano diui Ioannis Gandauenſis (quod operoſiſsimè exornandum, exædificandũq; poſteà curauit, vbi profundiſsima cripta, altiſsima ferè totius Belgicæ eſt turrita pyramis, longiſsimaq; teſtudo templi, plurimiq; ſacrifici) Carolus nuncupatus eſt. Quod rurſus quis admirari queat, cùm ex familia Auſtriaca paterna ſtirpe, aut ex familia Aragonia materna ſtirpe, nullus multorum ſæculorum longiſsimis curriculis auus fuerit Carolus nuncupatus. Imò verò totis mille quingentis annis, & vltrà, nemo fuit ex Auſtriaca, aut Hiſpanica Regum ſtirpe Princeps prouinciæ in linea Cęſaris noſtri rectà Carolus appellatus. An hoc rurſus prouidentiæ numerus expoſcebat? De Ioanne baptiſta legitur in Euangelio, quod illud nomen Ioannis, diuinitus nactus ſit, cùm Maiores eius ex paterno, maternoq; ſurculo, tali nomine non fuiſſent inſigniti.

Et certè quemadmodũ de illo dictũ eſt, quod inter natos mulierũ non ſurrexerit Maior Ioanne Baptiſta: ità de hoc Cæſare Carolo verè dici poteſt, quod inter filios Regum, non ſurrexit Maior hoc Maximo Carolo.

V.

Vt ille à Pontifice Romano, & multis mortalibus Magnus appellatus eſt: ità & hic à Paulo tertio Pontifice Romano (diplomate in eam rem diſertè miſſo) & à multis mortalibus Maximus appellatus eſt: quod rurſus nouitate ſua percellit animum audientium, qui meminerint totis mille quingentis annis in tanta multitudine Imperatorum Romanorum neminem hoc nomine Maximi fuiſſe honeſtatum, ac poſt tempora Caroli magni, ne magnus quidem ſolemniter quiſquàm Imperatorum, aut Regum vocitatus eſt.

vj.

Vt illo naſcente varia hominum fuerunt ex auſpicijs, & prodigijs pia auguria, maximam nati Caroli magni famam per omnes gentes futuram ſignificantia. Ità & hoc nato: viſa ſunt autem ſigna tam multa (vt in hiſtoria latius perſequor) vt neſcio quas prophetias dicerent mortales ſe habere, & legiſſe, cum illis ſignis congruentes, magnitudinem Caroli huius noſtri concorditer, & vniuerſim cunctas teſtificantes: quarum ego bonam partem audiui, vidi, legi, de Carolo Philippi filio, perquàm piè ſentientium, & annum obitus eius prænotantium, ſed vt ab omni diuinatione ſemper abhorrui, ità ſemper plurimum prouidentiæ diuinæ tribui, authorem, rectorem, finitorem, temporum, numerorum, Regum, ſolum Deum eſſe credidi.

Facile eſt inuentis addere, ac fortaſſè alius erit Carolus Philippi filius, in quem illa magis, quàm in alium quemuis quadrent, & conſibulentur.

Fuit autem à patre Philippo Rege in ſphæriſterio cometes notatus præſagium ſuæ mortis, (vt ipſe tùm ridens interpretabatur) nuncians: & magnam Regnorum multorum molem ad hunc Cæſarem deriuantis ſignum: atq; ex eo tempore magna orbis chriſtiani portio, ad Cæſarem hunc, eiuſq; ſtirpem Auſtriacam paulatim deuenit. Sic vt Hiſpania vlterior, & citerior, cum Luſitania: Germania ſuperior, & inferior: Gallia Belgica inferior, Gallia Celtica, & Aquitanica, & Belgica vlterior, Gallia Ciſalpina, & Inſubria: cum Latio, & vrbe Roma: Britannia, & Hibernia: Sarmatia, & Polonia maior, & minor: Pannonia inferior, & ſuperior, cum Hungaria, & Tranſyluania ſiue Dacia: Dalmatia: Croatia: Iſtria: Dania: Norvvegia: Svvetia, cum Gottorum, Vandalorumq; Regnis, & populis: Cliuia: Bauaria: Mantua: Lotharingia: Palatinatus: Liguria: Bohemia: Sicilia: Sardinia: Corſica: cum Regno Neapolitano: & Hetruria: Baleares, & Fortunatæ: Africæ & Aſiæ multæ prouinciæ: noui orbis, & maris Oceani, & Mediterranei imperia, & mundi legitimum imperium: ad Auſtriacam ſtirpem peruenerint, permiſſu & voluntate Dei altiſsimi: ità cum Connubia Principum, & Regum, per hunc Cæſarem Carolum Maximum, omnia omni tempore conciliantis: tùm verò victoriarum maximarum honores huic Cæſari largientis.

Qua vna re quid admirabilius ad videndum, quid incredibilius ad perſuadendum, quid efficacius ad gubernandum, & imperandũ, fingi

fingi, aut excogitari poteſt? An hæc ſola res non voluit, non potuit, non debuit hunc Carolum reddere modis omnibus Maximum? An tanta magnitudine, atq; amplitudine rerum aliquid in hac vita maius, aliquid amplius, aliquid auguſtius homini non ſolum contingere, ſed ſperari, nec ſolum ſperari, ſed optari potuit? circumſpiciantur initia domus, & familiæ Auſtriacæ, & conferantur ea, cum illa maieſtate rerum, & imperiorum, quæ hic deſcripta eſt, ac veniat, tùm aliquis qui mihi obganniat, & oblatret, tanquàm hæc non prouidentia Dei, ſed caſu & forteforțuna facta ſint.

Eſt autem veriſimile tantorum heroum geneſim (qualis eſt noſter Carolus) Deo magnæ curæ fuiſſe: cum huius virtute tanquàm appoſitiſsimo inſtrumento in gubernatione, & adminiſtratione orbis terrarum, multò maxima ex parte, Deus ipſe non ſine cunctarũ gentiũ admiratione, quàm creberrimè his Quadraginta annis vſus ſit: neq; hoc inſtrumentum à condito orbe in reliquis Regibus (pace eorum dictum ſit) tàm generatim, & vniuerſè reperiatur.

vij.

Vt à Leone tertio Pontifice maximo, dictus eſt ille Cæſar: ità & hic (ſeptem Leonibus reuolutis) à Leone decimo, maximo Pontifice dictus, declaratus, & confirmatus eſt Cæſar Romanus.

viij.

Vt ille potentiſsimum ſui temporis Europæ Regem, ad Papiam vicit, ac in poteſtatem ſuam redegit Deſiderium Longobardorum Regem: ità & hic deſideratiſsimum, & potentiſsimum ſui temporis Europæ Regem, Franciſcum Francorum ſceptra tenentem, ad Papiã vicit, ac in poteſtatem ſuam redegit.

Qua in re hoc magis fuit ſuſpiciendum, & demirandum: quod ea victoria die natali Cæſaris noſtri Caroli Maximi acciderit. Quo etiam die Bononiæ coronam Imperatoriam Auguſtorum, à Pontifice Clemente ſeptimo ſuſcepit: & rurſus quo die Imperium Germanis, & fratri ceſsit.

Ac proculdubio, nulla maior fœlicitas, ei in vita potuit obuenire in Europa, ſi humanas victorias reſpiciamus, quàm tantum Regem bello iuſto capere.

In eo certè ſuperior fuit Iulio Cæſare, qui idibus Martijs (quibus natus fuerat) xxiij. vulneribus in Senatu ab Optimatibus populi Romani confoſſus eſt. Et quod ille Imperium violenter nactus, honeſtè deponere nequiuerit.

ix.

Vt ille Carolus Magnus vrbe Roma potitus eſt: ità & hic Romæ fuit, & vrbem Romam vi armorũ ſuorum obſeſſam, vi expugnauit.

x.

Vt ille Pontifici Romano initio Imperij ſui vrbes ablatas reſtituit in Inſubria: ità & hic in exordio Imperij ſui reddi iuſsit, & mandauit Pontifici Romano in Inſubribus vrbes amiſſas, ac inter cæteras Parmam, atq; Placentiam.

xj.

Vt ille in Inſubribus cum Pontifice Romano coniunctus, bella tria fœliciſsimè in Tirocinio Regni ſui adminiſtrauit: ità & hic cum Romano ſociatus Pontifice bella tria in Inſubria, & Gallia Ciſalpina, in primordijs Imperij ſui Romani, Gallis Italia eiectis, ter vno triennio, anno ætatis ſuæ 21. 22. 23. fœliciſsimè debellauit.

xij.

Vt ille multas Hiſpaniæ ciuitates, & vrbes in Cantabria, exercitu Imperioq; ſuo coërcuit: ità & hic multis ſecundis prælijs vſus, multas, & celeberrimas Hiſpaniæ ciuitates, & vrbes, in caſtella, Cantabria, & alibi ſuperauit, & exercitu, imperioq; ſuo repreſsit.

xiij.

Vt ille ab Adriano Pontifice Romano magnorum honorum prærogatiua affectus eſt: ità & hic à Pontifice Maximo Adriano Traiectenſi, magnorum Hiſpaniæ ordinum prærogatiua perpetua donatus eſt.

xiiij.

Vt ille in memoriam adeptæ dignitatis Imperatoriæ à Pontifice Romano, Florentinæ vrbi nouas leges, nouos magiſtratus, noua iura, nouas ædificationes dedit, totamq; Reipublicæ formam, & faciem mutauit: ità hic Cæſar in gratiam, & talionem Bononiæ nacti Auguſti Diadematis Imperatorij à Clemente ſeptimo Pontifice Romano, Florentinæ ciuitati, nouos magiſtratuum ordines, nouas legum tabulas, nouam iuris, & fori normam, nouam arcem dedit: totamq; Reipublicæ Florentinæ ſpeciem, vultumq; mutauit: ac Hetruriam totam in fidem, & tutelam ſuam recepit: Florentinoſq;, quòd hoſtibus ſuis amiciores: ſuis exercitibus Italicis ſæpè, diuq; inimiciores: præter cauſam extitiſſent, per occaſionẽ ſatis acerbè caſtigauit: Mediceamq; clariſsimam, & nobiliſsimam familiam per eos eiectã

in

in ciuitatem reſtituit:lapidem quem reprobauerunt factus eſt in caput anguli:quanquàm in hac re tota Pontifici quàm Florentinis gratius officium præſtitit. Sic Florentina fata voluerunt,vt Cæſar libertatis publicæ amantiſsimus Florentinis libertatem recalcitrandi,& præuaricandi eriperet.

XV.

Vt ille in Bauariæ finibus maximum bellum proſperè confecit: ità hic in Bauariæ finibus ad Ingolſtadium(quam Angelopolim vocant)centum,& viginti milibus hoſtium,fortiſsimę:& valentiſsimæ nationi benè, fœliciterq; reſtitit, ac bellum periculoſiſsimum cum ſumma totius Germaniæ trepidatione,& admiratione,triangulo diſciplinæ militaris obſeruato,& in caſtris,commeatibuſq; defendendis ritè cuſtodito,per ſummam,& inuſitatam animi magnitudinem diremit,& abſoluit.

Triangulus autem Cæſaris multiplex erat:primus erat in formã cunei ex tribus vrbibus conſtans, Angelopoli, Lanſutia,& Ratisbona. Angelopolim legiones Belgicæ,Lanſutiam,legiones,& auxilia Italica,Ratisbonam,Pannonicæ,& Hiſpanicæ legiones, omniſque apparatus machinarũ,& commeatuum bellicus appellere debebat.

Contrà hunc Triangulum Smalcaldici fœderis Principes, alterũ habebant Triangulum,Danouertum,Vlmam,Auguſtam.

Acies Trianguli Cæſariani erat Angelopolis:acies Trianguli fœderatorum erat Danouertum.

Perrumpẽda erat alterutrius acies, vt victoria potiretur alteruter: fœderati omnes Trianguli Cæſariani angulos ſæpè, & ex occaſione belli opprimere ſunt conati.

Cæſar eorum Triangulo inhians,nulli nec labori militari, nec ſeueritati retinendæ diſciplinæ,nec officio Imperatorio in caſtris ritè metandis, mouendis,muniendis pepercit.

Poſtquam oppreſsioni alicuius remotioris anguli cuneati, nuſquàm locus,tempuſq; daretur: ventum eſt ad ipſam Cæſaris aciem Angelopolim,eam omnibus viribus,omnibus copijs,omnibus machinis in conſpectum Cæſaris adductis violenter expugnare ſunt hoſtes annixi.

Sed Cæſar pro vallo cohortes cogens, vti in caſtris locandis tabernacula fixerant, ſeptem quadrangulos æquilateros in triangulum caſtrorum ſuorum Ingolſtadienſium recepit,& quatuordecim phalangibus hoſtilibus,ſeptem milia ſphærarum in caſtra ſua eiaculantibus,

tibus, ità fortiter ſe oppoſuit: vt non modo ipſe, ſed ne miles quidem vllus loco ſe metus hoſtilis cauſa mouerit, & ſi à dextro, ſiniſtroq; Cæſaris latere laterones quidam vtrimque ſcorpionibus, aut colubris, aut canonátis icti caderent.

Demum accedentibus Belgicarum legionum cohortibus, vbi copioſiſsimus, & generoſiſsimus equitatus Cæſaris aderat. Cæſar audacior factus, triplicem aciem pro vallo inſtruens: caſtra contrà caſtra poſuit, atq; ità aciem aculeatè, & acuminatim produxit: vt intrà caſtra hoſtilia, caſtra ſua poneret: hoſteſque ſuis ſedibus, munitionibuſque exturbaret.

Hînc ad trianguli hoſtilem aciem ventum eſt Danouertum: qua acie confuſa per Cæſarianos, ſubitoq;, & inopinato ſuarum cohortium Italicarum ſuperuentu oppreſſa, & expugnata, ſolidam, certamq; ſpem victoriæ Germanicæ Cæſar concepit. Eaq; demum ſingulari ſtudio, & virtute Hiſpanorum in nocturnis, diurniſque velitationibus, hoſti oſtendendis, vſus: cum ſumma gloria militari potitus eſt.

In hoc bello fœlicitas, & virtus Cæſaris ſuſpicienda, admirandaq; hominum generi viſa eſt.

Quater enim hoſtes multitudine copiarum multò ſeſe ſuperiores caſtris, acie Trianguli ſui caſtrenſis producta, prolongataq; exuit.

Bis vi, bis aſtu diſciplinæ militaris.

Quid autem hîc contra vim, ſine vi fieri potuit à Cæſare?

Et tamen fecit, bellumq; Germanicum ſeptimo menſe confecit: ita vt omnes dicerent, ætatem Cæſaris virilem, ad ſcientiam rei militaris, non offenſionibus belli, ſed victorijs, non ſtipendijs, ſed triumphis eſſe eruditam.

Atq; adeò victoria Germanica (etſi omnis victoria, natura inſolens, atq; ſuperba eſt) quâ modeſtiſsimè, atq; moderatiſsimè vſus eſt. Quanquàm enim omnes facilius in timore benigni, quàm in victoria grati reperiamur: hic Cæſar tamen, ſic vniuerſis Principibus, Senatui, populo, plebiq; Germanicæ gratus extitit: vt ab ipſis hoſtibus, & paſsim ab omnibus militibus, parens, & conſeruator ſalutis ipſorum vocaretur, dicentibus cunctis lingua Germanica de eo ONZER VATTER, quod Romani vocabant, PATER PATRIÆ. Hac appellatione, quid mitius, quid plauſibilius, quid deniq; amabilius ad aures Cæſaris accidere potuit?

xvj.

Vt ille Saxonicum bellũ fœliciter, proſpereq́; geſsit: ità hîc Saxonicum bellum capto in prælio Ioanne Friderico Saxone, illorũ Duce potentiſsimo, quod renouauerant agitatæ nationes: ſuſcipiebant integræ gentes: coniungebant Principes, & ciuitates potentiſsimæ, proſperè fœliciterque confecit.

In hoc ſuperior ſuo Carolo Magno, quod hic Quadraginta diebus bello finem impoſuit, quòd ille vix Quadraginta annis facere potuit.

In hoc ſuperior Cæſare, quòd ille Rubiconem paruum amnem in Ciſalpina Gallia ponte, hic Albim ter centum paſſus latum fluuium, vado tranſiuit, in media Germania, & hoſtili vndiquaq; Germania inferiore, quàm mœnus amnis à ſuperiore diuidit.

In hoc æqualis Alexandro Magno, quod hic coniugem captiui Saxonis tàm amabiliter, placideq́; palatium eius VVittenbergæ (quã albam Saxonicam vocant) cum liberis accedens, eſt conſolatus: cũ Cæſar mœrorem animi lacrimaſq́; oculorum omnes omnibus eriperet, tum verò belli, fortunæq́; acerbam cladem ex ſua, & clementia, & liberalitate chriſtiana, expectare iuſsit. Atq́; ea tanti fuit, vt non ſolum vxorem, liberoſq́; eius, ſed ipſum Saxonem Ioannem Fridericum vaſtiſsimum, obeſiſsimumq́; Principem, poſteà ſemper amiciſsimum, fideliſsimumq́; habuerit: adeò vt Oêniponti liber à Cæſare eſſe iuſſus, rebuſq́; ſuis conſulere: appropinquante Mauricio eius patruele fratre (fidei labefactatę ob ſuſpicionem vitandam) abire noluerit: ſed eandem cum Cæſare fortunæ, Martiſq́; aleam, ad Villacum ingredi iter maluerit. Quo rurſus hoſtis, & captiui teſtimonio cùm de fide, & virtute, tùm de amicitia Cæſaris Maximi, quod quęſo poteſt eſſe maius? quod poteſt eſſe admirabilius? quod poteſt eſſe magis ad ora Germaniæ, Britanniæ, Cimbricæq́; cherſonneſi, cum timpanis, & fiſtulis circumferendum? quàm Ioannem Fridericum Lutheranicę factioni addictiſsimum, vitę ſuę ſalutem, & incolumitatem magis in abeunte, & recedente ſine armis, aut militibus Carolo Cæſare ſatis extraneo, & veteris religionis aſſertore: quã in cõſanguineo, & patruele Mauritio, cum victore exercitu, nouæ religionis pro pugnatore, aduentante crediſiſſe, & collocauiſſe?

xvij.

Vt ille ciuitates Germaniæ maritimas, & populos omnes, bello aut fœdere edomuit: ità & hic valentiſsimas, & locupletiſsimas ciuitates,

tates, ad littora Germanici Oceani poſitas, populoſq; circumquaq; habitantes,horrificum,&nefarium,&omni imbutum odio bellum ſæpè comminantes, ſæpè inferentes, bello, aut fœdere edomuit, & condocefecit.

xviij.

Vt ille cum exercitu Capuam,&Neapolitani Regni incolas cōpeſcuit: ità hic Capuam, Appulos, Brutios, Calabros, Sānites, Veîos, Sabinos, Lucanos, Salernum, Pæſtum, Puteolos, Baias, Leucopetram, Petitiam, Crotonem, Lacinium, Metapontum, Yapigium, Venuſiā,Sulmonā,Aquilam,Aquinum,& Neapolitani Regni vrbes propè omnes amiſſas,cum exercitu omnes recuperauit,& ex manibus Gallorum extorſit: omneſq; ibi ſæpè rebellantes,& reluctantes legibus ſuis,ſæpè armis,ſæpè iudicijs ſuis fregit, & compeſcuit.

xix.

Vt ille in Pannonia bellum cum ferociſsimis nationibus,gerens, omnium maximam illîc hoſtium ſtragem ædidit: ità hic in Pannonia, ad Viennam Flauianam, cum immaniſsimis, & exitioſiſsimis nationibus bellum ducens, cæſis quindecim Turcicorum equitum milibus,& profligato BaſſaMicalogo,omnium maximam hoſtilem illîc paruis prius prælijs ſecundis factis, ſtragem fecit.

xx.

Vt ille Pontificem Maximum vrbi Romanæ reſtituit: ità & hic Pontificem Romanum Clementem ſeptimum relictis partibus Cęſaris, ad Gallicas adhæreſcentem: à militibus Cæſarianis prælio ad muros Romanos commiſſo,& obſidione molis diui Adriani Romę continuata captum: ac maioris periculi vitandi cauſa deditum, vrbi Romæ reddidit. Ac vt reddi per ſe, ſuoſq; Tribunos poſſet, publicè in Hiſpanijs Quadraginta dierum ſupplicationes perquàm piè decreuit.

xxj.

Vt ille in Barbaras gentes bella multa mouit: ità hic gentes immanitate Barbaras,numero innumerabiles,viribus inſuperabiles,bello adortus,imperio ſuo parere coëgit.

xxij.

Vt ille contrà Biſantium, & Græciæ ciuitates, magnas ædificauit, ornauitq; claſſes: ità hic contrà Græciam, & Thraciam, & Macedoniam, & Epirum, & Peloponneſum ad Methonen, Coronen, Patras,

tras Corſinium,Epidaurum, Corinthum, Thebas,Spartam,Mycænas,Megaram,Athenas,Aulidem,Lariſſam,Troiam,Chalcidē, Magneſiam,Theſſalonicam, Naupactum, Dyracchium, Apolloniam, Ambraciam, Mediterraneaſq; Theſſaliæ, Achaiæ,Bæotiæ,Phocidis, Arcadiæ,& Eubææ,vrbes,arceſq;: Andron,& Salamina BELLO SACRO perſequendas, magnas cōparauit claſſes, magna ſubſidia belli quæſiuit: ſic vt ipſam Conſtantinopolim Turcarum ſedem, & illi oppoſitam Chalcedonem (Græcis ad libertatem chriſtianam exitis) illis erepturus publica hominum fama, & celebritate apparatus anno ætatis ſuæ vndequadrageſimo crederetur. Ac ſi id anno Quadrageſimo tentaſſet, Rege Galliæ iam mitiora conſilia ſequente (Flandriæq; tumultibus iudicio ſedatis)neſcio quid ſeptem fęderatorum chriſtianorū Regum ſtudium, ſacerq; diuinæ prouidentiæ Quadragenarius numerus efficere potuiſſet Deo auſpice,ad gloriam Dei.

XXIIJ.

Vt ille Hyeroſolymis Princeps clarus viſus eſt: ità hic Hyeroſolymorū Rex chriſtianiſsimus, & clariſsimus publicè ſemper dictus eſt: nomenq;, & arma eius Regni à Maioribus ſuis Siciliæ Regibus, & à Maioribus ſuis Flandriæ Comitibus accepit. Illi enim Flandriæ Comites, & Reges Hyeroſolymorum, & Imperatores Conſtantinopolitani longo tempore fuerunt.

XXIIIJ.

Vt ille paterni Regni fines in Gallia Belgica Rheno, ac Oceano deſcriptos,& in Germania ad Danubiū poſitos,valdè ampliauit,ampliandoſq; curauit: ità hic paterni Regni limites ad Rheni oſtia, Oceanumq; poſitos,& in Germania,inter Danubij,Rheniq; ripas,& radices alpiū collocatos, ſummoperè ampliauit, ampliandoſq; curauit, ſeptem adiectis ad Belgicā ſuam prouincijs, Geldria,Friſia, Tranſiſulana,Groninga,Traiecto,Tornaco, & Cameraco. In quibus ſeptuaginta ſunt vrbes vallo,foſſaq;,& muro cōmunitæ:Flandriæ,& Artheſiæ iugū, quod ſubſortitionē ſiue reſortum Gallicū vocant, ademit. Inſulis,Duaco,&Orchijs ius ludēdi à Gallo pignoris detraxit. Omnibus Belgis aubanitatis,ſiue extorreitatis(vt vocāt)à Gallo ius remitti cū in Gallia moriūtur, curauit. Lucemburgū à Badenſibus Marchionibus(quibus oppignoratū fuerat)redemit. Moſæ Traiectum Brabantiæ adijci(dempta controuerſia)mandauit,Gandaui,Brugis,Middelburgi, Bruxellæ, Vlyſſeæ, Amſterodami, Andoverpiæ (quod forum Caroli vocant) nouos portus, ad mare aperuit, nouas

foſſas duxit, hîc flumina nouo alueo in mare emiſit, hîc mare in vrbem recepit: Belgicamque patriam ſuam claſsibus ornauit, multiſque opibus affluentem effecit. Et ne ſubitò percelli, aut concuti queat, equitum turmas quatuordecim, præſidia peditum firma, machinas vbiq; maximas conſtituit. Omnes vbiq; vrbes tàm Limitaneas, quàm Mediterraneas vallo, foſſa, muro, propugnaculis, tetragonis, aut pentagonis, aut hexagonis, aut octogonis, aut decagonis, aut heptagonis, aut trigonis, muniri imperauit. Faſtigia turrium, portarumq; paſsim detraxit: vt Æneæ Martiales beluæ fulmina, tonitruaq; ſua tantò facilius emittere, & eiaculari contra hoſtes poſſint mileſq; fęmore, vmbilicoq; tectus, pectore toto, atq; humeris extet.

XXV.

Vt ille Hiſpaniæ, & Cantabriæ cis Iberum partem, & eum Italiæ tractum, in quo Longobardorũ Regia fuerat, bellica Belgica vrtute recuperatam in officio manere, & Imperio ſuo mitiſsimo aſſueſcere coëgit: ità hic Hiſpaniæ, & Cantabriæ magnam portionem, & eam Italiæ oram in qua Longobardorum Principum ſedes fuerat, militaribus auſpicijs redemptam, officio ſuo ſatiſfacere, & lenitudini Imperij ſui ſine vlla acerbitate doloris aſſueſieri, cicurariq; coëgit.

XXVJ.

Vt ille in titulis ſuis vtriuſque Pannoniæ, Iſtriæ, & Dalmatiæ, præter maritimas quaſdam ciuitates, quæ Conſtantinopolitano Imperio parebant, nomina legebat: ità hic in titulis Regnorum ſuorum, vtriuſq; Pannoniæ, Iſtriæ, Tyrolis, & Dalmatiæ, præter Epidamnum, & Raguſam Remp. maritimas quoq; quaſdã ciuitates, quę Biſantino Imperio parebãt, nomẽclationẽ meritò, nec illibẽter legere poterat.

XXVIJ.

Vt ille callidus, & ſapiens Imperator omnes ferociſsimas, & belliçoſiſsimas gẽtes, quę Germaniã intrà Oceani, Rheni, Danubij, Albis, Lyci, ripas incolũt: partim armis ſubactas: partim beneficio allectas, ſub Imperiũ, ditioneq; ſuam cadere fecit: ita hic egregiè, fortis, & bonus Imperator, qui cũ ſcientia rei militaris virtute, authoritatẽ, fœlicitatẽ coniunxit, omnes multorũ bellorũ tractatione formidabiles, & ferocientes nationes, quæ Rhenũ, Danubiũ, Albim, Lycũ, Viſurgim Amaſum, Oderã, Viſtulã, oceanũq; Germanicũ, aut Cimbricã Cherſeneſſum, Gottiã, Vandaliamq;, accolunt, aut inſident, partim armorum ſuorum ſonitu, expauefactas, partim clementia, benignitateq;

ſua

ſua allectas, Imperij ſui mãſuetudinem ſubire adegit.

. xxviij.

Vt ille Britones Imperio ſuo adiecit:ità hîc Britonicæ Claudiæ, deindè Renatæ Ludouici duodecimi Gallorum Regis filiæ primùm deſponſus. Et ipſe Britonibus attributus pacto dotalitio fuerat. Sed Britannias, & Albionem Regnis ſuis, per neptem nurum ſuam factam, Reginam Mariam Dominam noſtram clementiſsimam, ac filium Philippum Regem noſtrum iuſtiſsimum adiecit, & acumulauit.

xxix.

Vt ille varios Principes reſtituit: ità hic multos Reges, & Dynaſtas in Regna, Dynaſtiaſq; ſuas eiectos reſtituit. Franciſcum Regem, Gallia ſua, Papienſi prælio excuſſum, data illi vxore Leonora ſorore ſua in Galliam, Galliſque remiſit.

In hoc maior Carolo ſuo Magno, qui Deſiderium ad Papiam victum, in Longobardiam ſuam non eſt paſſus reuerti. In Africa Muleaſenum Regem Thunetenſem, ac anteà Regem Tremiſſenum, & Feſſanum, in Germania Henricum Bruunzvvycenſium Dynaſtam, ac Ducem. Itidem Albertum Marchionem Brandenburgenſium: in Italia Franciſcum Sfortzam, & Pontificem Clementem: in India plurimos, & illîc, alibiq; alios plæroſq;, quos hic (vt breuis ſim) prætereo, Regnis, & Principatibus ſuis remiſit, reſtituitque.

xxx.

Vt ille Boîos, & Herciniæ ſyluam, quàm Boîohæmi inſederunt, malè per occaſionem mulctauit: ità hic tumultuantes Bohæmos, bello Saxonico confecto, per fratris Ferdinandi Romanorum, Hungarorum, Bohæmorumq; Regis, & ſuas cohortes, multaq; illîc hominum vitia, & fraudes, damnis, exilijs, vinculis, mulctari curauit.

xxxj.

Vt ille in ramentis altiſsimarum, & niuoſiſsimarum alpium ſuarum, inſidias, & vim hoſtilem ſenſit: ità hic in ramentis, & radicibus celſiſsimarum, & pruinoſis niuibus rigentium, albentiumq; alpium ſuarum, dolos, & violenter inimicum amici acceſſum expertus eſt.

In hoc maior Carolo ſuo Magno, quod hic non pugnauit, ſed anteuertit: & in hoc ab illo diuerſus, quod ille armatus ad Roncivalles, hic inermis, & ſine vllis copijs ad Oênipontem fuit, ille

M ij vt

vt cum hoſte confligeret, venerat: hic vt concilium tridentinum Oecumenicum vrgeret (in quo ſacra ancora tollendæ ex religione diſſenſionis ab eo iacta erat (in Oeniponte loco aperto nec ſatis firmo tranquillus, pace vbiq; terrarum opera ſua rurſus conſtituta, reſederat, nullum penes ſe habens militem.

Septem ad Villacum Cæſar ab Oeniponte eſt vſus diebus, ac Quadraginta ſic miliaria in Carnis alpibus confecit: die enim dominica (etſi varij de hoſte afferebantur rumores) iter ingredi noluit. Sed in Preuneco, media ferè via ſubſtitit. Quem in locum Ferdinandus Rex ex Oeniponte per id tempus quoq; venit Cæſari indiuiduus achates: & Villacum ad Cæſarem quoq; venit Maxęmilianus Bohæmiæ Rex Cæſaris gener. Ex Villaco Cęſar comparato exercitu Oenipontem ſe recepit: & Auguſtam vindelicorum, eiectis ex ciuitate tumultus noui authoribus, quos hoſtis induxerat: hinc Vlmam venit: hinc Argentinam acceſsit, ibiq; Rhenum ponte traduxit exercitum: VVormaciam, Spiram, Maguntiam, metu hoſtis Alberti Brandenburgici Gallico Regi fauentis, perturbatas, & debilitatas ciuitates in fidem, clientelamq; ſuam ab hoſte recepit, & recuperauit. Forum Francorum, & Nurembergam pariter ab Alberto hoſte obſeſſas ciuitates, literis, & nuntijs ad ſuſtinendum, diſtinendumq; hoſtẽ adhortatus eſt.

Ipſe Albertum hoſtem perſequens, cum tota eum Germania excedere coëgit, tùm treuiris eiecit: ac propè Metim terrore armorum ſuorum incuſſo, in partes ſuas tranſire, Gallicaſq; deſerere compulit.

Ac prius cum Mauritio amabiliter Reipublicæ cauſa tranſigens, Germaniam totam, ad veterem pacem, tranquillitatemque reuocauit: Lantgrauium Philippum Heſſum, Saxonemque Ioannem Fridericum (præter multorum opinionem) amiciſsimè ab ſe dimiſit. Ac ad ſuas Dynaſtias, vrbibus eorum omnibus iàm pridem ex pacto dirutis, armiſque traditis, regendas remiſit.

Ac illi quidem obſides ſuæ fidei Cæſari præſtandæ dederunt potentiſsimos Germaniæ Principes: ſed Cæſar ſe illis æquè ac obſidibus, & vadibus credere dixit: rectèq; iuſsit valere. Neſcio ſi in illorum manus Cæſar bello Germanico veniſſet, quid de illo ſtatuendum cenſuiſſent. Omnium certè fuit mortalium opinio, quod non tàm commodè ab illis habitus fuiſſet: exemplo ſumpto ab Henrico Duce Brunzvvycenſium, qui cum liberis arctiſsimo loco

loco concluſus, nullius in conſpectum nec ille, nec ipſi admiſsi ſunt: ſic vt an viui, an mortui eſſent, donec eos Cæſar liberaret, planè ignoraretur.

Et in hac clementiæ laude omnes Cinnas, Syllas, Marios, Pompeíos, Cæſares, Auguſtos, Hannibales ſuperauit, qui proſcriptos, & hoſtes ſuos haud ità tractârunt.

xxxij.

Vt ille multos nouos Principes dixit, & creauit, qui antè Principes non erant: ità hic multos nouos Principes creauit: ac tres in vita Reges dixit, qui anteà Reges non fuerant: quorum nomina, inuidiæ vitandæ cauſa, prætermitto: ſed ſunt illuſtria nomina Regum chriſtianorum præpotentium: (non autem fuerant Regum liberi) ſed illos in cœtum aurei veſtri velleris Equitum allectos hactenus non fuiſſe ſcio. Quid de illorum liberis futurum ſit, vos videritis: quidam enim ex illis Regibus mortui ſunt.

xxxiij.

Vt ille multa Regna, & Prouincias à Barbaris, & chriſtiani nominis, & ſanguinis hoſtibus abſtulit, & ſemel naufragium paſſus fuit: ità hic multa Regna, & latiſsimas, vaſtiſsimaſq; prouincias à Barbaris & chriſtianæ pietatis, & religionis ſuæ hoſtibus, & inimicis bellica virtute, & laude eripuit: & ſemel naufragium paſſus fuit, in Africa ad littus Mauritaniæ malè portuoſum, ac id quidem naufragium etiam cum Iulio Cæſare commune habuit: ille enim in Britanniam, ex Belgica traijciens, ſimilem nauium ſuarum diſruptionem colliſionemq; perpeſſus eſt. Ac alibi iterùm ferè ipſe ſubmerſus fuit: cùm natans altero brachio exerto, commentarios rerum ſuarum, ne humectarentur extulit, vt aqua extarent.

Cæſar noſter Carolus rerum ſuarum nullos ſcripſit ipſe commentarios, CHRISTVM, & Socratem, & Alexandrum magnum in hoc imitatus, quanquàm ſi voluiſſet, commodiùs quàm ego multo, aut alius quiuis id perficere potuiſſet: ſed pietatis, & humanitatis ſtudium, eum ſemper à ſcribendo deterruit, veritum (vt ſuſpicari licet) ne laudis propriæ auidus à Deo cenſeretur.

At rebus eius omnibus benè, ſanctè, fœliciter finem impoſitis: quid illi præter Lycippi Scalpellum, & Limam, Apellis Penicillum, Homeri, Maronis, aut Ciceronis pugillares defuit, ad ſummam mortalium in hoc mundo fœlicitatem, poſteris ſpe-

ctaculo, miraculoque futuram relinquendam? Rectè Alexander qui ab Apelle pingi, à Leucippo ſculpi, ab Homero ſe ſcribi exoptabat. Sed vt ſcriberetur, Cæſari ea res curæ haud fuit. Mihi hoc ſatis erit, ſi, quia hæc eo, & Philippo filio ignorante ſcripſi, non acerbiſſimè vapulem. Fuit certè ea præcipua laus in Carolo præclarè gerere Rempublicam, quàm laudem nulli Scriptores laude ſcripturæ aſſequentur.

xxxiiij.

Vt ille his tantis opibus, tot, tantiſq; rebus, magno animo geſtis, eam ſibi famam, non ſolum in Gallia, ſed etiam per vniuerſum terrę noſtræ ambitum comparauerat, vt vndiq; ad eum legationes concurrerent, quæ gratiam, atq; amicitiam eius publicè, priuatimque, enixè peterent: ſic vt memoriæ proditum ſit, Perſarum Regem, cuius opes in Aſia longè, lateq; patebant, Caroli fama, & celebritate nominis adductum exquiſitiſsimis artibus, grauiſsimiſq; de cauſis amicitiam, ſocietatemq; eius expetiuiſſe: ità hîc noſter Carolus tantis Regnorum opibus, tot, tantiſq;, & tam periculoſis, & formidatis, victorijs adeptis eam ſibi non ſolum in Gallia Belgica, ſed etiam per vniuerſi maris, terrarumq; ſpatia famam, & exiſtimationem nactus eſt, vt vndiq; ex Aſia, & Africa, & nouo orbe ad eum legationes confluerent.

Itaq; Mauritanorum, & Libycorum, & Tartarorum, & Scytarũ, vltrà Tanaim, Boryſtenemq; degentium cum Legatis literæ illi, cũ ſæpè aliâs, tùm Germanica victoria nuper inclareſcenti quaterna equitum milia ſingulæ, aliæ multas auri pondo, myriades gratulabundè obtulerunt, vt in eius gratiam, amicitiamq; arctius reciperẽtur. Sed & Sophus Perſarum Rex in Aſia longè, lateq; imperans ad ſinum Perſicum: & Prętoîanes in Arabico ſinu Satrapa in Aſia quoque potentiſsimus, Caroli noſtri Maximi, cùm victorijs, tùm potentia, & virtutis fama exciti, fœdera cum eo iampridem contrà Turcas ſ[illegible]ire non ſunt aſpernati. Prætoîanes quoq; fidem chriſtianam apud Clementem ſeptimum Pontificem Romanum, præſente Legato Cæſaris, & Luſitani Regis, Romæ verbo, & ſcripto cõteſtatus eſt, non ſine magna cùm Cęſaris Caroli, tùm Luſitani Regis Ioannis, Sororij ſui lætitia.

xxxv.

Vt ille moribus humaniſsimis, atq; incorruptiſsimis fuit: & tamen forma, & dignitate vultus tàm eximia erat, vt decorem ſimul præ

præ ſe ferre videretur, cum Auguſta quadam maieſtate cõiunctum. Habebat & in oculis pætis, & ſuauitate vocis, Imperatoriæ virtutis, clementiæq; ſplendorem, & in inceſſu, totoque corporis motu ſummam dignitatem: & contrà conſuetudinem Gallorum barbam alebat.

Ità hic moribus humaniſsimis, & planè incorruptis fuit, adeò vt modeſtia, pietas, clementia, benignitas, humanitas, manſuetudo, bonitas viri, facilè ex ipſo vultu appareret: & tamen corporis albicantis forma, & dignitate vultus tàm eximiè pulchra fuit, vt decorẽ, & formoſam pulchritudinẽ corporis ſimul ſecũ afferre illum appareret, cum Auguſta, & Imperatoria quadam maieſtate coniunctam.

Habebat, & in oculis ſemiclauſis, & pætis, & in ſuauitate perblandę vocis (labijs ſeſe & oculis, & digitis, decentiſsimè omni ex parte, ad auditorem mouentibus) tantam dulcedinem, ac Imperatoriæ virtutis, clementiæq; ſplendorem vndiquaq; ſcintillantem: vt ſicut ſuauitates odorum qui afflantur è floribus, ſuauitudine ſua naturam hominum mouent ad delectationem, & iucunditatem: ità homines ſe quaſi cum radijs, & afflatibus, tùm verò odore illo bonitatis Cæſareæ, captos eſſe, & incenſos ſignificarent. Et nihilominus in grauiſsimo, atq; lentiſsimo inceſſu, & in toto corporis, membrorumq; tardiſsimo motu ſummam oſtendebat maieſtatem. Et contrà conſuetudinem Gallorum, & Germanorum pariter, barbam alebat, quod Maiorum ipſius nullus faciebat. Eiuſq; exemplum multi mortales ſecuti ſunt, vt tonſo capite, barba promiſſa incedant, cùm anteà barba raſa, capillus eſſet longiſsimus.

XXXVJ.

Vt ille valetudine fuit proſpera, niſi cùm ſeneſceret: balneis, & aquis natura calidis, & efficacibus libenter vtebatur. Itinera per niues, & hyemes ſuſcipiebat: vnicũ habuit fratrem, & pulcherrimã habuit in matrimonio ſobolẽ, præceptorẽ habuit Albinum (aliâs Alcuinũ) virum doctiſsimũ, ſummumq; philoſophum, & theologũ. Aliquam habuit extrà matrimonium ſobolem, quarum vna illi moleſtias nõ paruas fecit. Et vt in omni vita, cibi, & vini continentiſsimus, parciſsimuſq; fuit: venationibus vbique deditus, cùm foris eſſet: domi aſtrorum contemplatione, ſtudioque delectabatur. Et illi à matre maximarum dignitatum ornamenta profecta ſunt. Ità hic Cæſar robuſtus, fortis, firmus, validus, potens, ſanus, valens fuit, vſq; ad annum ætatis ſuæ Quadrageſimum. Ex quo tempore, intermiſsis exercita-

citationibus, & accedentibus, & vrgentibus doloribus podagræ, & aſthmatis, quàm amiſerat valetudinem, cœpit ſuſtentare noticia ſui corporis: & cum obſeruatione earum rerum, quæ res aut prodeſſe ſolent, aut obeſſe, tùm continentia in victu, omnique cultu, corporis tuendi cauſa, & prætermittendis voluptatibus. Iàm enim vxorem Iſabelam Luſitanicam amiſerat: thermis quoque, & aquis naturaliter efficacibus, & æſtuantibus plærumq; vtebatur: atq; hoc beneficium naturæ, ad membrorum recreationem, & inſtaurationem, hominibus ſingulari Dei munere tributum eſſe aiebat.

Itinera autem tàm mari, quàm terra, ferè ſub hyemes, & niues ſuſcipiebat.

Itaq; Quadraginta illas longinquas, & formidabiles profectiones in vita ingreſſus eſt, per niuoſos plærumq; tramites. Sic quoq; illud frigus illi gratum, atq; amicum fuit, vt niuibus & glacie ſæpè ad potum refrigerandum æſtate, ſed & nitri ſale vteretur. Quæ duo, vtrum ad podagræ incrementum aliquid attulerint adiumenti, aliorum eſto iudicium.

Et hic vnicum habuit fratrem Ferdinandum, quem tanta charitate complexus eſt, vt ei totum patrimonium aui Maxæmiliani Cæſaris reliquerit, & eum in flore ætatis, Regem Romanorum, & Cæſarē deſignârit. Et ad Bohæmicorum, Pannonicorumq; Regnorum ſceptra conſequenda, author, adiutor, auſpex fuerit: ſed & imperium illi eximia, & obſtupeſcenda liberalitate donauerit.

Et hic pulcherrimam, & formoſiſsimam habuit in matrimonio ſobolem, filium videlicet vnicum Philippum Regem, & Dominum noſtrum clementiſsimum, atq; iuſtiſsimum: & duas filias, quarum maior natu, nomine Maria nupta eſt Maxæmiliano, Ferdinandi fratris filio natu maximo, Regi Bohæmiæ: cuius viri fama, atq; authoritas virtutis, & prudentiæ ergo, ſic nuper apud Germanos, & exteras gentes creuit, vt rediuiuum Maxęmilianum Cęſarem, abauum eius tenere mortales arbitrentur. Altera filia nomine Iſabela Ioannis Regis Portugalliæ filio vnico in matrimonium collocata eſt. Ac ſunt hæ duæ Cæſaris filiæ tàm eximio corporis albiſsimi candore, & vultus, geſtuſq; fœminei decore prædıtæ, patris fratriſq; vultum, & lineamenta faciei referentes: vt angelicas potius, & diuinas, quàm humanas, & mortales eſſe formas, homines ſint ſuſpicati. Ac idē in Philippo Rege noſtro fratre earum, accidit. Qui & ipſe perquàm formoſo, & perquàm eleganti, pulchreq; formato eſt corpore.

Ac ipſe quidem Philippus prius Ioannis Luſitaniæ Regis filiam

vxorem

vxorem duxerat, ex qua ſuſcepit generoſiſsimi, & maximi animi, filium, Carolum nuncupatum, veſtri ordinis perilluſtrẽ Equitem. Mira de hac Regia prole homines aulicos narrare audio: quàm ingenio acri, moribus grauibus, verbis acutus, animo militiæ, & gloriæ, veræq; laudis auido, ac Reipublicæ benè, fortiter, ſapienter gerendæ, & regendæ ſtudioſo ſit.

Fœcundus filius Philippus Rex noſter, fœcundæ Cæſaris filię fuerũt: ſuntq; adhuc: niſi quod minor natu filia marito orbata ſit lectiſſimo, atque ornatiſsimo iuuene, cui poſt mortem viri Poſthumum filium pulcherrimum peperit. Sic quod Cæſar Abrahami benedictionem ſenſerit, ac non ſolum liberos ſuos, ſed liberorum liberos viderit, qui breui Abauo Carolo Maximo quartam generationem oſtendere, ſi viueret, poſſent.

Philippus autem Rex noſter mortua priore coniuge, primùm Leonoræ amitæ ſuæ, filiæ deſtinatus, poſteà Mariæ Britannicæ Reginæ, Dominæ noſtræ clementiſsimæ deſponſus, & ſociatus fuit, ſapientiſsimæ, & chriſtiani pectoris cauſa apud omnes mortales laudatiſsimæ, & honoratiſsimæ Reginæ: de cuius mirifica indole, inaudita patiencia, ſummaq; conſtantia, & pudicitia, præſtat tacere, quàm pauca dicere. Vnum tamen ſilere non poſſum, quod vniuerſa morum, & vitæ probitas (hoc Cæſare Carolo præferente omnium virtutum facem) in familiam, aulamq; hanc Auſtriacam commigrâſſe, & ſeceſsiſſe videtur. Et hic Cæſar præceptorem habuit Adrianum Traiectenſem, grauiſsimum, doctiſsimumq; theologum, & philoſophum, quem gratitudinis, & amoris ergo, multis, vtrijſq; muneribus, & honoribus cohoneſtauit. Ac ille quidem ſine vllo Cæſaris ambitu, aut procuratione, à Senatu purpuratorum patrum, Romæ abſens in comitijs Pontifex maximus (vt dixi) electus fuit, quod quam raròacciderit, & præſertim homini alienigenæ, & Germano, in Italia ſatis liquet.

Ille, ille erat Adrianus, qui pullulantes hæreſes in Germania miſſo Legato ſuo Chæregato componere, & reſtringere ex animo cupiebat: qui Principum Germanorum, & Caroli cauſa, & amore incenſus labantem Germaniæ ſalutem conſeruare anniſus fuiſſet. Neq; hanc Anarchiam, omnium inquam ordinum perturbationem, & odium in patriam ſuam Germaniã inuehi, & impelli paſſus fuiſſet. Atque vtinam Deus Germaniæ Principum tandem oculos ad veritatem, & ſalutem ſuam intuendam aperiat.

Et hic habuit antè matrimonium filiam notham Margaretam,

quæ

quæ primùm Alexandro Medici Florentinorum Duci nupta, quo extincto adiuncta eſt Octauio Farneſio, Parmenſium Duci, quæ illi gemellos filios nuper peperit,& nonnullas ex hoc matrimonio moleſtias nactus eſt Cæſar. Certè Parma initium, & exordium fuit, vltimi pernicioſiſsimi belli Gallici, ex quo & bellum Germanicum rurſus tanquàm fomite ignibus addito vlrimum exarſit: quam controuerſiam per filium Philippum tandem reſtinxit.

Et hic in omni vitæ ſuæ curriculo, à communi Belgarum, & Germanorum conſuetudine, atq; vrbanæ vitę moribus multum abhorruit. Tantam enim diligentiam in conformatione,& moderatione continentiæ, & temperantiæ, in cibo, atq; potu omni adhibuit, vt plærumq; ad menſuram, & ad certas vncias, definitaſque biberet, & ad pondus comederet. Magnus certè numerorum, & ordinis ſemper obſeruator fuit hic Cæſar: & vitrea(ad illorum certitudinem)habebat ad bibendum, certis vnciarum numeris definita.

Atq; cùm ego in Sterbeca Cæſaris aula poſtremò fui, ſeptem in abaco vitrea poſita annotaui, in forma trianguli æquilateri, quorum primum aciem trianguli, Cæſaris oculis, & menſæ oſtentabat: reliqua bis terna ſic erant collocata, vt trianguli ad omnes ternos angulos æquales eſſent diametri. Sed & ad horaria,& horologia hanc numerorum curam Cæſar tranſtulit: nunquàm ferè magis hilareſcens, quàm cùm omnium concordiam, conſenſionemque perſpiciebat, nec mirum, ſi numeros tanri ſemper fecerit. Totus enim Cæſar Carolus, quintus, Auſtria, Gandaum, Flander, Belgius, Aſburga, Monarca, Maximus, quantus quantus eſt, ex ſeptenario, ſeptilitero, numero conflatus eſt: qui numerus, perfectiſsimus, beatiſsimuſq;, cùm ſit, haud mirandum equidem puto, ſi & ipſe Cæſar perfectiſsimus, beatiſsimuſq; Deo,& hominibus quoq; gratiſsimus mihi ſemper ſit viſus. Et omnia eius acta perfectiſsima, pleniſsimaq; pietatis in Deum:& charitatis in humanum genus extitiſſe comperio.

Ac deniq; omnem familiam Auſtriacam, Enciclopedia, & circulo virtutum omnium adepto per vniuerſum terrarum orbem perfectiſsimè, conſummatiſsimeque ſparſit.

Neq; tamen hæc dico, quod numerorum vim aliquam, aut poteſtatem eſſe occultam mihi, aut vobis perſuadeam. Sed vt prouidentiæ Dei magnitudo, & ſapientia, & ſignum, & ordo, & numerus, & pondus, & menſura ab omnibus piè conſideretur. Similis enim menſura, & diſpoſitio, & collectio numerorum, & pulcherrimarũ, laudatiſsimarumq; actionum, tùm publicarum, tùm priuatarum in alijs

alijs Regibus,aut Principibus, aut viuis, aut mortuis reperta non eſt ab orbe condito.

Atq; eandem mediocritatem paſtionis,& ſobrietatem cum ſumma frugalitate, & parſimonia copulatam, ad veſtitum tranſtulit ſuum. Nuſquàm enim veſtitui nimio indulſit, nuſquàm purpura tyria, nuſquàm præcioſa, & regalis veſtis, in vſu vitæ eius quotidiano apparuit: ſed nigra lanea veſte, & diu lugubri (poſt vxoris præcipuè obitum) eſt vſus, vt & in re omni familiari attentus, nuſquàm immodicus exiſteret.

Cùm Cęſar in Africam ſecundò traijcere conſtituiſſet, accerſierat ad ſe Noricum quendam Architectum, qui illi æreum caminum extruxerat: quo in tabernaculis, bello Africano vti, omnibus momentis, omnibuſque (cùm vellet) locis poſſet. Eratque is caminus portatilis, certis numeratis commiſſuris ità conſtructus, atque colligatus: vt duo muli clitellarij eum commodiſsimè per colles, & vias ſalebroſas, & arenoſas ferrent: multùm enim per id tempus conquerebatur Cæſar noctes Libycas frigidiſsimas, dies æſtuantiſsimos ſe ad Carthaginis mœnia fuiſſe perpeſſum. Sed ſubducta ſumptuum ratione, & animaduerſo quod ſeptem horarum ſpacio, luculentum focum, caminus ille, niſi totus igneus ipſe pariter exardeſceret, ferre nõ poſſet. Numeratis Quadraginta pro labore aureis Germanicis eum modeſtiſsimè à ſe dimiſit.

Per idem tempus alius homo ingenioſiſsimus in eius cubiculum me rurſus præſente intromiſſus eſt, qui inſtrumentum quoddam extrahendis ex mari demerſis integris triremibus, valdè affabrè factum, & circulariter contortum Cæſari oſtendebat.

Demonſtrabat autem decem milia pondo, exiguo contorto circulariter ferreo axe per minimam digiti humani compreſsionem poſſe altiſsimè à terra attolli. Sed Cæſar partim ſumptuum faciendorum metu, partim proportionis creſcente magnitudine deterritus (quam oneri tanto ferendo imparem fore rebatur) & illum quoque liberaliter à ſe habitum, per id tempus in Germania dimiſit.

Ac ego quidem præſente Nicolao Perenotto, Granuellę Dynaſta ſummo Cæſaris Conſiliario, & Nomophilace, & Lodoico à Flandria Pratenſium Dynaſta, veſtri ordinis perilluſtri Equite, & ſummo Cæſaris Cubiculario, linguam illorum architectorum Germanicã, Cæſari præſenti, gallicè interpretabar: ſic vt ſeſe mutuò optimè intelligerent. Quo in officio vna res mihi perridicula accidit: cùm enim ego quaſi germanicæ ſuperioris linguæ non imperitus, pluribus

bus verbis ſenſa illius poſterioris architecti enuclearem, quæ tota in numeris conſiſtebant: Eccè mihi Cæſarem viri illuſtres veſtrũ Carolum: ſubitò ex triremium, ponderibus expenſis, errorem meum in lingua Germanica interpretanda apertiſsimè, & ob oculos demõſtrauit, ac vnius quintalis errore ſæpius deceptum, non Chiliades, ſed Myriades librarum ab eo ſignificari conuicit. Ego verò non exiguo (imperitiæ meæ ergô) rubore per totum vultum ſuffuſus, Cæſarem plus Germaniſmi, quàm me de architectura didiciſſe comperi. Sed quemadmodum id officij gratis Cæſari impendebam, ità nõ ingratè, nec iniucundè ab illo dimiſſus ſum: Pratenſe res reliquas adoleſcentiæ meæ, lanugine ſola contectæ, condonandas ſuadente. Et quod Scepperianis curſibus, defatigatus, & attritus: illarum rerum ſtudio (vt iuri ciuili ferè contrario) pauxillum operæ nauare, quiuiſſem.

Præſagibat autem Cæſari per id tempus, vt ex oculis eius animaduerti (qui optimi ſunt indices animi) animus, affore, breui, tempeſtatis, & frigoris calamitatem inopinam, quam veritus hæc ſibi ſubſidia duo comparabat: ſed Monſalconetus Dynaſta (vt apparebat) ſumptuum expenſa ratione, ſtudium, & cupiditatẽ Cæſaris in aliud tempus, moramq; reiecit. Erat autem ille ex Cæſaris œconomis.

Nuſquàm apud Cæſarem pręter modum lauta erat ſupellex, nuſquàm incendebantur odores mirifici, nuſquàm menſæ conquiſitiſſimis cibis extruebantur. Niſi fortè diei feſtum, aut Principum, aut Regum appulſus, aut rei agendæ ceremoniæ, ſolemneſq; actus, aliud ex Republica faciendum ſuadebant.

Ac in menſa plærumq; ſolus, & taciturnus aſsidebat: ità vt conuiuia eius ſine conuiua moderata, ſolitaria, honeſta, nõ magnificè, non ſplendidè, non opiparè apparata, aut ornata, aut intempeſtiua eſſe conſtaret.

Nullas ad res quantumcunq; graues, vtiles, faciles, iucundas, honeſtas, neceſſarias, aut expetitas, pecuniæ pręter cauſam prodigus fuit repertus. Ac illius expendendæ magnam rationem ſemper, & vbique habendam putabat. Neque enim eum fallebat quàm grauis (belli potiſsimum ingruentis tempore) populis ſuis, eius conquiſitio eſſet. Ipſe autem ciuitates, populoſque omnes (vt quos ſibi ſemper chariſsimos habuit) ab omni inutili, & ſuperuacua impenſa liberandos eſſe aiebat. Neque eos aliter, quàm liberos ſuos à ſe haberi debere: à vinolentiæ porrò, & vanæ gloriationis, & voluptatum vitio ſemper adeò fuit alienus, vt qui illum, & à puero optimè noue-

runt,

runt, eandem illi tùm indolem, quæ nunc in ſene, & extrema ætate aparuit, etiam infanti, & ephæbo, & adoleſcenti, & iuueni, & viro fuiſſe affirment. Magna certè vitæ hæc, morumq; optimorum admiranda fuit conſtantia, quæ à primo ætatis flexu, eundem ſemper animi, pudoriſque ingenui tenorem, moderationemque ſeruauit.

Cùm eſſet Cæſar in Hiſpanijs anno ætatis ſuæ trigeſimo octauo, multiq; Dynaſtæ multis ab eo precibus contenderent, vt victoriæ Libycę tabulas in picturis, & periſtromatibus ad viuum depingi permitteret: dedit tandem hoc amantiſsimorum veſtri ordinis Equitũ precibus, vt periſtromata fierent.

Sed cùm ad id iconicè, vereq; effingendum opus eſſet belli totius Africani narratione, quomodò naues ad littus appulſæ, & contrà Gulettam detractis malis, & antemnis obiectæ fuiſſent: quomodò rurſus Ferdinandus Gonzaga, & Dux Albanus, Marchioq; Vaſti cũ reliquis Tribunis inſidias hoſti tendebãt. Ac Guletta arce egreſſos, paucis velitum copijs, ad ſpeciem pugnæ oſtentatis, ſubito, & inopinato, maiorum copiarum ex locis occultis ſuperuentu, eos in arcem fugientes compuliſſent, ac hoſtibus Afris, Turciſq; immixti Cæſariani arcem ingreſsi eſſent, hoſteſque eieciſſent.

Hinc rurſus quomodò Princeps Auria, naues in ſeptunces ordinatas, triremes binas binis in formam trianguli, admotas ad Gulettam ſub nebula tenuiſſet: quæ prælia ſecunda, quæ aduerſa miles feciſſet. Vbi à nonnullis erratum, vbi à præcepto ſuo diſceſſum, vbi tardius imperata facta erant, narraret. Deniq; quomodò triplici inſtructa acie contrà Tunetum caſtra mouit, quomodò ad Oliueta cum hoſtibus pugnatum, quis ardor ſolis, quis diei æſtus, quæ aquarum inopia, quæ vię arenoſæ inamæna progreſsio, fatigatos in ordinibus acierum ſtantes milites exagitauerit, lõga oratione diſſereret.

Denique quomodò mentibus militum religioſè expiatis, cum Ænobarbo congredi, & cum eo acie decertare conſtituiſſet, quæ concurſio Afrorum, & recurſio, quæ machinarum eiaculatio, quę rurſus excurſio longiſsima, quæ iterùm fuga perniciſsima, feſtinatiſsimaque Afrorum, Turcarumque fuiſſet, dictitaret. Ad quem modum in vrbem profligatum Ænobarbum poſtremo compulerit, ac arce Tunetana amiſſa, quomodò ad eam precibus prius, poſteà minis propoſitis Ænobarbus ingredi attentauerit. Ad vltimum quomodò rebus omnibus deſperatis, claſsibus, arcibuſq; amiſsis, primorum ordinum Ducibus conciſis in fœdam, & neceſſariam fugam ſe Ænobarbus coniecerit, & ad ſalutem cõtenderit, exprimeret.

N Quid

Quid ipſe Cæſar captiuis chriſtianis in arce ſigni dederit, quomodò eos ad libertatem vocauerit ergaſtulis emiſerit, ſeruoſq; omnes datis pecunijs pro commeatu manumiſerit: quàm multa hominũ milia chriſtianæ pietati reſtituerit: quomodò vrbem, permiſſu Muleaſeni Regis militibus ſuis diripiendam triduò conceſſerit: & cum Muleaſeno de fide, & gratitudine pactus, eum in Regnum paternum reſtituerit: atq; vicinorum Regum legationibus auditis, & dimiſsis diſceſſerit: Siciliamq; adnauigârit, recenſeret: tanta verborum modeſtia, tanta humanitate oris, tanta iucunditate oculorum, toto longiſsimo ſermone Cęſar eſt vſus, vt quanquàm multa incidiſſent, quę graui, & ſeuero Imperatori irã, bilemq; acuere debuiſſent, nuſquàm tamen nec iracundè, nec minaciter, & abruptè locutus ſit.

Ac Maius pictor Cæſareus re intellecta, ex ore Cæſaris, hiſtoriam totam ſtilo, & penicillis ſuis ſic delineauit, vt Cæſaris orationem pictura ſua conſecutus eſſe videretur: ac periſtromata ex ea ſic facta ſunt aurea.

Aucupijs autem, & venationibus ad delectationem, & corporis exercitationem, valens ſubindè vtebatur: ſed ità vt in ludorum, venationumq; apparatum, pecunias non magnas ex ærario profunderet.

Taurorum venatui, cannarum eiaculationi Mauritanæ, haſtiludijs, digladiationibuſque equeſtribus, & pedeſtribus ſatis iucundè fauebat.

Ipſe omnium armorũ tractatione exercitatiſsimus Gandaui anno ætatis ſuæ trigeſimo, palmam victoriæ omnium imaginariarum, & ſeriarum conflictationum, & ſæpè alias alibi reportauit.

Arcabuſa autem ſæpius, quàm arcubus, aut baliſtis in feris ferien dis vtebatur. Sæpè mulieres forma, moribuſq; honeſtioribus præditas verborum ſuauitudine lætiſsima exſaturauit. Eiuſq; rei cùm alij multi, tum Pratenſis Dynaſta, & Boſſuus Comes, veſtri ordinis perilluſtres Equites, & Bandinus Hetruſcus Eques, teſtes mihi eſſe potuerũt. Et hęc tamen omnia ſic mediocriter, vt Reip. rectè, & ſapienter gerendæ tempora nunquàm negligeret. Valdè quoq; aſtrorũ, & mathematicarũ artium cognitione, eiuſq; doctrinæ ſtudio eſt delectatus: eaq; in re anno quadrageſimo primo, cũ Ratisbonæ, in Germania conuentus ageret, Petri Appiani inſignis Mathematici opera eſt vſus. Ac ego cũ ipſius Cæſaris iuſſu, in gallicè interpretãdis nominibus, & circulis artis eius, nonnihil maieſtati eius inſeruiui: ſic vt planè perſpectum ſit mihi, eius ea in re longo tempore ſtudium.

Li-

Libellum enim iàm ab illo tempore meis digitis gallicè conſcriptũ, de ea re habet, quam ex ore Appiani præceptoris mei didiceram. Atq; hoc ſtudium ne vltimo quidem tempore adhuc remiſit, ſic vt orbium illorum cœleſtium motus dífinitos, ſyderumq; curſus ordinatos, Phœbi, Dianæq; defectiones, quo in ſigno quæq; errantium ſtellarum, quoq; tempore futura ſit, qui exortus quoq; die alicuius ſigni, aut qui occaſus futurus ſit, numeris, & rotis perſequeretur. Ad eamq; rem explicandam Cæſar commodiſsimis, & faberrime, ingenioſiſsimeq; factis inſtrumentis vtebatur, in quibus coniunctiones, oppoſitiones, trigoni, quadratiq; aſpectus planetarum: Dierum, noctiumq; interualla dilucidè explicabantur. Habebat & vnum præcipuum in quo ſepties ſeptem chiliadibus annorum motus octauæ ſphæræ ſecundum Alphonſum Romanorum, & Hiſpanorum Regẽ & Ioannem à monte Regio conficitur. Qui anni in vnum ducti faciunt quadraginta nouẽ milia annorum, qui numerus veſtri ordinis Equitum eſt proprius, illorum inquã Equitum quos Cæſar Regna deponens reliquit. Quandò vnuſquiſq; veſtrum illuſtres Equites vni chiliadi præeſſet. Pytagoricorum alia in hoc motu annotanda fuit ſententia.

Sed cùm per id tempus celerior, tempore Regis Alphonſi tardior eſſet octauæ ſphæræ motus (ſicut quibuſdam præſtantiſsimis viris placere video) magis Regi in hac parte credendum eſt, quàm veteribus philoſophis.

Omnis enim de aſtris philoſophandi ratio, magna indiget & varia, varijs in locis (propter Meridianorum varietatem) obſeruatione, & ſcientia, ex aſpectu ſyderum comparata. Multò enim citius in vno Meridiano, veluti Italico, quàm in altero veluti in Belgico planetarum motus, aſpectuſq; apparent: ſic vt eodem momento nati in Italia, & Belgica, diuerſam planè in Horoſcopo habituri ſint cœli, ſyderumq; formam.

Quod ſi igitur in ſeptem Belgicæ vrbibus maioribus, ſeptẽ eſſent præſtantes Mathematici, & Aſtrologi, qui continuè ex aſpectu, motuq; cœli, ſinguli in ſuis vrbibus, ſingulorum dierum, hebdomadarũ menſium, annorum, cœli, terræ, maris, aëris operationes diligenter, & ſolerter annotarent, poſtquàm id ſeptuaginta annis ſic factum, in literaſq; Diarias, & Ephemerideſ relatum eſſet, ac rurſus repetitum, in ſuccedentibus ſeptem decadibus annorum, ab alijs, atq; alijs eſſet. Illi enim primi quidem iàm mortui eſſent, ſed obſeruatę in ſingulos dies, operationes dierum, noctiumq;, varietateſq; in cœlo, in terra, in

aëre,in mari,in ſtirpibus,plãtis,arboribus,animantibus,hominibus, quę eueniſſent viuę,& loquentes eſſent:tum primum quid ſeptimo quoq; die quarta pars Lunæ,viſa,vel non viſa:creſcentis, vel morientis planetę in illo meridiano operari poſſet,quid prima,quarta,quinta Luna vellet,prædicere,& prǽſignificare poſſet,perſcribere veriſimiliter poſſent,& augurari,ſi tanta res fortè ſic comprǽhendi poſſet.

Sed nunc,cùm vix vna in hebdomade vſum ſyderεorum motuũ perfectum habeant,ſcribunt diuerſiſsimis in meridianis ſimiles plęrumq;,& ordinarias ferè operationes,quas cùm in ſingulos quadrantes coarctant,naſcentis,vel morientisLunæ:non poſſunt non vaniſſima,mendaciſsimaq; prædicere,atq; hæc non aſtrorum,aut ſyderalis ſcientiæ vitio accidunt,ſed imperitia Aſtrologorum iuuenum, & plærumq; inopum.

Non eſt autem mihi hîc curæ dicere de Aſtrologia iudiciaria amplius, quàm quantum ad agricolationis, & rei medicæ, & motuum ſydereorum cognitionem,experientiamq; pertinet. Reliqua enim iudicia rerum futurarum, & ſacris literis, & pijs mentibus aduerſantur. Eaq́ue vti res arcana Deo ſoli eſt relinquenda, vt & aliâs attigi. Cæſar enim iudicijs illis Aſtrologorũ quàm maximè aduerſabatur. Sed obſeruationes naturæ naturaliter,& ordinatim,ſiue ordinariè factas obſeruabat. Dicebatq; vti non ſemper eſt æſtas aut ver, ità non ſemper hominibus iucunda, aut proſpera, aut ſalutaria euenire: ſed perpetua viciſsitudine rerum humanas actiones variari. Itaq; nec ſemper nos dormire, nec ſemper vigilare, nec ſemper currere, nec ſemper ſtare,nec ſemper comedere,aut bibere, nec ſemper ſitire,aut eſurire: ſed ſeptima hora hæc ferè variari.

Eſt quoq; aliud in cauſa, quod nullus ferè eſt motus perfectè annotatus: ad ſeptemdiales enim quadrantes Lunæ aliquot horarum, momentorum, ſecundorumq; ſpacia adijci debent, rurſus ad Solis circulum,præter illos trecentos ſexaginta quinq; dies, aliquot horæ, momenta,ſecunda, tertiaq; adijci debent: quis autem perfectè iſtorum ſecundorum toto hoc tempore, quo mundus ſtetit calculum inijt?(Idem enim in reliquis eſt planetis) quis igitur rectè de his cunctis, & motu trepidationis iudicabit? niſi ſolus Deus? ſub quo omnia cœleſtia,terreſtriaq; trepidant,aëra,& aquea: ac multorum quidem opinione ſingulis ſeptem annorum chiliadibus (in quo ſeptenario veram collocauimus hebdomadem) propter magnas quorundam ſyderum,& planetarum coniunctiones, magnus fit motus trepidationis,magniq; momenti, & roboris ſunt illi motus.

Si

Si Hebręi pariter, vt Gręci de ſcientia aſtrorum, & aliarum rerum tàm multa ſcripſiſſent, non leue ex ea parte adiumentum peterent homines: ſed cùm illi ſolius Dei cognitione, adorationeq́; contenti vltrà non ſint ad hominũ vtilitatem, eruditionemq́; progreſsi: cum rurſus Græci, ſolius Dei ignoratione labefactati ad ſolas humanas vtilitates, humanam gloriam, humanas artes ſint prolapſi, vtrimque (pace eorum dixerim) non leuiter quod deſideremus reliquerunt.

Sed hic Cæſar an non omnium Regum, & Cæſarum, & Monarcharum maximus fuit Aſtrologus, & Mathematicus? an non cum vlmæ Sueuorum, Annæ Reginæ Pannonum defunctæ pompam funebrem duceret, exæquiaſq́; faceret? (fuerat enim Ferdinandi fratris vxor) eodem illo tempore, anno quadrageſimo ſeptimo vitę ſuæ, Ianellum Turrianum Cremonenſem ad ſe accerſiuit? Ac is quidem die natali Cæſaris ad eum venit? ac ſtatim illi (auditus cùm eſſet) inſtrumenti de octauæ ſphæræ motu conficiendi curam, mandatumq́; iniunxit? Mox in Saxoniam profectus eſt futurę quaſi victorię præſcius? Quid autem habet aſtrorum cognitio cum belli tractatione ſociale, quid coniunctum habebat? Magnus igitur Cæſaris animus, qui humanas actiones ſemper contemnens: diuinas, cœleſteſq́; ſolas ſemper eſt admiratus. Ac niſi tanta fuiſſet Cæſaris noſtri ſanctitas iam pridem aliam Reſpub. faciem, alium vultum, mores, legeſq́; humanæ haberent: faciliſque ad vnum paſtorem, & ad vnum ouile fortaſsis reditus fuiſſet. Sed ille hoc ſemper firmum, fixumq́; in animo habuit, nihil moliri, quod conſcientiam, aut metum, aut dubitationem mali ſecum afferret: Deo ſoli hunc orbem regendum, nō ſibi aut alijs relictum credidit.

Sed iſta latius in hiſtoriæ lectione, & ſingularum Cæſaris actionũ animaduerſione, excuſsioneq́; explicabuntur Deo Duce. Redeamus igitur ad Caroli Magni comparationem. Et huic igitur à matre, maxima patrimonij pars, & Regij ſtemmatis, & diadematis dignitas aduenit. Quæcunque enim in Occidente, & Meridie poſsidet, iure ei materno euenerunt, excepta Mexicana, & Peruaca Monarchia: & in ea noui orbis nauigatione, nouorum Regnorum, & Imperiorum multorum (cum Galliæ Ciſalpinæ dominatu) laudatiſsima adeptione. Ac Galliæ Ciſalpinæ dominatum, nemo qui iura Imperij, iura Feudorum Imperialium, iura inueſtiturarum à Cæſare Maxæmiliano factarum, iura fœderum ab eodem cum Ludouico duodecimo percuſſorum, iura pacis Madricienſis, ad Mantuam

Carpetanorum in Hiſpanijs à Gallico Rege captiuo pactæ: iura fœderis Cameracenſis à Gallico Rege libero ad Samarobrinam icti. Iura fœderis Crepiaci in agro Laudunenſi, ab vtriſque Regibus armatis percuſsi, meminerit, intellexeritque: cui adiudicet, haud multum dubitabit. Quêis ſi adiunguntur Italica fœdera, & nuptiarū Aurelianenſium Principis cum Inſubrum Principum filia Valentina ſponſalia, ſponſaliæque ſtipulationes, & ſponſiones à Cæſare nuſquàm approbatæ, quid dicendum erit? An vlla defeudi ſucceſsione pactio, Domino directo à quo feudum mouetur, non conſentiente conſiſtit? & vbi Burgundicæ Dynaſtiæ hæreditas? an illa ex primæ inueſtituræ literis Philippo Audaci à Rege Galliæ Iohanne patre ſuo datæ non dijudicabitur? quantas autem turbas, quot cædes hominum, quàm pernicioſa, & exitialia bella, hæ duæ, duabus de Dynaſtijs controuerſiæ excitârunt? humanus animus hæc fari perhorreſcit: cùm cogitat quantum detrimenti ex his litibus, nunquàm iudicio, nec lege inceptis, nec finitis, Reſpublica acceperit chriſtiana.

Armorum ſanè iudicium, & iudicium Dei, atq; iuſtitię diſpar eſt: ſed Regna Regibus, terram hominibus, cœlum cœli Domino relinquamus (vt aiunt). Nunquàm enim tàm benè cum genere humano actum eſt, vt optima quàm plurimis placerent.

Hæc autem nō eò adducta ſunt à me, vt alterutrius cauſæ aliquod feram præiudicium. Sed vt illas rationes, quas Cancellarius Mercurinus, & Dynaſta Granuellanus adducere ſolebant, me non ignorare illuſtres Equites putaretis. Et valent ad Cæſaris innocentiam, cōſcientiamque confirmandam, corroborandamque plurimum: ne mortales exiſtiment nullis tabulis, nullis legibus, nullis moribus innixum Cæſarem totius Gallię Ciſalpinæ dominatum, quo iure, qua que iniuria, inuadere voluiſſe.

Et ſcio viri illuſtres quid contrà hæc Gallicus Cancellarius Antonius à Prato afferre ſolebat, de interregno Cæſaris, & quod Pontifex (ad quem rerum Imperij ſummam in interregno redire aiebat) ſponſaliciam largitatem approbaſſet, de inueſtitura à Maxæmiliano Cæſare, magno precio redempta: deq; alijs multis rebus argumenti loco ab eo diſertiſsime, ſubtiliſsimeque adductis. Sed ea Cæſaris Conſiliarij ità diluebant, vt Mediolanenſem Ducatum in dubium reuocare viris æquitatis, & iuſtitiæ peritis inhoneſtum iudicarent.

xxxvij.

Vt ille pietate in Deũ, amore in liberos, humanitate in ſocios, & fœderatos, clemẽtia, & mãſuetudine in omnes homines fuit ſingulari, omnem familiã ſuam, multis charitatis, amoriſq; officijs comprehendit: in remunerandis Principum & illuſtrium virorum in ſe ſtudijs, & meritis, largus, & beneficus fuit: & Pariſienſem Academiam in Belgicæ ſuæ finibus variarum honore artium cohoneſtauit: Ducis Brabantiæ filius, & Dux, Princepſq; Brabantiæ fuit: ità hic Carolus Maximus illam ſummam pietatem in Deum eſſe putabat, vt honeſtè de eius numine, & mente exiſtimaretur: bonitas, ſanctitas, religio, purè, & caſtè, Dei altiſsimi numini, & poteſtati tribueretur: mandata, ceremoniaſq; legis, quæ ſunt adminiſtræ religionis, omnes æquabiliter, & æquè cuſtodirent: magni harum rerum omnium neglectus æſtimaretur.

Hic etiam liberis beneuolentiam oſtendendam, & patriæ iudicabat: eamque appellabat iuſticiam, quandò ergà Deum, parentes, patriam, liberos, homines iuſti, & grati, & pij, reperirentur.

Tanto autem amore, & ſtudio in filium fuit, vt nulla re penè ſibi reſeruata, vel antecapta, totius orbis pręcipuã Monarchiam viuens ei elargiretur.

Cùm filius in eius complexum, primò ex Hiſpania, per mare Mediterraneum, & Italiam, & Germaniam, in Galliam Belgicã Bruxellæ veniret: & vna hebdomade annorum vertente, ſecundò ex Hiſpania, per Oceanum, & Britanniam in Galliam Belgicam, rurſus Bruxellã in patris conſpectum veniret: tantam vim lachrimarum Cęſar vtroque tempore profudit: vt ardor amoris eius in liberos, omnibus inſpectantibus clariſsimè, dilucidiſsimeque pateſceret. Ac ipſe quidem Cæſar, quorundam iudicio, cunctos ſui temporis mortales illo pietatis in Deum, amoriſq; in filium argumento, tanquàm maximarum virtutum cumulo, & appendice, ſine controuerſia ſuperauit.

Idq; omnibus perſpicuum, euidenſq; erit, cum animum ab iſta pictura, imaginibuſq; rerum virtute prædicarum, ad rem, veritatẽq; ipſam colluſtrandam, ponderandamq; traduxerint.

Et fuit humanitate in ſocios, & fœderatos tanta, vt ſine maieſtatis auguſtæ diminutione maior ferè eſſe nequiuerit. Sed qui ſunt, aut fuerunt fœderati? niſi orbis chriſtiani Reges, & Chriſtianæ pietati Chriſtiano dogmati fauentes Principes? Ac inter cæteros Franciſcus potentiſsimus, & chriſtianiſsimus Francorum Rex? nonnè cum

alijs Regibus ſæpè, cùm illi Regi præcipuè ad aquas mortuas, foſſaſq; marianas, ad oſtia Rhodani. Et iterùm per mediam Aquitaniam, Celticam, & Belgicam, progreſſus, vitam, & ſalutem ſuam credidit? Nonnè cùm aliâs ſæpè, cùm maximè ad Viennam contrà Aſiaticos, & Turcicos exercitus: ad Thunetum contrà Libycos, ad Iuliam Cæſaream, & Argeram contrà Mauritanos proficiſcens: dignitatem, & prouinciarum ſuarum, fœderatorumq; pacem, & otium amantiſsimè illi commendauit? Et regibus peregrinis omiſsis, nonnè vos omnes Quadraginta nouẽ illuſtres Heroës, ſocij Cæſaris noſtri Caroli? An non vos perilluſtres aurei velleris Equites, ac vnumquemq; veſtrum, pro eo ac vitæ vſus poſtulabat, amore non ſolum fraterno & ſociali, ſed paterno dilexit?

Quid tu Albane Dux Ferdinande Aluate à Toleto, Italiæ quondam adminiſtrator, & Germanica victoria, multiſq; proſperrimis prælijs, & expeditionibus nomen habens clariſsimum, an non à principio, ad finem vſq; Regni ſui, cubiculi, itinerum, conſiliorum maximorum, ſummorumq; honorum ſocius fuiſti?

Quid tu Philiberte Allobrogũ Dux, Ramentorumq; Alpinorũ Princeps celeberrime, cui nunc Belgicę gubernatio cum ſummo imperio commiſſa? an non cùm per ætatem potuiſti in conſuetudinẽ, & familiaritatem Cæſaris peruenire, cubiculi, itinerum, adminiſtrationum, menſæ, ſocius, particepſq; fuiſti? & ne cunctos enumerandi labor me defatiget: nonnè vos omnes, omnium ſuarum actionũ ſententiarum, voluntatum, rerum deniq; omnium grauiſsimarum, Conſortes, Comiteſq; habuit? Vt cum eo, & laboris glorioſi, & periculi laudati, & illuſtrium victoriarum participes eſſetis? An non cùm vos nauigationum, præliorum, triumphorum omnium, ſocios habuit, amoris, beneuolentiæ, humanitatis, ſocietate vos etiam ſecum coniunxit? Alij nefarias cum alijs ſcelerũ pactiones conflarũt. Vos inter vos, itinerum, nauigationũ, periculorũ, præliorũ, virtutis, ſalutis, dignitatis, victoriæ, & quaſi æternitatis voluntariã coiſtis ſocietatẽ: ſic vt torque pro ſigno in humeros, collumq; inſerto, vitę inter vos quaſi communitas conſtituatur. Cùm autem illis paludamentis purpurei, holoſerici panni, & pileis veterum Areopagitarum more induti, grauiſsimi Senatus conclaue intratis, de maximis rebus deliberaturi: veſtræq; vitæ, veſtrarumq; actionum, tàm ciuiliũ, & oeconomicarum quam militarium cenſuram auditis: quanta patientia, cùm veſtram indolem depingi auditis? cùm aliorum vitam moreſq; Et quam grauiter, & ſeuere cenſetis omnes mores, & taxatis

tis? Si quid fortè (quod raro accidere poteſt) veſtros oculos, aureſq; ex collegarum vita, & moribus offenderit? Quibuſcunq; terrarum angulis iactatus eſt Cæſar, vos illi Duces, vos illi Comites aſsidui fuiſtis, eodemq; vbiq; pane cum Cæſare, & vino, quotidiè iiſdem colloquij, cubiculi, & ſummæ familiaritatis officijs vſi eſtis: neminemq; ex vobis, vllo vnquàm eſt odio, aut liuore, ne per ſuſpitionem quidem Cæſar proſecutus: quantæcunq; etiam irarum cauſæ, aut origines, aut fomites eſſe potuiſſent. Quod quàm fuit admirabile, tàm debet certè eſſe laudabile: eiuſque rei Comes Boſſuus Ioannes ab Henninio, veſtri ordinis perquàm illuſtris Eques, idoneus mihi erit (niſi fallor) teſtis, qui ex eis qui viuunt: & qui hîc ſunt: cum Albano Duce quàm diutiſsimè Cæſarem noſtrum terrâ, mariq; ſecutus eſt. Vt ſi quiſquam alius, is certè ſenſus Cæſaris probè calleat.

Fuit etiã hic Cæſar clementia, & manſuetudine in omnes ſingulari. Et ſanè in quo viro lenitas, & verecundia, & pudor erat inauditus: in eo viro etiam morum ſuauitas, & miſericordia, & clementia euidens, habitare debebat.

Itaq; omnia acta Cæſaris, plena lenitudinis, manſuetudinis, humanitatis, benignitatis, moderationis, dulcedinis, & bonitatis fuiſſe docebuntur: ſic vt aduerſarios ſæpè ſuos ſummis clementiæ ſuæ, & arctiſsimis manſuetudinis, & liberalitatis vinculis deuinciret. Ac huius rei teſtes eſſe poſſunt, tot Reges, tot Duces, tot Principes, tot Satrapæ, tot Dynaſtæ, tot Toparchæ, tot Domini quibus omnibus humaniſsimè, ac liberaliſsimè (etſi iure belli omnem in illos vitæ, neciſque poteſtatem haberet) pepercit: ſic vt nihil in illos diſſolutè, nihil iracundè, nihil atrociter vnquàm ſtatuerit.

Quemadmodum autẽ Leo Rex animaliũ in proſtratas, & oppreſſas feras mitis eſt, atq; miſericors: ità hic Imperator in victorijs ſuis proſtratos, & conquaſſatos Principes, & ciuitates ſumma ſemper eſt vſus indulgentia: non enim in illorum vitã, & perſonã grauius, atq; acerbius quicquàm cõſtituit, ſed omnibus tanquàm liberis ſuis piè, indulgenterq; conſuluit.

Qua in re hac vſus eſt ferè forma: vt quemadmodũ arbores areſcentes amputatione quorundã ramorum, & nonnunquàm trunci, vberius, copioſiuſque efflorefcunt, & redundant: ità omnes Reges, omnes populi, omnes ciuitates, omnes Dynaſtæ, omnes Toparchæ, omnes municipiorum Domini ab eo deuicti, ſic amputabantur, decurtabanturq;, vt multò quã anteà vberiores, potentiores, florentioreſq; breui temporis ſpatio (manu quaſi Cæſaris medicinam afferente)

rente) exiſterent, atq; euaderent. Eiuſq; rei Rex Franciſcus, & Rex Alebretus Nauarrenſis ad Papiam capti, pro omnibus Regibus, & Principibus, Genua, Mediolanum, Sena, Florentia, Placentia, Cremona, Roma in Italia, Toletum, Samora, Segouia, Metimna campi, Valliſoletum (Philippi Regis noſtri patria) Burgi, Pompelo, ſiue Pompeiopolis in Hiſpania: Gandaum, ſiue Auguſta Caroli, Tornacum, Vltraiectum, Cameracum, Leovvarda, Andoverpa, ſiue forum Caroli, Bruxella, in Belgica: Auguſta Vindelicorum, ſiue Rhætorum, vlma Sueuorum, forum Francorum, Argentina, Colonia Agrippina, Auguſta treuirorum, Maguntia, VVormatia Vangionum, Spyra Nemetûm, Brunzvvyca, Brema, Hamburgum, Lubeca, Magdenburgum mihi teſtes erunt in Germania: Praga in Bohęmia Thunetum in Africa, his adiungantur cum multis alijs vbique vrbibus, oppidis, ciuitatibus, atq; territorijs.

Vnica autem ciuitas Mexicana mihi pro nouo orbe Carolino ſatisfaciet, quæ beneficentia, manſuetudineque Cæſaris huius Caroli non iam vrbis, ſed orbis totius miraculum exiſtit. Familiam autem omnem ſuam tanta charitate dilexit, vt non amore ſolum, ſed beneficio etiã, & perpetuo animi quodam iudicio eam charam haberet.

Itaq; ipſe in proſperis eorum rebus magno illis ornamento, in aduerſis ſubſidio, & adiumento ſemper fuit. Quanto cum dolore accepit Cæſar illinc Sabaudum, hinc Lotharingũ, à Gallo ſuis ſedibus quaſi eiectum, & vtrumq; tanquàm tunica adempta, diloricatum? an non ad dignitatem eorum defendendam, & tuendam reliquis rebus omnibus, & curis poſthabitis ipſemet loricatus in caſtra venit? prælio (ſi caſus ferret) cum hoſte de iuſtitia cauſæ decertaturus? illîc ad aquas ſextias, in prouincia: hîc ad mediomatrices, & vt eadẽ opera Metim Germanico corpori (à quo ſubdolè reuulſa erat) reſtitueret. Qua in re veſtra fortuna dolenda fuit, viri illuſtres, & innocentes, viri Principes: quod Cæſar, qui in omni vitæ ſuæ curſu fortunatiſsimus, fœliciſsimuſq; ſemper fuit, in pietate vobis præſtanda, pari fortunæ orbita, & numinis beneficentia frui nequiuit. Sed vobis veſtri expectandi ſunt à prouidẽtia numeri, qui rota vertente, cùm ad ſummam (vt ità dicam) epicicli abſidem peruenerint, facilem vobis rerum omnium conuerſionẽ, fortunarumq; incrementa, Deo prouidente, & volente præſtabunt.

Neq; vos moræ impatientes Deum, aut Dei inſtrumentum, & operas accuſetis: ità enim ſemper ergà vos animo affectus fuit Carolus

lus,vt quod à Deo optimo maximo ſemper pro vobis expetiuit, nõ dubitauerit, quin tandem nanciſceremini, voſq; duo retinacula fieretis retinendæ in amore vicinarum prouinciarũ Galliæ. Totumq; eius rei conficiundæ ex veſtro commodo negotium amantiſsimo veſtri ſanguinis, & decoris filio ſuo Philippo iuſto, quàm arctiſsimè, pientiſsimeq; commendauit.

Et fuit hic Cæſar in remunerandis Principum, & illuſtrium virorum in ſe ſtudijs, & meritis largus, atq; beneficus. Quid enim Franciſco Sfortiæ? Quid Carolo Sabaudo? Quid Carolo Borbonio? Quid Alexandro? Quid Coſmo Medici? Quid Mauritio Saxoni? Quid Mantuano? Quid Ferrarienſi? Quid Octauio Farneſio? eiuſq; patri? Quid Ferdinando Gonzagæ? Andreæ Auriæ? Quid Duci Albano? Quid Duci Vrbini? Quid Comiti Burano? Antonio Læuæ? Carolo Lanoio? Iacobo Medici? Maxæmiliano Stampæ? Quid Cobono? Quid Granuellano? multiſq; alijs (quos numerare, quàm inueni re laborioſius futurum ſit) non dedit? An non Sfortiæ Inſubriam: Carolo Sabaudo Aſtenſem Comitatum? Borbonio Mediolanum? Alexandro, Coſmoq; Medici Hetruriam? Mauricio Saxoniam, & electoriam dignitatem, vbi VVittenberga Saxonum alba eſt poſita? Mantuano Montemferratum? Ferrarienſi Mutinam, & Regium Lepidi, Farneſijs Nouariam attribuit? Gonzagæ Molphetam, & Arianum? Auriæ Melphim, Duci Albano Neuburgium, Vrbinatiũ Duci Soram? Burano Lingenum? Læuæ Aſculum? Lanoio Sulmonã? Medici Iacobo Marignanum? Maxæmiliano Stampæ Soncinũ con ceſsit? Cobono, & Granuellano magnas opes, & diuitias regales dedit, & reliquit? Omnium autem togatorum, & ſagatorum munera percenſere, quàm inuidioſum? an ipſe Atrebatenſis Pontifex, ad quẽ morte patris Dynaſtæ Granuellani, ſumma rerum Cæſaris togatarũ deuenit, id facere, aut vellet, aut poſſet? an Vargas? an Eraſſo? rerum Hiſpanicarum Secretarij, qui cum Pontifice Atrebatum magnarum liberalitatum Cæſaris ſæpè authores, nonnũquàm conſultores, ſem per conſcij, teſteſq; fuerunt? Et apud Philippum Regem noſtrum ve teri ſua vtuntur authoritate? Nolo illos viros clariſsimos in inuidiã huius recenſionis deuocare.

Longè abſit hoc à me, vt cunctorum Cæſaris beneficiorum catalogum ædere cupiam: neq; enim (etſi maximè conarer) præſtare id queam. Fortaſsis nec ipſe Idiaquius, nec Vaſquius id facere valuiſſet, in quorum locum, duo illi ſcientiſsimi rerum Cæſaris Hiſpani Secretarij ſucceſſerunt, Ego hic ter ſeptem virorum factis donationi-

bus

bus contentus ero. Et hic Louanienſem academiam in Belgica ſua, illuſtrem, locupletem, & variarum celebritate artium, & trilinguis collegij fama, honoratiſsimam reliquit, quam Buſlidius, Adrianus ſextus, & Euſtachius Chappuiſius extructis, fundatiſq; celeberrimis collegijs plurimum exornârunt: ſic vt nunc multo aliud ſit Louanium, quam tempore Caroli Magni fuerit Lutecia Pariſiorũ.

Et hæc quidem Lutecia, vt in Sequanæ Inſula eſt poſita ciuitas, academiam Celticæ, vrbem Belgicæ, ciuitatem vtriq; adſcribit.

Ego Pariſijs Vatablum, Agatium, & Paradiſium Hebræos: Tuſanum, & Stracelium Græcos: Latomum, & Gallandium Latinos audiui Profeſſores Regios: Budæum, & Orontium, & iuris Profeſſores Pontificij non paucos: ſed Budæum domi tantum audiui. Lazarum Bayſium, Ranconnetum, Hellinium, multoſq; alios eruditiſsimos Conſiliarios in ſuprema curia Regios, ſupplicumue libellorum in Regia Magiſtros optimè noui, & erat illa academia multis doctiſsimis viris referta. At forum Parlamenti, & vrbicum, ſiue Caſtelleti, magnam omnibus rebus lucem claritatemq; afferebat. Sed Louanium ipſum, eſt tamen clariſsima omnium Belgicarum, & Germanicarum vrbium academia. Eiuſq; rei Ruardus, Curtius, Zonnius, Enthenius, grauiſsimi, doctiſsimiq; Theologi: Druſius, Mudeus, Martius Zenocarus, & Vulmarus Iuriſconſulti clariſsimi: Hallius, Somerius, Goſsinus, Tiletanus medici experientiſsimi: duo Morilloni, Vorthuſius, Statius, Philoſophi acutiſsimi: Valerius, Langius, Lupus, Ramus, Oratores: Dumeus, Bauſartus, Gemma, Haſcardus, Mathematici ſolertiſsimi mihi teſtes erunt, qui omnes ex academia iſta prodierunt, viuuntq; celeberrimi.

Cornelius Valerius latinæ apud Louanium linguæ profeſſor in Buſlydiana paleſtra celeberrimus anno Cæſaris Quadrageſimo Vltraiecti, varijs arcubus triumphalibus Cæſaris huius Maximi laudẽ inſcripſit: vt genium eius numeris diuinæ prouidentiæ, muſiſq; amicum, non mirer magna eloquentiæ gloria mundum illuſtraturum.

Non autem aliam ob cauſam hîc hos ego nominaui, niſi vt ea quæ habent in manibus volumina, lucem aſpicere ſinant: neq; tantum decoris Cæſaris noſtri laudibus detrahi patiantur. Nam omnes qui nunc in aula, aut centumuirali Senatuum quatuordecim iudicio verſantur, enumerare non conuenit. Ter ſeptem mihi teſtes erunt, quorum familiaritate præ cæteris vſus ſum: hiq; pro multis ſuffi-

ſufficiant,aut potius pro omnibus,qui mihi quidem ſint noti. Colinus, Pleſsiacus, Bergius, Molenarius, Ottruius, Hoperus, Oudegeſtius, omnes apud Meclinienſem Senatum doctiſsimi Senatores, & viri generoſiſsimi. Adrianus Marius Nicolai Geldriæ Cancellarius: Hyppolytus Perſinius Præſes Traiectenſis: Carolus Nycenus Friſiæ Præſes: Iacobus Martinius Flandriæ Præſes: Ioannes Scheyſius Brabantiæ Cancellarius: Euerardus Nicolai, Meclinienſis magni Conſilij Præſes: & Viglius Zvvychemus Priuati Conſilij Præſes, omnes rerum gerendarum, adminiſtrandarumque Prouinciarum ſcientiſſimi, ſeptem teſtes quoque erunt.

Ac hos ego (ne cunctos inuidiæ vitandæ cauſa faſtidioſè recenſeã) hîc vobis viri illuſtres adduxi. Sunt enim multi in omnibus Senatibus Belgicæ viri, & Senatores eruditiſsimi. Veluti in Conſilio Priuato Philippus Nigri, veſtri ordinis aurei velleris Cancellarius, Mardicy Toparcha, vir cùm in vtroque iure reddendo, tùm in regenda Republica grauiſsimus.

Et in Conſilio Priuato eſt Hermes à VVyngene Retornacẽſis, vir multarum legum, totiuſque iuris callentiſsimus.

Eſt ibi Philibertus à Bruxelles ſingulariſsimum omnium Iuriſcõſultorum, & ſummorum Senatorum, & maximè illius Priuati Cõſilij, & Conſilij ſtatus ornamentum, ac decus incomparabile.

Eſt & Carolus à Tyſnaco vir omnium diuinarum, atq; humanarum rerum peritiſsimus, quàm maximè ad Philiberti laudes æquãdas, ſuperandaſque accedens.

Eſt Ioachimus Hõzoctius: eſt Chriſtophorus Aſſonvilius: eſt Philippus Cobelius, præclariſsima tria ingenuorũ ingeniorũ ſpecimina: quos ego ſeptem Conſilij Priuati prudẽtiſsimos Senatores honoris hîc cauſa nomino: cæteriſq; pro exemplo, & ſcopo propono, in quẽ virtutum ſuarum ſagittas, & tela dirigant.

Ac ego me quidem non infœliciſsimum ea ex parte aliquandò iudicaui, qui tàm omnium variarum rerum noticia præſtantes viros mihi familiares, & notos effeciſſem. Sunt autem ex Louanienſi illa Academia profecti, illorumque ſeptem nomenclatura ob id contentus ero.

Reliqui qui vel illîc, vel alibì mihi non æquè familiares, & noti, vel alibi in alijs Academijs eruditi fuêre: ad hunc catalogum mihi haud ſunt viſi pertinere: ne vel de rebus incertis, & incognitis iudicium proferens irrideat, vel Academiarum laudem furtò ſuſtuliſſe, & ad Louanienſes transfudiſſe coarguar.

Fauerneius autem Atrebatenſis frater Pontificis magno,& ſingulari iudicio prӕditus,& illius conſilij priuati Conſiliarius,& Grandis Ianus,& Renartus Bermontij Toparcha eius Collegӕ, Louanienſibus adſcribendi non erant, cùm hos Dolana illum Fauerneum Perenottum Patauina ſchola illuſtriores, ornatioreſque reddiderit: & ſi Fauerneius Louanij diu ſtuduit : ſed omnes colligere non eſt animus, ne Ciceroquidem id fecit, cùm libellum de claris Oratoribus expreſsim,& diſertè ſcripſit.

Redeo itaque ad Carolum Magnum. Et hic vt ille Cӕſar Ducis Brabantiӕ filius,& Dux, Princepſque Brabantiӕ fuit,&in Brabantia quàm diutiſsimè, vt ille, habitauit.

xxxviij.

Vt propter illius manſuetudinem in puniendo,& animaduertendo, ӕquitatem in iudicando, moderationem in gubernando, qua in publicis pariter,& priuatis rebus vtebatur: ſic populi omnes eum admirabantur, vt palàm prӕdicarent talem ſibi Regem diuino munere datum, qualem nunquàm anteà auſi fuiſſent optare: ac vt ille quorundam difficilem naturam, varijs enaſcentibus ſuſpicionibus non temerè imperio ſuo ſuſpectam habuit, ac tàm patienti tamen tulit animo, vt homines plurimum condoleſcerent. Et vt ille religionum diligentiſsimus fuit cultor, ac ea in parte Maiores,& ſuperiorum temporum Reges,& Imperatores omnes ſuperauit.

Et vt ille ex duodecim paribus Franciӕ, & ex Regio ſtemmate Francorum ſatus fuit,& dictus eſt Rex catholicus,& defenſor,aduocatuſque Eccleſiӕ Romanӕ. Ità hîc accidit, vt propter huius in pœnis infligendis, vindicandi, vlciſcendi, & puniendi modum: in dijudicandis hominū,& vrbium controuerſijs,ӕquiſsimā,& ęquabiliſsimam ӕquitatem: in omni Reip. adminiſtratione ſummam animi modeſtiam,& temperationem,quàm ſic moderabatur,vt nec in Gandauēſiū,nec in Inſubrū,aut Neapolitanorū,aut Germanorū, aut Hetruſcorū,aut Igurū,aut incolarū noui orbis cauſa: vſquā iracundia (quӕ eſt cupiditas puniendi doloris) ſupplicio adhibito appareret. Sic populi omnes eum ſuſpiciebant,& amabant, vt publice prӕdicarent talem ſibi Regem,talem Imperatorem,talem Dominum,&Monarcham diuini numinis rebus humanis conſulētis benignitate datū,qualem non modò expectare,aut exoptare,ſed ne expectari, aut exoptari quidem poſſe, vnquàm putârunt.

Vt

Vt illud etiam apud cunctos apertiſsimè ſit notũ, nulli viro Principi, nulli Proconſuli, aut Adminiſtratori prouinciarum, nulli Tribuno militum, nulli Præſidi, nemini Senatori, aut Equiti, aut Mercatori honoratiori (quod ſciam) ne grauiſsimis quidem criminum delationibus irritatum Cæſarem, aut motu proprio, aut in Senatu iudicantem, aut in prouincia præſentem, necis cauſam dediſſe, aut gladio, vel ſecuri, feriri iuſsiſſe, quod in tàm magnis, ampliſque imperijs, & tanta Regni diuturnitate, omnibus admirabile, multis incredibile videbatur, & planè vix cadere in ſenſum, aut perſuaſionem humanam.

Sed vt multa vident pictores, & in vmbris, & in eminentia, quę cæteri non vident: ità hæc nota, & perſpecta ſunt ijs, qui Cæſaris aulam per Quadraginta ſecuti ſunt annos, & alijs incognita.

Erat enim Cæſar valdè placabilis, exorabiliſque natura: atq; hoc faciebat placabilitas eius, atque clementia: vt contrà quos ſtatueret, tamen poſſent ab eo placati, æquique diſcedere.

Quemadmodum autem pomorum iucundus eſt non guſtatus ſolum, ſed odoratus etiam, & aſpectus, quanquàm in hoſtico reperiantur, ità huius Cæſaris vultus, & æquitas, & iuſticia: quia lenitas, bonitaſq; viri vndiquâq; perlucebat, & colluſtrabatur, iucunda non guſtatu ſolum, ſed odoratu etiam, & aſpectu videbatur. Sic vt ſæpius hic Cæſar ab hoſtibus, quàm alij Principes ab amicis, & ciuibus ſuis fuerit laudatus.

Eiuſq; rei vna magna res documento, & teſtimonio eſſe poteſt, quòd Solymannus magnus Turcarum Dominus, cùm ad eum perfugiſſet quidam ex Dynaſtis, interrogare non dubitârit ex illo, cur ab obſequio Cæſaris diuertiſſet, & ad eum perfugiſſet. Qui cùm dixiſſet tribus id ſe potiſsimum de cauſis factitâſſe, quarum vna ad auaritiam, altera ad libidinem, tertia ad iniuriam, ſiue iniuſticiam, aut ſaltem horum vitiorum ſuſpicionem Cæſari aſpergendam pertinebat. Reſpondit Solymannus nullam cauſam harum rerum ſibi poſſe ab eo perſuaderi. Nimis enim diu percunctando, indagando, diſquirendo, cognitam, & perceptam ſe habere Cæſaris vitam, vt horum flagitiorum labes, in tàm ſanctè, & piè leges, cerenoniaſque Dei, & Maiorum ſuorum cuſtodientis pectus, adhæreſcere nequiret. Ac porrò illum à conſpectu ſuo remoueri iuſsit. Ac poſteà etiam odijs, & proſcriptionibus eum eſt perſecutus, dum ex tota Turcia exturbatus, aliò ſeſe reciperet, ibiq; ſeruaret.

Quo teſtimonio quid poteſt eſſe grauius, præſertim cùm hoſtis non ſolũ Cæſaris,ſed totius orbis, & nominis chriſtiani, tale de Cæſare hoc iudicium dederit? Et hic Cæſar vt alter ille,quorundam difficilem, & implacabilem naturam, varijs oborientibus ſimultatum ſuſpicionibus,nõ abs re imperio ſuo ſuſpectam habuit,ac illos adeò tàm patienter,& lentè pertulit, vt hoſtes,& æmulos, imperij ſui, patientia,& obſequio ſuo mitigaret,& manſuefaceret. Quanta(proh dolor)& quàm diuturna fuit in eo (honeſtatis, aut vtilitatis, publicæ cauſa) cùm rerum arduarum, & difficilium, tùm intolerabilium, & planè non ferendarum patientia,atq; perpeſsio?Ac ego has res inuidiæ vitandæ cauſa, latius,& planius proſequi non cupio: veritas penes hiſtoriam erit.

Quemadmodũ enim qui oculum ex vultu humano, aut naſum tollit,præſtantiſsimam faciei partem contaminâſſe cenſetur. Ità planè qui veritatem,& libertatem ex hiſtoria, & vita hominum depingenda ſuſtulit,ſpe vel metu,pulcherrimam hiſtoriæ portionem conſpurcâſſe,& conſtuprâſſe exiſtimandus eſt.

Et hæc tamen vetus eſt ſentẽtia,obſequium amicos: veritatẽ odium parere. Sed quidam ſic nati ſunt, vt veritatis (quæ iuſticiæ affecla eſt)propugnatores vbiq; eſſe conentur. Ac eſt à multis tàm indignè lacerata aliquãdò Cæſaris fama,& virtus,& maieſtas,vt me planè ad veritatem denudandam, natum, aptumque quibuſdam in rebus crederem.

Non enim vt ab Oratore, aut Poëta, aut pictore ornamenta rerũ depingendarum: ſed vt à teſte, vt à iudice,vt ab hiſtoriographo fidẽ, & integritatem à me requiri puto. Inquiſitio, & inueſtigatio veri, cùm hominum omnium,cùm maximè Philoſophorum,& Iuriſcõſultorum eſt propria. Cęteri ea quæ ſunt probabilia,& veriſimilia, in vnaquaq; re conſectantur. Sum autem natura ſimplex, apertus, vt veritatis amicus, & cultor, ità fraudis oſor, & inimicus.

Ac Cæſar ipſe in actionibus publicis nunquàm ornatius cauſam ſuam dici voluit (Socratem in hoc imitatus) quàm ſimplex, & non fucoſa, ferret ratio veritatis: neque plus ſibi tribui vnquàm voluit, quàm æquitas ipſa dictaret.

Aiebat enim veritatem eam eſſe veriſsimam,per quam immutata, & non variata ea quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt, proponuntur.

Ac

Ac tanta illi ſemper eſt viſa vis veritatis, & poteſtas, & energia, & efficacitas, vt contrà hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, vafritię, facilè ſe per ſeipſam defenderet. Et iſte religionum diligentiſſimus cuſtos fuit: ſuperſtitionem enim à religione ità diſcernebat, vt ſuperſtitione tollenda religionem tolli non arbitraretur. Etſi enim propinqua, & vicina, & imitatrix religionis eſt ſuperſtitio, pietatem tamen, & iuſtas preces, & veteres ceremonias maiorum, & ritus veteres ſacrorum, & abſtinentiam à cibo, atq; potu, & ſuperuacaneis corporis voluptatibus, valdè ad religionem pertinere, magiſq́ue eam excolere putabat, quàm contaminatam ſuperſtitionem, & anilis, & imbecilli animi timorem, & metum.

Ac fuit quoddam tempus, cùm ſuperſtitio, & vana ſpecies religionis fuſa per gentes, occupauit hominum mentes, & multorum imbecillitatem oppreſsit. Fidendum eſt enim numini, & eius gratię, & benignitati credendum eſt: ſi præcepta eius (pro eo quod pręſtare humanitus poſſumus) ritè exequamur, exequiuè conemur.

Ac in religionibus ſuſcipiendis caput eſt, perdiſcere, quę ſit voluntas altiſsimi numinis: eaq; talis ſemper fuit, vt cultus optimus, idemq́ue caſtiſsimus, atq; ſanctiſsimus, pleniſsimuſq́ue pietatis, Deo tribueretur, atque eius numen ſemper pura, integra, & incorrupta mẽte veneremur.

Religionem veteres Romani dicebant, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ quam diuinam vocabant, curam ceremoniamq́ue afferret: ſanctitatem vocabant ſcientiam colendi Dei. Ac eorum Pontifices, ceremonias, & religiones publicas ſanctiſsimè tuendas arbitrabantur. Idem in quinq; libris Moſaicis: idem in Pſalmis, & hymnis, & odis Dauidicis: & Iobo animaduertere fas eſt. Nulla enim promiſſio, nulla pollicitatio fuit ſcripta, aut audita, Dei ad humanũ genus extitiſſe, niſi ea conditione, ratione, & modo, vt mandata, ceremoniæq; legis cuſtodirentur inuiolatè, & ſanctè: at purè, aut ſimpliciter (vt iuriſconſultorum eſt ſermo) nihil fuiſſe promiſſum à Deo hominibus, clarè edocebitur.

Et idem confirmauit Chriſtus, inquiens in illo axiomate ſeptiverbio. SI VIS AD VITAM INGREDI, SERVA MANDATA. Et vltimus eius ſermo poſt reſurrectionem, vltimo capite Mathæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ, expreſſus, nihil aliud continet, & maximè in illis verbis ſeptenarijs. DOCENTES EOS SERVARE OMNIA QVÆCVNQVE MANDAVI VOBIS.

Quorſum igitur pertinet laxare vela ventis, vbi procellis,& voraginibus humanarum cupiditatum & libidinum omnes obruamur? Coërcendæ ſunt igitur cupidines, & refrenandæ metu & timore legum & numinis, moderatè tamen, vt maiorem clementiæ eius & æquitatis quàm iuſticiæ & rigoris rationem,metum,religionem habeamus.

Etenim illa ſuperſtitio, qua homines poſtulabant vt ſuperſtites manerent liberi,vt fortunæ ſaluæ, vt agri feraces, armenta fœcunda, arbores fructiferę,mare piſcoſum,aër alitum plenus,&aucupijs eſſet iampridem de bonis,& eruditis mentibus, deturbata & expiata eſt: ac ipſo Chriſto docente,didicimus Deum comprecari certo modo, orabitis inquit ſic: PATER NOSTER. In qua oratione dominica ſeptem ſunt à Chriſto petitiones conceſſæ, ac vbi peccata & debita remitti poſtulat, facit ſub conditione, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, inquiens vt ſi non remittamus alijs ſuas noxias,nec nobis à Deo noſtræ ſint remittendæ noxæ.

Eſt autem tota oratio,ſepties ſeptem verbis concluſa,quæ faciunt verba quadraginta nouem:qui numerus veſtri ordinis Equitum eſt proprius: & eſt proprius motui octauæ ſphæræ,ſepties enim ſeptem milibus annorum ille motus ſecundum Alphonſum perficitur.
Ac plura quidem Chriſtus ſeptenario concluſit, cum in poſtremis vitę limitibus cum apoſtolis loqueretur,ſicut habent latina Euangelia, nam Hæbraicũ Matthæi deſideratur,qui ſolus ex quatuor Euangeliſtis Hæbraicum ſcripſit Euangelium, quod diuus Hyeronimus ſe vidiſſe,& legiſſe,& exſcripſiſſe teſtatur.

Eſt autem illud ſacramentum euchariſtiæ ſeptenario expreſſum, Matthæi 26. cap. ACCIPITE ET COMEDITE HOC EST CORPVS MEVM. Et iterum ibidem illud lamentantis: TRISTIS EST ANIMA MEA VSQVE AD MORTEM. Totus autem Hæbraicus ſermo numerus eſt fundatus, quem punctis, & ſtigmatibus, imprimunt characteribus,ſic vt ſi illis puncta,nobis certè ipſa verba Chriſti multum ſint numeranda,multum ſint ponderanda.

Nec id propterea dico tanquam magiam, aut cabaliſticam artem velim inducere, ſed vt etiam atq; etiam conſideremus prouidentiæ Dei ſapientiam: quæ cum ab initio mundi vſa ſit numero ſeptenario in conſtitutione mundi (benedixit enim Deus diei tũc ſeptimo, & quieuit) in reliquis rebus magnis,& illuſtribus, hunc quoque numerum ſeruauerit, ibique quieuerit: homo enim vt per ſeptenariũ

naſcitur,

naſcitur, formatur, vegetatur, & creſcit: ita per ſeptenariū, deſinit, deficit, tumulatur: ſeptem enim pedum ſufficit vrna, ſeu ciſta mortuis: ſicut & de ipſo Alexandro magno legimus. Cui ſatis heu Magnus dum viueret haud fuit orbis, huîc SEPTEM ad tumulum ſufficit vrna pedum, ſed de his hîc ſatis, alibi latius. In hoc igitur cultu religionum, moriſq;, & diſciplinæ maiorum, Cæſar noſter ſuperiorum ætatum reges, & imperatores omnes, multorum iudicio, & ſententia ſuperauit. Et hic ex duodecim paribus Franciæ (Comes enim Flandriç eſt ex duodecim paribus, eſt & dux Burgundię) & ex Regio ſtemmate, & ſtirpe Francicorum regum ſatus ac genitus fuit, & dictus eſt Rex catholicus, & defenſor eccleſiæ Romanæ.

XXXIX.

Vt ille in cognoſcendis querimonijs, & hominum, & vrbium, & prouinciarum, & regni, & Imperij, cum diligentiſsimus, & ſolertiſsimus, tùm iuſtiſsimus, & clementiſsimus habebatur. Liberæ ad eū querelæ de aliorum iniurijs, facileſq; aditus, & benigna reddebantur reſponſa. Et ille filium doctiſsimo viro in diſciplinam tradidit: ipſe latinas literas, & varias linguas hominum callebat: & ille iam ſenex factus, & valetudine imbecilla vtens, primò Italiæ dominatum ab ſe abdicauit, dein Belgicæ ſuæ, poſtremò Hiſpaniæ curam depoſuit, ac in ſobolem ſuam illa tranſtulit: ac de imperio decedere tandem ſtatuit, ſi illi à Senatu permiſſum fuiſſet. Ac ingraueſcente ætate, & valetudine vnicum reliquit filium, Regni francici dignitatem, nomen, iuraq; tenentem, & ſuſtinentem: & vt ille Aquiſgrani in Belgica fundamenta Imperij ſui iecit: ibiq; reliquiæ eius, monumentaq; cernūtur: ac natura à riſu alienior, & podagricus: & tamen in apophtegmatibus, acutè, & facetè dictis, perquàm vrbanus, & atticus, & lepidus erat: alioqui tamen Heracliti more magis ad fletum oculorum, quā Democriti more ad riſum oris procliuior: ac inter diuos, & beatos Cæſares mortuus eſt relatus: ac multis veterum Hæbræorum, Romanorum, & Græcorum, Heroibus, & viris illuſtribus comparatus, multis antelatus, eſt. Ità hic in cognoſcendis hominum, ciuitatū, prouinciarum, regnorum, & imperiorum, tàm in nouo orbe, quam veteri, conqueſtionibus, & lamentis, ſolers, & diligens, & iuſtus, & clemens habebatur: liberæ ad eum querimoniæ de aliorum vi, atq; iniuria, perfacileſq; aditus (cum per valetudinem licebat,) & perbenigna reddebantur reſponſa: ſic vt neminem de alterius prauitate,

aut iniurijs, aut contumelijs, aut bonorum direptionibus violentis, aut exactionibus, aut concuſsionibus, aut iniquis iudicijs, quibus oppreſsi erant, conqueri, & deplorare, aut fortunam temerè ſuam aduerſam lamentari deceret.

Et hic filium Philippum, eruditiſsimo, modeſtiſsimoq; viro D. Martino Silicęo(qui Toletanus poſteà Archipontifex fuit)in diſcipli nam,& erudiendum tradidit. Et hic Cæſar latinas literas callebat, & varijs variarum gentium linguis vtebatur, delectabaturq;.

Ità vt in Hiſpania cum Hiſpanis, hiſpanicè: in Italia cum Italicis Principibus nonnunquàm italicè: in Gallia Belgica, aut Britannia, gallicè: in Germania, germanicè: &(cùm caſus ferret)etiam vbiq; latinè loqueretur: ſed id rarius accidebat, propterea quod ipſe omniū ferè lingua loquebatur: ſic vt vnicuiq; in ſua lingua materna loqui Cæſar poſſet. Ad eamq; diſcendā bella varijs ab eo in locis geſta, plu rimū illi adiumenti attulerunt: tanta enim erat Cęſar hic celeritate, dexteritateq; ingenij præditus, vt cùm in bello, & exercitu eſſet, omnium ſtatim nationum, quę in caſtris ſuis verſabantur, linguam, mores, veſtitum exprimeret.

Itaq; cum legionibus Germanicis loquens, veſtitum habens plærumq; Germanicum, germanicè loquebatur. Cum legionibus veteranorum, quæ Hiſpanicæ erant (in his enim plurimum Cæſar ſem per ſtetit, fiduciæq; plurimum habuit) hiſpanicè: atq; eas pacis, belliq; tempore, vel in æſtiuis, vel in hybernis, vel in agris, & in municipijs, honeſtiſsimè, liberaliſsimeq;, pecunia ex Hiſpanijs allata, vbiq; gentium alebat: ad Belgicum equitatum gallicè: ad cohortes, equitatumq; Italicum italicè: ad Neapolitanum grauis armaturæ Equitē mixtim: ad Hungaros, Bohæmos, Dalmatas, Macedones, varijs vtebatur ſermonibus, ac vnicuiq; ſemper genti Genuinam catalectum diſcedens cum donatiuo oſtendebat. Et ſi in Germania belligeraret veſtitu, armiſq;, & phaleris Germanicis ferè vtebatur, barbamq; quadratam gerebat: ſi in Italia, hæc Italicum ad morem facie bat, barbamq; acuminatam gerebat: ſi alibi aliter. Atq; ea res, veſtitus, barbæque toties in aula variatæ cauſa fuiſſe à multis obſeruata fuit: neq; ſolum cum legionibus Cæſar ſic loquebatur, ſed etiam in tabernaculis eorum, ſacra peragebat: ientacula, prandia, merendas, cęnas nonnunquàm faciebat. Ac Tribunos, Centurioneſq; eorum aliquandò adhibebat: omnia omnibus factus(Paulum in hoc imitatus)vt prodeſſe poſſet omnibus.

Et hic iam ſenex factus, & valetudine infirma vtens, primò Italiæ domi-

dominatum à ſe abdicauit, dein Belgicæ, deindè Hiſpaniç, & noui orbis, atq; omnia in filium chariſsimum tranſtulit. Ac poſtremo Romano imperio, & Germaniæ auguſta poteſtate decedere conſtituit, cùm annos Quadraginta, in Hiſpania, Italia, Belgica, & nouo orbe regnâſſet. Ac huic Senatus Germanicus, fraterque Ferdinandus, Romanorum, & Pannonum, Dalmatarumque Rex, & Maxæmilianus Bohæmicus Rex, gener, & ex fratre nepos, ne faceret, reſtiterunt: in quo Auguſtum Cæſarem eſt imitatus, qui imperio decedere cupiẽs, inuitus in Imperio à Senatu retentus eſt. Quid futurum ſit, Deus viderit, & mors Cæſaris docebit.

Cùm hæc enim in pugillaribus à me ſcribebantur, iam illa de imperio relinquendo, grauiſsima deliberatio tractabatur, inter triumuiros Carolum, Philippum, & Maxæmilianum Bruxellæ.

Quanquàm verò Carolus Magnus ſeptem, & quadraginta annos, ſceptra Regia tenuiſſe, legitur apud Donatum Acciaiolũ Thuſcum hominem, & Eginartum, qui eius vitam inter cæteros Gallicos, Italicos, Germanicoſq; ſcriptores deſcripſerunt. Non tamen hac in re diſſentio futura eſt numerorum.

Etenim Cęſar hic ſeptennium in pupillari conſtitutus ętate, cum Ioanna mater, Hiſpaniæ Regina, defungi cuperet (valetudinis ſuæ ſuſtentandæ cauſa) publicis caſtellę curis (maritum enim Philippum Regem iam amiſerat) ſceptra per tutores, & in caſtella, & in Belgica gerebantur, nomine Ioannæ Reginę, & huius Cæſaris: ſic vt ipſe quadraginta ſeptem annis hoc modo quaſi Rex fuerit.

Nos autem numeramus tantum illos Quadraginta annos, quia & Imperator Maxæmilianus, & eius filia D. Margareta, quæ primò Hiſpaniarum Principi, deindè Gallico Delfino, poſteà Philiberto Allobrogum Duci deſponſa fuit: in Belgica, tutelam Cęſaris Caroli, cum D. Gulielmo à Croia Ciuriæ Dynaſta (qui Ariſcotiæ Marchio, Duxq; demum Soræ factus eſt) gerebant. Et Ferdinandus Arragonis, & vtriuſq; Siciliç Rex, alter Cęſaris auus, in Hiſpania cum Adriano Traiectenſi, eandem gerebant.

Itaq; in omnibus literis publicis à tempore ęmancipationis ſuæ, qui fuit annus decimus quintus ætatis ſuæ, Regni annos ſui ſemper Cæſar, magiſtratuſq; numerârunt. Mira autem in hoc Dei prouidentia extitit, qui hunc Cæſarem numeris patrum ſanctiſsimis Quadragenarijs, & Caroli Magni geſtis, & ſeptenario vndiquaq; æquari voluit, quod quàm rarò accidere ſoleat, qui hiſtorias norũnt, iudicabunt.

Illæ

Illæ enim ſunt humanæ vitæ,humanorumq́; exemplorum, ſimilitudinumq́; magiſtræ. Ac ſi me fortaſsis labi contingat(quod mihi imprudenti, non ſcienti accidet) quæſo vt vos illuſtres Equites id æqui, boniq́; faciatis. Sunt enim hæc raptim, & curſim in pugillaribus,vt dixi,& commentariorum inſtar exarata: & à me cùm libros mecum nullos haberem,potiſsimum in aula,ſuccisiuiſque horis plærumq́; ſcripta. Quæ tanto ſtudio maturabam,vrgebamq́; ob deceſſum,mortemq́; Cæſaris,vt fruges veram ſuam Genuinam,&Germanam maturitatem,in hoc volumine habere nequiuerint.

Poſtulantibus vndiq́; amicis,vt volumen quàm maturrimè abſolueretur:aientibus illis,me bis daturum hunc librum, quia citò à rebus geſtis,& intrà diem SEPTVAGESIMVM à morte Cęſaris daturus eſſem. Et certè ſi vel inuentionis, vel diſpoſitionis, vel memoriæ aliqua erit laus(quod equidem non arbitror)ea Cæſaris Caroli virtuti, & fœlicitati,non mihi venit adſcribenda. Neque enim in poteſtate mea fuit numeros vel torquere,vel laxare,vel contrahere: neq́; Cæſaris res melius, aut certius ponderari poterant, quàm cùm eum nihil ſine exemplo feciſſe demonſtratur.

Si autem illi boni,laudabiles, imitabiles fuêre,quorum exempla ſecutus eſt, (genio eum bono diuinæ prouidentiæ ad id, à ſemine matris vtero inſerto, impellente) quis erit mortalium,qui facta,qui vitam ,qui mores Cæſaris poterit carpere? poterit traducere? poterit lancinare?

Et hic ingraueſcente ætate,& valetudine vnicum habebat filium, Regni Francici dignitatem, nomen, arma, iura, ſuſtinentem. Et hic Aquiſgrani fundamenta imperij ſui iecit: & primam illîc imperij ſui ſedem habuit: in ſedilibus Caroli magni collocatus: chlamyde, Infula, pallio, gladio, cingulo, ſoccis, ſceptro, corona, paludamento, annulis, chyrothecis Caroli Magni, in æde Caroli Magni, indutus: & libro ſacro Euangeliorum Caroli Magni,oſtenſo,tactoque,ſacramento imperatorio ter rogatus, ter obſtrictus fuit. Qua ſola in re, bis ſeptem ſignacula Caroli Magni reperiuntur. Idq́; eo magis mirandũ eſt,quod hæc ornamenta, ab Nurembergenſibus, Francofordienſibus, alijſq́; Germaniæ ciuitatibus potentiſsimis, ſumma cura, ſtudioq́;, non à ſolis Aquiſgranenſibus aſſeruentur. Quæ mirum eſt temporis vetuſtate non conſumpta, vel incendio abſumpta, vel ruina,aut naufragio abolita,aut bellis(quæ omni tempore in bellicoſiſsima natione, plurima, maximeq́; horrenda fuerunt) non fuiſſe labefactata,ſublataq́;. Sed ſic viſum fuit DEO OPTIMO, MAX.

Vt

Vt vndiq; perfectio noui Caroli Maximi populis omnibus oſtenderetur. Et quia illa in præſentia ſeptem electorum(qui omnes iam ſunt mortui)in maxima Principum, & procerum caterua(qui omnes etiam fere fato functi ſunt)acciderũt, ſolum Ducem Albanum, ſolum Boſſuum Comitem, & Monfalconetum Comitem, teſtes hac in re citabo, quorum primus, & alter veſtri ordinis illuſtriſsimus eſt Eques: hi tres autem, illi inaugurationi(niſi me animus fallit)interfuerunt. Cæſar quidem illic, vt Carolus Magnus à ſuo Archiepiſcopo: & Dauid à Samuele: ità & ipſe à grauiſsimo, ſapientiſsimoq; id temporis Archiepiſcopo Coloniẽſi vnctus fuit, Cæſar Romanus, Rexque Germanus.

Vnctio iſta alia eſt, quàm cæterorum Regum: ſoli enim Imperatori, Monarchia orbis: cæteris Regibus ſingula traduntur Regna adminiſtranda. Ac Cæſar quidem ſemper imperium, imperialeque diadema, non vt patrimonium ſe ſuum poſsidere, ſed vt magiſtratum gerere profitebatur: quominus quorundam obtrectationibus locus eſſe poteſt, clamitantium Monarchiam orbis vniuerſi impudentiſsimè ab hoc appetitam, & violentiſsimè inuaſam fuiſſe.

Nunquã enim talis cogitatio, aut cura Cæſaris animum anxit: ſed ſua ſorte contentus, Pauli dicto, conſilioq; acquieſcens, inſeruiuit vocationi Dei: & quàm humaniter beneuoleq; ſceptra accepit, tàm liberaliter, munificeq; reddidit, ac dedit, à quibus acceperat. Eiſque Ferdinandum fratrem, & filium ſuum Philippum Dominum noſtrum, & Regem naturalem, & Maxæmilianum Bohæmiæ Regem generum ſuum, totamq; Auſtriacam propaginem, quantum ea pro muro, & vallo, contrà Turcarum rabiem obijci poſſet, tantum humaniſsima, ſuauiſsimaque oratione commendauit.

Et hic Cæſar à riſu fuit abhorrens, vt ille ab incunabulis, & contrà conſuetudinem, & naturam Maiorum ex Auſtriaca, Arragonica, Burgundica, & Caſtellanica ſtirpe natorum, ſolus hic Cæſar podagricus fuit.

Et hic Cæſar(Ferdinandum Regem Arragonum, & Maxæmilianum Cæſarem, duos auos ſuos in hoc imitatus) in apophtegmatibus, & acute, ſalſè, breuiter, facetè, dictis valdè elegans fuit: ſic vt Atticus quidam lepos in eius ſermone, & Neſtorea eloquentia(cùm concionari vellet)appareret. Ità enim labijs compreſsis ſua verba diſtinctè, & articulatè, & tractim pronunciabat, vt ſingulæ, & ſyllabæ, & conſonantes, & vocales, & diphthongi, audirentur: ad quas res, pronunciationis dulcedinem, cum ſumma modeſtia, grauitateq; copulatam

latam

latam, itá appoſitè adiungebat, vt in ipſo corporis geſtu,& colluſtratione oculorum plus ferè adhuc gratiæ,& decoris ineſſe homines diceret,quā in ſermonis caſtitate,puritateq́;:quanquàm Cæſar ſemper caſtiſsimè,puriſsimeq́; quælibet loquebatur,& perorabat:erat enim in eam partem tàm cenſorius,vt aliter quàm ipſe dictâſſet,& ſibi legi audiſſet,ad Reges,vel Legatos,vel populum dici non ferret.

Ac eò factum eſt,vt qui eius nomine orationem ad populum habuerunt,ferè ex ſcripto id fecerint. Neq́; enim Cæſar laturus erat aliter eos dicere, quam ipſe prius cenſuiſſet.

Ac ego quidem de apophtegmatis Cæſaris ſemel libellum ſcriptu riebam:ſed cùm omnia eſſent modeſtiæ,bonitatiſq́; teſtimonia,nulla arrogantiæ, nulla maliciæ,nulla ſuperbiæ indicia emicarét,magnitudine virtutis,&probitatis Cæſareæ deterritus,incidi tabulas,cocremauiq́;:erant enim omnes ſine ioco ioci. Sed nunc tamen in ſeptimum librum illa rurſus reieci amicis ſic ſuadentibus.

Cùm Cæſar alicuius actibus offendebatur,qui præter cauſam petulantiores, proteruioreſq́; cernebantur, ſi iuuenis,& cælebs erat,dicere ſolebat. Vtinam ille vxorem haberet:indicans,in matrimonio, tãtam eſſe omnium rerum, & actionum ſeruitutem, vt proteruulus ille,facilè&ſeipſum noſſe,&in gyrum rationis duci,&cõuerti poſſet.

Si quem ebrium fuiſſe,&effudiſſe aliquid audiebat,an reddidit inquit aliquid? & eius generis erant ſeptingenta: & hic Cæſar magis ad condoleſcendum, & collachrimandum, quàm ad ſubſannandum, aut irridendum vitam, aut mores hominum, naturaliter procliuis, atque propenſus erat.

Qua in re Martinus Colinus paſtor Bruxellenſis vir grauiſsimus, multiq́; alij locupletes mihi teſtes ſunt, qui cùm Cæſarem de pietate,&miſericordia eius,Herculi cuidam viro Cæſari notiſsimo,eiuſq́; liberis pulcherrimis,plurimiſq́;, ac aliâs alijs viris calamitate, aut iniquitate fortunæ, non ſuo ſcelere, oppreſsis impertienda interpellarent: magis Cæſarem in lachrymas ſolutum, quàm eos, pro quibus orabatur, ſæpè viderunt. Et ego Cæſarem lachrimantem vidi, cùm Quadraginta labores, & annos Regni ſui publicè ad populum Belgicum: Philippo filio Angliæ Rege dextrum eius latus: & Maria Pannonum Regina ſorore eius, ſiniſtrum claudente latus: (triangulari tamen magis, quàm recta lineæ forma ſedilibus ternis conſtitutis) viua voce ſua valdè oratorie, grauiter, copioſeq́; enarraret. Ac tùm quidem eius oratione commoti,& Philippus filius patris amantiſsimus, & Maria Regina, & plurimi proceres valdè indoluerunt

multiq; in profuſiſsimas lachrimas eruperunt: tàm iuuenes, quàm ſenes veſtri auguſti ordinis illuſtres Equites. Vnum ſum admiratus, quòd Cæſar in illa concione, cùm iuſticiæ à ſe adminiſtratæ faceret mentionem (nemini ſcienter ſe illam negâſſe dicens) tùm temporis maximè illachrimauerit: veritus ne quidam illam, non vti ipſe voluiſſet, ità eam obtinuiſſent: vt ipſemet tacitè inſinuabat magis ſe vereri tamen, quàm credere. Antè initium quidem orationis Cæſar humaniſsimè Hannoniæ Seneſchallo, viro podagrico ſedem ſemel, atque iterum dari mandabat, quam ille modeſtiſsimè recuſabat: ac abiens ex ampliſsimo theatro, atque atrio Bruxellenſi, Cæſar Gulielmi Principis Aurengæ, Naſſauijque, & Burenij Comitis humeris innixus, ex conſpectu ſe recepit. Erat autem ille per id tempus, Belgicæ militiæ ad Philippopolim Imperator: & ex caſtris celeriter profectus, quo ſtatim quoque reuerſus eſt.

Vnum mihi narrauit Aſſonvilius Senator Regius, vir varijs artibus mirificè, doctriniſq; excultus, Cæſarem cùm anni ipſius Quadrageſimi vitæ ſuæ actiones publicè ſic denarrare ordiretur, excuſauiſſe ætatis, & memoriæ culpam: & in reliquis vitæ narrandis actionibus, cùm Quadragenarij numeri ordinem obſeruaret, ſcriptas notulas in exigua papyro obſeruâſſe excitandæ memoriæ ſuæ ergô: id quia illũ feciſſe videram, non negaui: ſed quod anno Quadrageſimo recitando impeditus (natura eius quaſi numeri Quadragenarij ſanctitate perculſa) dicendi modũ mutauerit: Ac cùm prius memoriter, tùm illinc inſpecta ſubindè ſchedula concionatus ſit, & toto corpore cohorruerit: gratias ei, alijſq; id factum cõteſtantibus, meliuſq; quàm ego id obſeruantibus egi maximas. Multos equidem mortales memini admirari hoc ipſum Caroli Cæſaris factum: omnes enim vitæ actiones de anno in annum, vſq; ad Quadrageſimum vitæ annum, vno tenore orationis abſoluerat. Quadrageſimus annus, vt valetudinem, ſic orationem fregit.

Ego verò cùm Cæſari quater in Gallia Aquitanica, & Celtica per Veredos equos, circà annum vitæ eius Quadrageſimũ, & ipſo anno Quadrageſimo, ex Belgica cùm Sceppero occurriſſem, antequàm Aquitanicũ, & Celticum illud iter perficeret (quod illũ Pariſios rectà equis commodatitijs, & Gallicis in pulla veſte equitantem ducebat, frequenter nocte per duas, treſque horas, vtroque genu inclinatum, orantem repperi, cum ſeptem cæreis facibus, in cubiculo nigris vndiquaque pannis tecto, accenſis.

P Ac

Ac eius rei Boſſuus Comes, & Ioannes ab Andelotio, Andelotiorũ Dynaſta, viri clariſsimi, qui totos Quadraginta Cæſarem ſecuti ſunt annos, teſtes erunt. Teſtis quoque erit D. Ferdinandus Aluarus à Toleto, Dux Albanus, magnus Cæſaris Caroli Oëconomus, teſtis Laſſaus Dynaſta, & Arbeza Dynaſta, teſtis Monfalconetus Comes, Cæſaris Oëconomus, vir Oëconomicæ diſciplinæ ſcientiſsimus, Cæſarique cum cæteris gratiſsimus, teſtis quoque ſeptimus erit Adrianus Syluanus, qui & ipſi Cæſari aſsiduus erat Comes: illi enim ſex illuſtres, & præpotentes Heroës, hic & fidei, & ætatis nomine, omnibus chariſsimus, ſatis abundè locupletes eius mihi rei teſtes futuri ſunt.

Septem equidem illis teſtibus (& ſi plures per ea tempora in cubiculo Cæſaris continuè verſabantur) contentus ero. Non enim plures teſtes, quàm ſeptẽ Romani in condendo teſtamento flagitabant, ſeptenariumq́; numerum teſtium perfectiſsimum, hæreditatibuſq́; tranſmittendis commodiſsimum, & legitimum fore crediderunt. Neq́; pauciores admittebant iura ciuilia in teſtamentis, neq́; plures expoſcebant. Ac Batauis idem eſt & vetus mos, vt quod ſeptem ſuffragiorum votis Principi addixerint, id ratum, firmumq́; eſſe velint. Idemq́; ſeruant in actionibus realibus vt ſeptẽ teſtibus aſtipulantibus res immobiles litigantibus adiudicẽt, aut abiudicẽt: quod ſeuen tugiũ aborigines Hollãdorũ ante bis mille annos ſic appellarũt, neq́; vlla iudiciorũ apud Batauos antiquior, aut certior in more poſita eſt regula. Illa autẽ precandi ratio in omni vita, & loco, & ætate valdè ſolennis, & quotidiana Cæſari fuit. Suas enim manè horas canonicas legebat, eaſq́; ità dilatabat, vt bis tantum ferè, quantũ Presbiteri, ſemper manè legerit. Hînc hora ad veſtiendũ ſumpta, aut paulò minus, ſacrum audiebat. Hînc prandiũ ſumebat, poſt prandiũ valens, auditionibus hominũ, ſupplicumq́; libellorũ vacabat. Ac diem in Oëconomicis, aut bellicis, aut Reipublicæ curis conſumebat. Nonnunquàm à meridie in lectulo valetudinis cauſa quieſcẽs. Ac veſperi rurſus à cęna preces repetebat ſemper ſuas longiſsimas, quę duarum plęrumque erant horarum, ſicut & matutinæ. Neque ea precum matutinarum, aut veſpertinarum, aut nocturnarum ratio alacritatem Cæſaris in Gallica Celtica aula Franciſci Regis retardabat: quin precibus illis peractis, læta fronte Scepperum à Regina Maria venientem (cui ego tùm aderam) conueniret, ac aliquandò eo in ſcapularũ tergo beneuolentiæ ſignificandæ cauſa pulſato, hilariter eum alloqueretur: rogitans quid ſoror chariſsima Maria Pannonum Regina, Belgi-

Belgicæque ſuæ Gubernatrix prudentiſsima valeret. Idque inter cęte ra in Artenaio quoque accidit ad ſextum ab Aurelia lapidem Pariſios verſus: ac paulò poſt, erat autē hora noctis (niſi excidit memoriæ) nona, Cæſar ad Regem equo incidens properabat: In cuius tergo inopinanter, & alacriter aſsiluit Carolus Aureliorum Dux, alter filiorū Franciſci Chriſtianiſsimi Francorum Regis, adoleſcens eo tempore totius aulæ Gallicæ ornatiſsimus, quem ſic aſsilientem, Cæſar humaniter, perbenigneque ſalutabat. At ille clamitabat, Cæſar redde te captiuum, Cæſar redde te captiuum: ad quæ verba Cæſar nihil reſpondebat: ſed illi pro reſponſo gratiſsimum, iucundiſsimumque lumen ſuorum oſtendit oculorum, cum modica oris diſtentione, vt ridenti ſimilis appareret, quanquàm non rideret. Erant enim tàm multæ faces ardentes, vt ea res veluti interdiu dignoſci à me poſſet.

Ac poſteà in chorum fœminarum Gallicarum, ambo vno equo vecti peruenêre, vbi Regina chriſtianiſsima Eleonor, ſoror Cæſaris, natu maxima, vxor Regis Franciſci, cum toto cœtu nympharum, & Heroidum Gallicarum erat. Ac Cæſar obiter ſalutata ſorore, cum Eſtampia Heroide ſui temporis formoſiſsima, & in curia Gallica, per id tempus lectiſsima, honoratiſsimaquę: longum, & ſuauem miſcuit ſermonem, ſicut & ſæpè aliàs facere erat ſolitus. Ac cum ea in longiorem ſemel ingreſſus ſermonem, annulus cum diamante nobiliſſimo, precioſiſsimoque exidit ei (vt rebantur homines) inopinanti: quem cùm illa ex terra ſubleuaret, Cæſarique redderet: ille eam cōplexus, & diſſuauiatus eum illi donauit, nec reddi permiſit.

Galli autem poſt Cæſaris ex Gallia diſceſſum, eam ſtatim appellârunt ſapientiſsimum Galliæ caput, ob neſcio quid cōſilij Regi de Cæſare dati, quod tamen Rex ſequi noluiſſe dictus eſt, poſtquàm id cū Anna Mōtmorenciaci Duce, magno Galliæ Coneſtabulo, viro generoſiſsimo, atque fortiſsimo communicaſſet.

Aiebat enim poſteà Rex Franciſcus, cùm Cæſar Gandaui eſſet, & de Mediolanenſibus rebus, nihil cum fratre Ferdinando Rege ad ſuas vtilitates ſtatueret, & iiſdem de rebus ſermo iniectus eſſet, quia Regnum Cæſar Aurelianenſi dare quoddam velle, per Legatum indicârat, nunquàm ſibi hoſpitalitatem, & fidem Cæſari datam diſplicituram. Valdè enim magnificè, atque magno animo hæc in ſpeciē verba proferebat quę ſequūtur: Et ſi tota fides toto orbe exulare deberet, tamen eā in Regibus conſtare (qui ſola fide, nullis armis cogi

 poſſunt)

poſſunt) & firmam eſſe debere: ità eam magnanimus, ac in proſperis, aduerſiſque fortunę flatibus, conſtantiſsimus Rex Franciſcus inuiolatè, illibateque ſartam, tectam, integramque, eo in itinere ſeruauit. Quanquàm Ambaſiæ in turri caſtri pulcherrimi, ligeri amni incumbentis, fumo Græci ignis circum aures, oculos, nareſq; Cęſaris copioſiſsimè in gradibus fuſo, ferè ſtrangulatus: & iterùm Pariſijs tabulato in caput eius in theatrali ſuggeſtu eliſo, vt ſanguis ſpargeretur: & alibi ſemel ferè oppreſſus caſu, atq; fortuitò fuiſſet.

Quorum authores Rex Franciſcus (erant autem Itali, ſi rectè recordor) in arborem tolli ſtatim iubebat. Sed Cæſar multis precibus à Rege illorum vitam, & incolumitatem deprecatus eſt: aiens infauſtum Gallis ſuum iter viſum iri, ſi ſua cauſa quiſquam ob res (quæ per imprudentiam, & inopinanter euenerãt) è medio ſublatus eſſet. Et Cæſar quidem Reginam Mariam de illis improuiſis euentibus, & cæteris Galliæ honoribus, maieſtati ſuæ auguſtæ impenſiſſimè exhibitis, diſertè, & apertè ſtatim certiorem reddidit: ne famæ (quæ de illis rebus variè ſpargebatur) potius, quã literis ſuis (Regis excuſationem pleniſsimè afferentibus) crederet: habebat enim eam propter ſummã eius virtutẽ, & cũ caſtitatẽ, & prudentiã, tùm fidem, & celeritatem, ſemper, & quidem merito eius chariſsimã.

Finis Libri Tertij.

QVanquam vos viri illuſtres, præclariſsimas, & præſtantiſsimas eſſe mundi animas: ipſæ mundi vniuerſi plagæ, & Regiones atteſtantur: nemo tamē multorum ſapientum iudicio, veſtras virtutes melius in bilance, quàm ex decurionis, & verticis veſtri (hoc eſt Caroli huius Maximi) comparationibus ponderabit.

Nulla enim in eo eminens, & excellens fuit, aut animi, aut corporis, aut fortunæ præſtantia: cuius aut imago, aut ſimilitudo, aut adumbratio, in vobis non repræſentetur.

Ità enim veſtros animos omnes decori, & honeſti laudes circumplexæ ſunt: vt niſi ſeptem diademata, in ſeptem Regibus veſtris præfulgerent: quem collegarum, cæteris ob virtutis amplitudinem anteferremus: ſummè dubiraremus.

Macti igitur veſtra virtute viri omni genere pulcherrimarum laudum circumfluentes: veſtra iſta virtutum omnium cùm exuberantia, tùm admirario proponatur in orbis vniuerſi theatro: pro ſpecimine, pro ſpeculo, pro ſcopo, in quem vitæ, actionumq; ſuarum tela, dirigant Heroës omnes.

Neq; enim alij vos magna ex parte eſtis: quàm qualis hic Cæſar Decurio veſter deſcribitur.

Etſi verò de Cæſare dicendi oratio nemini deeſſe poteſt. Mihi tamen de Cæſare dicenti, difficilius eſt exitum, quàm principium inuenire.

Itaq; mïhi in hac tota ratione ſcribendi, nō tàm copia, quàm modus in ſcribendo quærendus eſt.

Quod vt apertius fiat, redeamus ad ſimilitudines, comparationeſque, cùm Heroum omnium maximorum, tùm ipſius Caroli Magni.

Vt ille Carolus Magnus, ità hic Cæſar cum multis veterum Romanorum, & Græcorum Heroibus, & viris illuſtribus comparatus, multis antelatus fuit.

Sed vt hoc apertius faciam, agite, cōferantur ſeptem Heroës, cum hoc noſtro Carolo: & aduertatur, nùm aliqua homini, cum homine vnoquoq́ue, ſit ſimilitudo, & æqualitas, in numeris, & actionibus: agam autem dilucidè.

Quemadmodum enim in picturis alios horrida, inculta, abdita, & vmbroſà: contrà, alios, nitida, læta, aperta, clara, colluſtrata, dele-

ctant: ità mihi multi ex vobis viri illuſtres, magis aperto, & plano, & perſpicuo ſermone: quàm obſcuro, aut ieiuno, aut tenebricoſo oblectari ſunt viſi.

Etenim vt vnumquemq; veſtrum ſemper ex animo, & illo ſummo pectoris ardore dilexi: propter ſummam, quã in vobis animaduerti, varijs temporibus, virtutem, & probitatem: ità quo ferè animo ac mente eſſetis: etiam atque etiam diligenter cogitaui.

Comparatio Caroli Maximi, cum Iulio Cæſare.

QVID fuit magnum in Iulio Cæſare? Nonnè quòd corpore albo, pulchrè formato, teneroq; eſſet? & tamẽ laboris tolerantiſsimo? Quòd decem annos contrà Gallos bella geſsit? Quòd Neruios, Sueſſiones, Morinos, Treuiros, Menapios, Nouiodunos, vicit? Quòd Eburones, Mediomatrices, Phlemmoſios, Gondunos, Grudios, Aduaticos: Cathalaunos, & cæteras Galliæ vlterioris ciuitates in poteſtate ſua habuit? Quòd Pariſijs, Samarobrinæ, & in Belgio, conuentus Gallorum habuerit? Quòd Maſſiliam obſedit? Quòd Vbios, Vangiones, Germanos caſtigauit? Quòd cum Heluetijs fœliciter pugnauit? Quòd in Britanniam nauigauit? Quòd eam fœdere Romanorũ implicuerit? & vectigalem populo Romano fecerit? Quòd exercitus Rhenum ſuos traiecerit? Quòd pontem in Rheno fecerit? Quòd multas potentiſsimas, & opulentiſsimas ciuitates, diuturna obſidione fatigauerit? Quòd aggerem iacere? vallum contrà hoſtes producere? vineis agere? & conquaſſare mœnia, & muros vrbium magnarum non reformidârit? Quòd Hœduis ſemper amicus? Prouinciæ nonnunquàm infeſtus fuerit? Quòd Pompeium Imperij ſui æmulum vrbe Roma deturbârit? Ipſe vrbe Roma cum exercitu potitus ſit? ac poſteà eam quietus, & victor, profligatis hoſtibus, intrauerit? Quòd Brunduſium expugnauerit? cum exercitu in Hiſpaniam, Inſubriam, Appuliam venerit? Quòd Capuam ceperit? claſſes in Græciam armauerit? ac in Epyrum traduxerit? Quòd in Aſia res proſperè, atq; Africa cõfecerit? & Imperium populi Romani nactus ſit quaſi diuinitus.

An non hæc omnia in noſtro Cæſare, luce meridiana clariora apparent? Nonnè corpore candido, benè formato ſemper, teneroq; prima, & ingraueſcente ætate fuit? vt homines promiſcuè de illo cantarent,

rent, GRATIOR E PULCHRO VENIT AVSTRIA CÆSARE VIRTVS, & tamen laboris, æſtus, frigoris, vigiliarum, patientiſsimus ſemper (Marium in hoc imitatus) fuit? Nonnè decem annis, contrà Gallos, Galliam inuadens, bella offenſiua (vt nunc vocant) non defenſiua tantum, geſsit? Nonnè Neruiorum Tornacum: Sueſſionũ Sueſsionem: Morinorum Teruanam: Treuirorum Auguſtam: Menapiorum Marcodurum, (quam Duram appellant): Nouiodunorum Nouiodunum: Ambianorum, Bellouacorum, Viromanduorum, Leucorum, Rhemorum, Seguſianorum, Allobrogum agros, caſtellaque, vicit, & ſuperauit? Nonnè Eburonum Legionem (quæ Leodium dicitur): Mediomatricum Metim: Phlemmoſiorum (qui nunc patrio ſermone Phlémingi vocantur) Gondunos (vbi nunc Gandaum eſt): Aduaticos, vbi nunc Moſæ Traiectus eſt, Cathalaunos, vbi nunc Campania Galliæ eſt: & multas Galliæ vlterioris ciuitates, in ditione, & poteſtate ſua longo tempore habuit? Nonnè Samarobrinæ (vbi nunc Cameracum eſt) anno ætatis ſuæ vigeſimo nono: & Pariſijs anno Quadrageſimo: & in Belgio, & in prouincia Narbonenſi: ſæpè conuentus Gallorum, & ad Leucatam, aquaſque mortuas habuit? Nonnè Maſsiliam obſedit? Nonnè Vbios, Menapios, Nemetes, Vangiones, Cattos, Sueuos, Sicambros, Saxones, Marcomannos, Boios, Friſios, Gottos, Vandalos, Germanos omnes varijs bellorum motibus compreſſos vicit, & ſubiugauit? Nonnè cum Heluetijs pugnauit? eoſq; ſæpè profligauit? Nonnè in Britanniam magnis comparatis, ornatis, & armatis claſsibus nauigauit? Nonnè fœderibus Romanis eam ſæpè implicuit Cæſar Romanus? Ac poſtremò vectigalem Pontifici Romano, & ſubditam filio ſuo per nurum Mariam Reginam reddidit? Nonnè exercitus ſæpè Rhenum tranſduxit? Nonnè apud Coloniam Agrippinam pontem in Rheno, vt ille, ſed celerius, ad Bona caſtra fecit (quæ nunc Bonna vocatur?)

Nonnè eodem in loco Germaniæ (per id tempus) hoſtiles limites illos (vt ille) euaſtauit? Gulielmum Sicambrorũ, Menapiorumque Ducem acerrimum, redactis in poteſtatem ſuam ſeptuaginta vrbibus, ſeptendio cicurauit? Et Quadraginta vrbibus Geldriæ, Zutphaniæq; ſibi ex veteri, notoq; iure reſeruatis: reliqua Iuliacenſis, Cliuenſis, Montenſis, Rauenſburgiciq; agri oppida reſtituit? Nonnè Raueſtaniam munitiſsimam vrbem ſolo æquauit: omnibuſque vicinis principibus, Cliuenſium Duci, Galliſque hoſtibus, authoritate, milite, commeatu, pecunia, iudicio, conſilio, ope, fauentibus tantum

horrorẽ incuſsit, vt omnes amicos ex inimicis reddiderit: & Vbios eorumq; Principem Hermannum VVeydanum, hoſtibus ſuis fauẽtem, adhærentemque, ſecundis prælijs, & expugnatione Marcoduri, exterritum, ſatis acerbè pro tempore caſtigauit? Nonnè multas opulentiſsimas ciuitates, potentiſsimaſq; diuturna obſidione fatigauit? Ac inter cæteras Mœnium in Germania? quam Parthenopen Germanicam, ſiue patrio ſermone Magdenburgum vocant: Florentiã, & Senam in Hetruria? Aphrodiſium, ſiue Africam in Africa? Fontẽ Rapidum in Hiſpania? Metim, & Lucemburgum in Gallia? Nõnè aggerem contrà fanum Deſiderij in Campania iecit? vallum contrà hoſtes produxit? vineis egit? conquaſſauit muros, & mœnia munitiſsimæ vrbis? & ad deditionem compulit? Nonnè iiſdem verſatus in locis commercium: Ligniacum: Vitriacum: Caſtrum Theodorici: Hayam: Aſpernaium, inuaſit? & aduentu ſuo compreſsit, & expugnauit? Nonnè tàm horrificum terrorem toti Galliæ iniecit? vt populum Pariſienſem, vaſtatis, & incenſis circumquaq; vrbibus, atque agris, in fędam fugam coëgerit? vrbemq; properè relinquere? Neq; id ſemel tantum, ſed ſæpè etiam factum eſt bellis Gallicis.

Nonnè Morinos, & Heſdinenſes ità excidit, ità euertit, ità extirpauit, cùm frequenter obſeſſæ, victorias mora ſua retardâſſent, vt Heſdinium, Teruanaq; illorum populorum limitrophorum, vrbes verticales amplius excindi, euerti, extirpari nequeant, ſublata vrbium, arciumque omni vbique materia, & memoria? Nonnè Hœduis (vbi nunc Ducatus eſt Burgundiæ) ſemper amicus? prouinciæ Narbonenſi nonnunquàm iuſtiſsimis de cauſis infenſus fuit? ac eam infeſtis copijs adortus Antipolim illîc? & forum Iulij? & Magdalenæ? & Maximini fana? (vbi Boyſiacus, & Monteianus, duo clariſsimi Gallicarum copiarum Tribuni, in prælio capti: turmæq; eorum equeſtres deletæ fuerunt) Et Villamnouam? & Aquas mortuas? & aquas ſextias? ampliſsimam totius prouinciæ Narbonenſis ciuitatem (vbi Archiepiſcopalis, & Parlamentalis ſeptima Senatuum Gallicorum ſuprema eſt ſedes) ſubito aduentu ſuo oppreſsit? & earum quaſdam: multaſq; alias vrbes, arces, oppida, portus, caſtella, pagos, latiſsimis, aſperrimiſq; ignibus, & incendijs deformauit? Nonnè nouum Pompeium Imperij ſui æmulum, Franciſcum Galliæ Regem, Romano ab imperio in petitione dignitatis Imperatoriæ Auguſtæ reiecit? & Clementem ſeptimum, ea tempeſtate in gratiam Gallorum, factũ hoſtem ſuum, vrbe Roma milites Cæſaris deturbârũt? putantes illũ alterũm eſſe Imperij æmulum? Et vt ille in Pharſalia Pompeium, ſic

iſte

iſte in Inſubria Gallum Regem: & Henricum Alebretum Nauarrici ritulo Regni illuſtrem: illum Imperij Galliæ Ciſalpinæ: hunc Cantabrici Regni æmulum,& competitorem: profligatis,& proſtratis ad Ticinum, diuerſo præliorum conflictu, ſexaginta hoſtium milibus ſuperauit? Nonnè Brunduſium, & Capuam ex nouis Pompeianorum Gallorum manibus: debellato, & perempto, cum reliqua nobilitatis Gallicæ armatura: & alteris ſexaginta milibus nouorum militum, Lautrechio Foëſio eripuit,& expugnauit? Nonnè cum exercitu ad radices ſaltuum Pyræneorum Fontarabiam venit? Idq; concuſſis: & depreſsis prius in mari claſsibus Gallicis plurimis, oppidum recepit? Nonnè in Inſubriam ad Foſſanum? In Appuliamque venit cum exercitu? Nonnè claſſes in Græciam ad Methonem, Patras, & Coronen armauit? eaſq; vrbes in Peloponneſo ſubegit? Nonnè in Epirum: & ad Corfinium: claſſes formidabiles, Duce Auria: & ad Dyracchium: & ad Caſtrum nouum, tranſduxit? & Caſtrum nouum vi obruit in oculis Dyracchij,& Turcarum: magnamque illîc Turcarum manum concîdit? Nonnè in Africa res proſperè, atque Aſia cõfecit? Ac vti ille primus maximam in ſeptemtrione Inſulam Britannicam, populo Romano aperuit? Ità hic in Occidente maximam Peruacam prouinciam, auri, argentiq; feraciſsimam, adinuenit, aperuit, ſubiugauit? Et Imperium populi Romani (in Hiſpania abſentis ſui ratione habita) nactus eſt quaſi diuinitus? Et vt ille Cæſar, & dictator: ità hic Cæſar: & Monarcha à multis mortalibus eſt agnitus? In hoc ſuperior Iulio Carolus noſter fuit, quod cauſa ſuperior fuit. Et quod abſentis huius, non illius habita eſt ratio. Et quòd ille contrà voluntatem Senatus, populiq; Romani, & optimatibus inuitis: hic ex voluntate Senatus, populiq; Romani,& Germani,& ſeptemvirorum ſuffragationibus: & optimatibus cunctis applaudentibus, Imperium Romanum nactus eſt: & exitu vitæ fœlicior: diuturnitate imperandi ſtabilior: & firmior, (ille enim Octobri Romam reuerſus menſe, Martio poſteà extinctus fuit, ſic vt tantum menſes quinque tranquillus imperauerit) & depoſitis tot Regnorum ſceptris, hic Carolus maior fuit.

Clementia autem vtriuſque æqualis: & fortaſsis in Carolo maior fuit.

Certè naturæ bonitate, equitate, humanitate, & cum Reipublicæ ſtudio, & amore: tùm in Deum pietate: & terrarum amplitudine, longè illum, & omnes Cæſares, Monarchaſque præcedentium ætatum ſuperauit.

Com-

Comparatio Caroli Maximi, cum Pompeio Magno.

QVID fuit in Pompeio Magno magnum, quod in noſtro non ſit Carolo Maximo maius? Nonnè vt ille, contrà pyratas fortiſsimè dimicauit: ità hic dimicauit? & Cacciadiabolo: Ænobarbo: & Dragute, Archipyratis victis, grauiſsima pyratarum bella confecit? Et Archipyratam Ænobarbum terrâ, mariq; Nicæam cum Gallis coniunctim oppugnantem, fœliciter ab arcis Nicænæ (per Auriam, & Vaſtium) obſidione ſubmouit? Nonnè vt ille, de maximis prouincijs triumphauit? ità hic de ampliſsimis prouincijs triumphū duxit? Vt ille ex Aſia, Africa, Europa, magnas, & claras victorias reportauit? ità hic retulit? ſic vt hunc Aſiæ, Africęq; domitorem plæriq;: dominatorem omnes dicerent: & quaſi orbis Monarcham? Nonnè vt ille nouas terras in continenti, populo Romano aperuit, & ſubiecit: ità hic adaperuit, & ſubiugauit? Nonnè vt ille mille caſtella, vrbes octingentas, parem nauium numerum ab hoſtibus in vita cepit? Ità hic pluſquàm centum milia caſtellorum: decies octingentas vrbes: decies octingentas in Oceano, Mediterraneoque mari naues ab hoſtibus ſuis in vita ſuſtulit, capiendaſq; curauit? Nonnè vt ille Monarchiam ad ſe à nonnullis optimatibus delatam repudiauit? Ità hic à quibuſdam potentiſsimis Regibus, & Principibus, ac inter cæteros à Franciſco Galliæ Rege ſplendidè, magnificeque (paucis vrbibus pro ſe retentis) Monarchiam quandam ad ſeſe delatā, & oblatā repudiauit? Et vt ille Magnus: ità hic Maximus eſt dictus? In hoc ſuperior Pompeio Carolus, quòd ille ſæpè ab hoſte victus, & ſuperatus: aliâs vi: aliâs diſciplina militari: aliâs prælijs, & dimicationibus, caſtris emotus: & exutus: & profligatus: & victus: & ad extremum in fuga, & exilio cęſus ſit. Hic nunquàm caſtris exutus: nunquàm profligatus: nunquàm prælio, aut certamine victus ſit. Et quod ille quidem toties victus ab hoſte: ſemper ab hoſte victore oblatas pacis conditiones reſpuerit: hic ferè ſemper victor ad pacem animum benignum, æquumq; attulerit. Ille non niſi victoris Cæſaris capite detruncato conquieturū ſe affirmabat: hic Cæſar, & victor, datis ſororibus, & neptibus ſuis in matrimoniū, victis etiam Regibus, pacem, & otium conceſsit: ac hic quoque toto vitæ, morum, proſperitarumq; tenore fœlicior, ac depoſito tanto rerum Imperio maior fuit.

Com-

Comparatio Caroli Maximi, cum Scipione Africano.

Qvid de Scipione Africano dici poteſt eximium, quod non ęque de hoc Carolo noſtro Maximo, & tàm magnificè, & tàm eximiè dici queat? Nonnè vt ille hoſtiles exercitus Hiſpania quater expulit? Ità hic Aſperoſio profligato, & capto, cęſis, propulſiſq; viginti milibus hoſtium: & fonte Rabido recepto: & tertiò Perpeniano contrà quinquaginta Gallorum milia defenſo: & anteà Salſulis, alijſq; vrbibus fortiter, fœliciterq; propugnatis: hoſtiles, & inimicos exercitus quater Hiſpania eiecit? Vt ille Africam adeptus eſt, ità hic Africam nactus eſt? Vt ille Carthaginem: ità hic Carthaginem, & Thunetum, ampliſsimum Libyæ Regnum, & Tremiſſeni Regnum, & Bonam, Bugiam, Tripolim, Monaſterium, Aphrodiſium, Hypponem, multaſq; paſsim in Libya, & vtraq; Mauritania vrbes, & Regna ſibi ſubiugauit? Vt ille Hannibalem ex Italia reuocatum in Africa vicit: ità hic Ariadenum Ænobarbum Pœnorum, & Carthaginenſium imperio, & gloriatione multarum in Italia, Hiſpania, Gallia, Græcia, victoriarum adeptarum, celebrem, & à Punica, Græcaq; fide notiſsimum, Europæis bellis, bello illato, abſtractum: in Africa ad aquæductus, & mœnia veteris Carthaginis deuicit? Et Carthaginenſium expulit, & exturbauit Imperio? In fugam compulſo ter centum milium hoſtium exercitu, ſedecimq; milibus equitum: Vt ille Africanus eſt dictus: ità hic Africanus appellatus eſt? In hoc Africano maior, quod & pluribus victorijs, nunquàm victus, vt ille (octoginta milibus ciuium Romanorum à Cimbris vno conflictu cęſis): & diuturnitate Imperij, & fine vitæ fœlicior fuit.

Comparatio Caroli Maximi, cum Sylla Fœlice.

Qvid fuit magnum in Sylla? Nonnè quod Dictaturam volens depoſuit: poſtquàm ſæpè magna victoria potitus fuiſſet? An non & hic Dictaturam, tot Regna, tot Imperia, volens depoſuit? cum multis (vbiq; gentium) ſecundis pręlijs, & proſperrimis victorijs vſus fuiſſet? In hoc Sylla maior, quod clementia, & manſuetudine, & plu ribus

ribus victoriarum curſibus: illum ſuperauit. Nec decem milia ciuiũ Romanorum(vt ille in campo Martio poſita)trucidari iuſsit:Et vt ille fœlix, ità hic fœlix eſt dictus.

Comparatio Caroli Maximi, cum Alexandro Magno.

QVID de Alexandro Magno magnum dici poteſt, quod de noſtro Cæſare taceri debeat? Nonnè hic Carolus, vt ille, patris Philippi Regnum, poſt decimum quintum ætatis annum eſt nactus? Ac vt imperium Græciæ, plenum inuidia, & grauiſsimis odijs, ac periculis vndique circumſeptum, annos nouemdecim natus ille inchoauit: ità & hic decimo nono ætatis ſuæ anno(vt & Octauius Auguſtus)Cæſar Romanus dictus eſt? Et vt ille duos hoſtes ſibi tradi poſcebat per præconem, bello Græciæ: Phænicem, & Prothytem? Ità hic Saxonem, & Heſſum, illum veterum Sueuorum, hunc veterum Cattorum, & Chæruſcorum Principem duos ſibi hoſtes tradi poſcebat, per præconem bello Germaniæ? Vt ille Phrygiam bello domuit? ità hic Friſiã bello perdomuit, Groninga, Linga, drenta, Tvventa, Tranſyſulana, & Vltraiectenſi Regione ad Friſiam ſuam, Batauiamq; additis: & in Orientali Friſia à multis ſacramento fidelitatis exacto, & præſtito, totum ferè Friſiorum vetuſtiſsimum Regnum (quod ad Neomagum pertingebat) in ſuam redegit cum Neomago ipſa poteſtatem? Ac in ea redactione centum vrbium munitarum (præter vicos, caſtellaq;)dominatum ampliſsimum acquiſiuit? Vt ille à victorum Principum coniugibus, & liberis abſtinuit: ità & hic ſibi ab eis temperauit? vt ille nonnunquàm certis de cauſis totum in lecto diẽ conſumebat decumbens: ità & hic conſumebat? Vt ille antè tentorium ſacra ſæpè ſua peragebat in caſtris: ità hic in caſtris ſæpè rem diuinam audiebat? ſacriſque rebus operabatur? Vt ille Darium Perſarum Regem totius Aſiæ potentiſsimum, prælio commiſſo vicit: ità & hic Franciſcum Gallorum Regem, totius Europę potentiſsimum, prælio commiſſo vicit, & cepit? Vt ille cõiurationem hoſtium fregit ſuorum: ità hic fregit? Vt ille incognitas orbis plagas bello illato demonſtrauit, & edomuit: ità hic depræhendit, oſtendit, vicit, perdomuit? Nonnè vt ille plures prouincias, & Regna proſperrimis victoriarum ſuarum de curſibus ſubegit, quàm alij Duces, vrbes, aut arces?

ces? Idem huic Cæſari noſtro accidit? Et vt ille à Lycippo ſculpi, ab Apelle pingi, ſe ſolo permittebat? Ità hic Carolus à Leone Aretino ſolo ſe ſculpi,& in æra, marmoraq; duci?& à Maio pictore pingi per miſit? Vt ille Homerum rerum ſuarum Cantorem Achillis laudibus excitus optabat? Ità hic rerum verarum veram narrationem,ad falſi criminis ſuccinctam refutationem exoptabat? Suarum rerum, actionumq; laudem ſoli Deo, eiuſque benignitati: non ſuæ virtuti, aut fœlicitati tribuens? Ac vt ille Magnus: ità hic Maximus eſt dictus? In hoc maior illo fuit hic noſter Maximus: quòd libidinibus, temulentia, iracundia, cęde, ambitione, ingratitudine, tyrannide, infamis non fuerit, vt ille fuit: & diuturnitate, exituq; vitæ, & Regni ceſsione fœlicior,& maior.

Comparatio Caroli Maximi, cum Fabio Maximo.

QVID de Fabio Maximo dicemus? Nonnè vt ille alibì pugnando, alibì cunctando rem Romanam: Ità hic alibì pugnando,& dimicando: alibi ducendo, & protrahendo bello, rem Romanam, Imperium,& dominatū ſuum conſeruauit? Ac vt ille cunctator: ità hic cunctator: & vt ille Maximus: ità hic Maximus: ſed maioribus de cauſis dictus eſt?

Comparatio Caroli Maximi, cum Hannibale.

QVID in Hannibale fuit magnum,ac laudabile? An non quòd alpes Italiæ,ac Pyrenem Hiſpaniæ tranſgreſſus eſt? magnis, & illuſtribus vbique victorijs potitus eſt? Quid hic Cæſar, an non eadem iuga montium altiſsimorum, cacuminaq; cū exercitu victore tranſcendit? An non paribus triumphis nomen huius inclaruit? An non in vtroq; ſtratagematum variorum farrago inuenitur? In hoc Hannibale maior, quòd nunquàm deuictus, neq; terga dare cum exercitu coactus eſt, vt ille. Nec punica fide(vt ille)in glorius, & repræhendendus: & exitu,fineque vitæ fœlicior, & auguſtior fuerit.

Nec ſolum illo maior, ſed ſeptemviris illis, & Heroibus ſeptem omnibus: maior à multis ſapientibus viris eſt hic noſter iudicatus.

Æquum etiam erat, vt qui cultu numinis immortalis, pietate, & adoratione veri Dei, & religionum ſanctitatibus, & vitæ innocentia, & morum humanitate, & maximarum virtutum cumulatione, ſeptem commemoratos Heroas ſuperauit. Idem etiam vitæ, & cùm victoriarum, tùm honorum, proſperitatibus (aliquo tamen humanitatis ſenſu, & fortunæ variantis, titubantiſq; aculeo relicto) vinceret, ac antecelleret. Et cùm proſperos, fœlices, laudatos, bellorum exitus conſequeretur: tùm in filio reuiuiſcentis vitæ, formæ, fœlicitatis ſuæ ſurculos enaſci, & propagines videret: nec (vt illi Heroës plæriq́ue) in orbitate liberorum, vitam finiret.

Certè ſecunda, æquabilis, fœlix, non nouerca, nõ irata, nõ inimica, fortunæ, Martiſq; rota Deo ſic prouidente, & mandante illi apparuit: vt ſine aliqua graui offenſione maieſtatẽ Imperij, Regnorumq́; fines ſuorum, firmiſsimè propugnaret, & tueretur. Et filium maximorum Regnorum Imperio florentiſsimum, & vbiq́ue terrarum, propter virtutis prꝗſtantiam, inuitis æmulis, & obtrectatoribus, amabiliſsimum cerneret. Et accidit Cæſari, vt ipſius laudem, ad ſempiternam memoriam, calamitas temporis noſtri prorogaret. Omnia enim Cæſaris geſta monumentis annaliũ veracibus mandabuntur: ac poſteritati propagabuntur: vt nec de eius virtutibus, nec de aliorum vitijs, vlla ætas conticeſcat. Sed verſetur in oculis, in ſermonibus, in auribus, in manibus, in libris, in ſcrinijs, in pectoribus hominum laus eius: ac cæteris Principibus, tanquàm præclarum, quod imitentur, exemplar virtutis proponatur.

Collatio Caroli Maximi, cũ Cyro, Pericle, Themiſtocle, Auguſto, Traiano, & alijs.

NEC enim de Cyro Perſarum Rege Xenophon tàm multa: nec de ſuo Pericle, aut Themiſtocle Thucidides: nec de Alexandro Magno Curtius, nec de Traiano Plinius: nec de Auguſto Suetonius: nec de Hebræis Heroibus Hebræi: diſſerere, ac eloqui tanta poſſunt: (etſi grauiter, vereq́ue res magnas dixerunt) quanta de hoc vno Cæſare, & à me dicta ſunt: & ab alijs pluta, vberioraq́ue dicentur.

Com-

Comparatio Caroli Maximi cum Hercule.

Et quid de Hercule dicitur præclarum? Nonnè ſeptem labores eius numerantur? Nonnè quod columnas fixerit? An non hic Quadraginta maximos, & periculoſiſsimos, & planè Herculeos labores ſuſcepit? An non columnas Herculis tenuit: ac Africam Europæ ſic colligauit? Vt multis ſæculorum ambagibus nexus appareat duraturus? Sic vt columnas Herculis vbique in imaginibus, armis, ſignis, ouationibus, triumphis, ſtatuis, arcubus, tanquàm ſymbolum ſuum ſemper viderit. Ac plus, vltra columnas Herculis progreſſus cerneretur? relictis nouis columnis, & aris Caroli: ad Fretum Magellanicum in Auſtro:& rurſus ad Boreale fretum, victoriæ fanis: adeò vt à Pariſienſibus ciuibus cùm illâc tranſiret argenteus illi (me inſpectante) maximus Hercules dono datus ſit, (quem Boſſuus poſteà ab eo Comes dono accepit): ac ab alijs nonnullis, quamplurimis Principibus, & prouincijs, quin etiam ab hoſtibus, Herculi ſit ſæpè Cæſar comparatus?

Comparatio Caroli Maximi, cum Iaſone, & Gedeone.

Qvid de Iaſone magnum, atq; excellens per hominum ora circũfertur? an non velleris aurei fama nomen eius illuſtrauit? Quid hic Cæſar? nonnè velleris aurei feraciſsimas prouincias tàm multas nactus eſt? Vt qui has Colchidi (vndè ille ſuum quæſiuit vellus) conferat, muſcá comparet Elephanto. Non immeritò igitur Cæſar, tàm longis temporum curriculis, velleris aurei torquem à maioribus acceptum, è collo ſemper pendentem antè pectus geſtauit.

Et Gedeoni hac ipſa in aurei velleris gloria par, & æqualis reperietur.

Comparatio Caroli Maximi, cum ſeptem Machabæis.

Septem Machabæis qui hunc comparet, inueniet multa ſimilia. Neque enim Cæſar (pietate, aut Reipublicę tranquillandę ſtudio, & amore commotus) omni tempore, omni occaſione finiendi præ-

diando belli, vti voluit. Eaque in re ſapientiſsimos multos belli Duces, exercituumque Imperatores ſecutus eſt: dicentes, niſi neceſsitas cogat: aut euidens, nec dubitanda vtilitas exiſtat: prælio non eſſe ſalutem militum committendam. Idque ad Cambræſium: & in Campania ad Cathalaunos: nuper tempore Franciſci Regis: & poſteà rurſus ad Quercetum, ſiue Queſnoium: & rurſus ad Rentiacum: tempore huius Henrici Francorum Regis: Cæſari vtroque tempore in exercitu præſenti (hoſte properè ſe ſemper recipiente) accidit. Habentque Cæſariani multi, illud Pompei Columnæ vetus Cæſariani Ducis dictum, in ore: hoſti abeunti ponté ſternendum eſſe aureum: quanquam alij prælijs dimicatis potius, quàm lue, aut hybernis niuibus, & frigoribus, caſtra emaceiari, & affligi cupiuiſſent.

Collatio Caroli Maximi cum Chriſtianis, & Barbaris Regibus.

AN EST autem quiſquam Chriſtianorum, aut Barbarorum Regum: de quo hæc eadem: aut tanta: aut ſaltem paria dici poſſunt? An quiſquam etiam fuit ex Auſtriæ, aut Burgundiæ, aut Caſtellæ, aut Arragoniæ familia (ex his enim quatuor fontibus, Maximus hic Carolus noſter effluxit) de quo hæc omnia dici queant? quæ tàm cumulatè, & tàm verè, & tàm ſimpliciter de hoc Carolo homines loquuntur? Si non: certè omnes alij Reges potentes, liberales, fortes, prudentes, temperantes, clementes, boni, dici per me poſſunt.

Hic autem Carolus propter omnium harum virtutum cumulos in eius caput coäceruatos, compactos, coägmentatos, ſolus meritò Maximus dici, & appellari poteſt. Ac hoc nomen Maximi, Cæſari à Pontifice Romano Paulo tertio, publico in diplomate miſſum, cùm multi alij ſunt admirati, tùm valdè diligenter annotauit Dominus Lodoicus ab Auyla, & Zuniga, militiæ Alcantarenſis, & leuis armaturæ equitum Cæſarianorum Præfectus, vir vobis viri illuſtres, ob morum Cæſarianorum, & Germanici corporis indolem laudabilē, apprimè notus, gratuſq;.

Qua-

Quadrageſimum ſignum comparationis Caroli Maximi, cum Carolo Magno.

SED redeamus, vndè digreſſa eſt oratio ad Carolum Magnum. Vt ille Carolus Magnus(hoc enim Quadrageſimum,& poſtremũ erit Caroli Magni ſignum)multis, & operoſis ædificationibus, illuſtrem famam eſt nactus: & ex omnibus conſanguineis fœminis ſororem vnam incredibili amore dilexit: & ſacerdotium, vetereſq; Eccleſiæ ritus, ordines,& ceremonias, templa, fanaq;, dieſq; feſtos in maximo honore habuit: Illius tempore varij Oratores,& Poëtæ, & Iuriſconſulti, & Theologi, & Medici, & Mathematici, & militares viri, in omnium artium præſtantiſsimarum doctrina, clari, & admirabiles effloruêre: diſcuſſa ignoratione,& tenebris pulcherrimarum, & vtiliſsimarum doctrinarum. Et illius tempore ius ciuile(quod per Longobardos, Gottos, Vandalos, Alanos, Hũnos, Cimbros, Afros, magna ex parte corruptum, obſoletum, abolitum fuerat)in vſum, forum, iudicia, reuocatum fuit.

Et illius tempore Britanni Reges in Britannia nati, ſemel finem regnandi fecerunt. Dania, Suetia, Saxonia, aliæq; nonnullæ Boreales mundi partes:in religionum ſanctitate, & numinis adoratione, magnas mutationes ſenſerunt.

Galliæ multæ Regiones à Borealibus viris vaſtatæ,& incendio cõſumptæ ſunt. Friſiorum Regnum ampliſsimum, nouum Dominũ nactum eſt. Longobardorum Principes, & Reges in Longobardia, & Gallia Ciſalpina, finem regnandi fecerunt. Et Gottorum, Vandalorumq; reliquiæ ex præſidijs, Colonijſq; veteribus eiectæ: & natiuo nitori Reſpublicę reſtitutæ ſunt. Alius illo tempore Rex Svvetię, alius Daniæ Rex extitit.

Et illius tempore ſummus Pontifex Romæ fuit natione Germanus. Et alter natione Romanus. Et tertius quidam Pontifex captus fuit. Et in Pannonia Rex fuit appellatus Ludouicus. Et illo Carolo Magno regnante, multi in Republica togatæ, & bellicæ laudis gloria,& claritate emicuerunt. Multi ſub eius tempora noui Duces, Marchiones, Comites Barones, & viri Principes appellati ſunt, quibus anteà hæc nomina fuerunt inaudita: & illius

tempore multi noui Reges dicti ſunt ab Imperatore, qui anteà Reges non erant. Et illius tempore tranſlatio plurimorum ſanctorum corporum facta eſt. Et Sol dicitur ſigna prodigioſa ædidiſſe, & alites Romanæ volâſſe, dum ille vinceret. Et ſub illius tempora, puella duodecim annorum, accepta Euchariſtia, ſex menſibus, in pane, & aquà ieiunauit. Deindè per triennium ab omni cibo, & potu abſtinuit. Et illo tempore Aquiſgrani ſeptennis fuit peregrinatio. Et ſub illius ætatem, Rex Angliæ Regnum Angliç Romanç ſubiecit Eccleſiæ. Et illius tempore præpotentes chriſtianorum Reges, Duces, Principes, alijq; viri illuſtres, vno prælio in egreſſu alpium, quas Hannibal perforauit, partim capti, partim cęſi, & contrucidati ſunt. Multa illo tempore portenta, prodigia, oſtenta, monſtra, multa non audita, non viſa, non credita, in cœlo, in terra, in aëre, in mari, in hominibus, in animantibus, in ſtirpibus apparuerunt. Et Lex chriſtiana quàm longiſsimè, ad vltimos terrarum ambitus, & anfractus propagata eſt. Multi Cometæ in cœlo ſunt viſi. Bellorum ardor inter chriſtianos Principes, nec tàm immortalis, nec tàm crudelis eſſe: ſed paulatim reſtingui cœpit. Connubiorum ſocietatibus, coniunctionem, & conſuetudinem ciuilis vitæ communire, & conueſtire Principes cœpêre. Feudorum largitionibus, nonorumq; honorum amplificationibus tàm ciuilium, quàm pontificalium, viri militares in Europa deuincti fuerunt. Et magnitudine Imperij eius, quaſi Monarchia Europæ recepta, & reſtituta Romanis, Germanis, & Gallis: reliquis minorum gentium, & claſsium Dynaſtis, ſpacium quieſcendi datum. Via iuris, & iudiciorum aperta. Commerciorum, & ſocietatis ciuilis illecebræ, & illectamenta peregrinitatis inuecta ſunt in Europam: quæ iam per Barbaras gentes planè fuerant ex Europa profligata, & propulſa. Deum reuereri, leges metuere, iudicia obſeruare, res iudicatas exequi cœperunt. Alluuionum, & circumluuionum iura, & venationum, & aucupiorum, & pontificales libri, recipi, & eos condiſcere: ad forumq̀ue, & iudicia applicare, multis in locis mortales cœperunt, maturaruntq; iuris ciuilis contextum, ad concordiæ humanæ tuitionem amplecti. Ac aurei ſæculi adumbrata fuit, propter diuitiarum magnitudinem apud multas gentes fœlicitas. Et Iani portæ ſemel (pace conſtituta) Romæ clauſæ fuiſſe (ſicut & in vita Auguſti idem ſcribitur) leguntur. Totaq; Europa vnũ Deum Chriſtum colere, & adorare incepit. Atq; in vnum finem religionum conſentire: (& ſi ritus, moreſque apud quoſdam diuerſi eſſent) omnes ſatagebant.

Ità

Itâ hæc tempore Cæſaris noſtri Caroli Maximi omnia euenerũt: nâm & eo naſcente crucibus in Germania pluit, quod multi annotârunt. Et puella duodecim annorum talis fuit in Germania, ſicut multorum libris, & teſtimonijs medicorum Cæſaris Ferdinandi cõprobatum eſt. Et cætera omnia in Europæ Regnis, & Romæ acciderunt. Quæ cum ex variarum gentium hiſtorijs: & annalibus qui noſtri euenta, & caſus, & mutationes, annotantibus: ſuis quibuſque in Regnis, & prouincijs: Sole meridiano clarius pateſcant, nihil opus putaui hic latius perſequi.

Quædam tamen naturæ, & rerum miracula magis rara hîc libuit attingere: ſi fortaſsis ab alijs minus rectè, & attentè obſeruata fuiſſent.

Multi fuêre in Germania, multi in Italia, multi in Gallia, multi in Belgica, multi in Hiſpania, multi in Britannia, multi in Pannonia, viri, & â familiæ imaginibus, & â grauiſsimarum artium laude inſignes qui Carolum cum magnis Heroibus comparârunt. Attamen Galli illum Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Dauidi, Siculi Africano, Hiſpani Alexandro magno, Turcæ Iulio Cæſari, Afri Hannibali magis compoſuerunt.

Lodoico ab Auyla non vltimus honos debetur: ſed nec Vorthuſio, qui diuerſis tamen rationibus, hunc cum Carolo Magno præ cęteris ſimilem eſſe voluerunt: ac Vorthuſius quidem Matheſim ad has res (vt audio) adduxit. Et Gandauenſi vrbi, quæ illum etiam ſæpè Carolo contulit Magno, ſuas laudes conſtare cupio.

Ego prouidentiæ diuinæ igniculis attactus, & admiratione percitus, numerorũ rationem ſecutus ſum, ab initio totius mundi ſumpto principio. Qui numerus ſi cum alijs non conſentiat quibuſdam: ſciatis eum cum Regis Alphonſi mathematici, Neotericorumque, & Ptolemaicis traditionibus optimè conuenire: & planè rectum, certum, finitum, non variatum, non adulteratum, non cõtortum, non violentum, numerum fuiſſe, eſſe, & fore. Idque optimè ex authoribus, quos citauimus, conſtabit inſpicientibus eos, & legentibus.

Totum autem Eccleſiæ Dei, & ſapientum iudicio corrigendum, emendandumq; propono: magiſq; hæc exaraui, vt acuerem ingenia hominũ, ad contemplandas diuinæ prouidentię laudes, quàm quòd retardarem.

Multi obſeruati ſunt, & annotati hîc â me Cometæ, Regnum, & Imperium Cæſaris inſigniter inſignientes notis ſyderalibus. Ac primum quidem vnus anno ſexto: mortem nunciauit Philippi Regis,

qui huius Cæſaris pater fuit. Et ex illo tempore, delapſa ſunt Regna ſeptem, ſtante pupillari Cæſaris ætate, ad ipſum Cæſarem Carolum: poſt decurſum ſecundæ hebdomadis annorum communium: quæ expirauit anno decimo quarto huius ſæculi. Illa autem ſeptẽ Regna maiora, ſic vulgo appellabantur, Caſtella, Arragonia, Granata, Valentia, Nauarra, Neapolis, & Sicilia.

Septem item anteà anno ætatis eius ſeptimo, ei(etſi pupillo)traditæ ſunt ex paterna ſucceſsione, in Belgica, prouinciæ maiores, videlicet Flandria, Brabantia, Hollandia, Artheſia, Hannonia, Lucemburgus, & Burgundia. Namurcum enim Feudum eſt Hannoniæ, & Zelandia, pars & portio eſt Hollandiæ. Lotricum, & Marchionatus Imperij partes ſunt Brabantiæ. Secuta eſt & tertia hebdomade, tertia hæreditas morientis Imperatoris Maxæmiliani, anno decimo nono ſæculi noſtri. Ac illius deceſſu, appulerunt ſe rurſus ad Cæſarem noſtrum ſeptem maiores prouinciæ, nempè Auſtria, Tyrolis, Carynthia, Stiria, Carnia, Iſtria, & Alſatia: ſed hic Cometa propriè Regnum, aut perſonam Cæſaris non reſpicit, ſed Philippi: ille enim tum regnabat. Quare hunc Cæſari & meritò, nõ attribuo.

Primus Cometa Carolum Maximum illuſtrans.

PRIMVS Cometa, quem annotaui, fuit viſus, anno trigeſimo primo vitæ Cæſaris, & ſæculi noſtri, à die ſexta Auguſti, vſq; ad diem menſis eiuſdem vigeſimum tertium. Ac initio cœpit videri antè Solem: poſteà ſecutus eſt Solem: & demum in occaſu Solis, nocte viſus eſt. Curſus eius fuit à Cancro in Leonem, & Virginem.

Ac hoc anno Ferdinandus fuit Romanorum Rex Aquiſgrani coronatus: cùm iàm anteà Coloniæ Rex Romanorum per Carolum Maximum aſſentientibus Electoribus deſignatus fuiſſet. Sic vt & ipſe Ferdinandus Cęſaris Frater, ſeptem(ope, & auſpicio Cæſaris)potitus ſit Regnis, quorum vnum, & primum eſt Romanorũ Regnum, ſecundum Hungariæ, tertium Bohemiæ, quartum Dalmatiæ, quintum Croatiæ, ſextum Sclauoniæ, ſeptimum Imperium eſt ipſum: faxit Deus, vt cuncta benè, ritè, proſpereq́ue tueatur. Ego enim in Hungaria, Tranſyluaniaq; cùm eſſem, mali ominis ſigna iampridem legi, quæ in portis vrbicis, ædibus palatinis, & porticibus, lociſq; publicis

blicis,literis bipedalibus ſcripta ſic erant: CERTE OMNE REGNVM IN SE DIVISVM DESOLABITVR. Et iterum alibi ſic ſcriptum frequenter vidi. NISI DOMINVS CVSTODIERIT CIVITATEM, FRVSTRA VIGILAT CVSTODIENS.

Secundus Cometa.

SECVNDVS Cometa anno trigeſimo ſecundo ſęculi huius, effulſit in Regione Orientali. Cœpit autem videri vigeſima quinta Sętembris, in diem vſq; vigeſimam Nouembris. Quo anno Turcarum Dominus Conſtantinopoli Calendis Maij profectus fuerat, cum ſexcentis (vt aiebant) armatorum hoſtium milibus, vt Auſtriam, & Germaniam (ceu fremebat) totam milite ſuo inundaret. Tantam autem triremium in Danubio multitudinem, nauiumque aduerſo flumine ſubuehebat: tantam Camelorũ, & tormentorum copiam, vt Imbraymus Baſſa (Athenarum ſe vocans Ducem) magnus Turcæ Conſiliarius, & in exercitu Legatus, totam Europã (ſicut grando hyberna ſegetes) ſe contecturum Turcico milite iactitaret. Et ille quidem aiebat vnam Solymanno rem obſtituram, aſtrum videlicet Cæſaris, & numeros. Non enim ſe ignorare numeros Ægyptiacos: & quod cum Auſtriæ nomen in Rodulpho Imperatore, & eius filio Alberto Auſtrię Duce, pariter Imperatore, apud Europæos inclareſcere, & nobilitari cœpit, eodem tempore Othomannorum, Turcorumq; nomen in Aſia nobilitari, illuſtrariq; cœpit: ſic vt duæ magnæ coniunctiones in cœlo viſæ fuerint: quæ harum duarum familiarum maxima incrementa fore portendiſſent. Etenim quod oſtendant, portendant, monſtrent, prædicant, oſtenta, portenta, monſtra, prodigia, in cœlo, & tellure cerni, à Romanis, & Græcis obſeruatum fuiſſe: ac ab eiſdem Romanis propterea ſic appellata: nec ſe ignorare, quod eidem Alberto Duci Auſtriæ Bonifacius Octauus dederit titulum, & iura Regni Francici, vt Auſtriam attolleret, Francoſq; deprimeret.

Et niſi Rex Franciæ per id tempus filiam ſuam, filio Alberti Ducis Auſtriæ, & Imperatoris, vxorem dediſſet: eaq; ratione amorem, beneuolentiamq; eius conciliaſſet, neſcire ſe quid Francus habens Imperatorem, & Pontificem Romanum hoſtem, illo æuo, detrimenti accipere non potuerit. Et ſe ſcire Fridericum Auſtriæ Ducem: qui Papam, Francos, Hungaros, amicos habebat: contrà Ludouicum Bauarum electum fuiſſe Imperatorẽ: ab Archiepiſcopo Colonienſi: Palatino Comite: & Duce Saxoniæ, tribus Germanicis Electoribus.

bus. Et ſe nó latere, quod Albertus ſecundus Auſtriæ Dux: Rex Hungariç, & Bohemiç, & Cæſar Romanus: qui filiam Sigiſmundi Imperatoris (vnicam hæredem Regnorum Sigiſmundi) vxorem duxerat, contrà Amurathem Turcarum Dominum armatus deſcenderit: ac Amurathe in fugam verſo, & ex Hungaria profligato: venerit in Græciam, & ceperit Theſſalonicam. Et quod duabus hebdomadis ſæculorum à natali Chriſti, & Quadraginta annis elapſis, Fridericus tertius Auſtriæ Dux fuerit Imperator: ac imperium tribus, & quinquaginta annis rexerit: & quod eius, & chriſtianorum Principum metu, Amurathes Turcarum Dominus (poſtquam victoria celebri ad Varnam potitus eſſet) fecerit ſe Monachum Mahometiſtam: veritus fortunæ inconſtantiam: quæ poſt magnas victorias, magnas quoq; clades viciſsim afferat: nec ſe ignorantem eſſe Huniadicorum trophæorum, quæ contrà Mahometum Turcarum Dominũ multis poſteà in locis fixerint. Et ſe non neſcire, quòd Maxæmilianus Friderici tertij Imperatoris filius, anno 1477. calculo chriſtiano, duxerit vxorem Mariam, vnicam hæredem Caroli illius audacis, & præpotentis Burgundiæ Ducis, & Flandriæ Comitis filiam. Et quod poſteà idem Maxæmilianus, anno 1500. (duabus hebdomadibus annorum detractis) calculo chriſtiano, decima Aprilis Aquiſgrani fuerit Cæſar Romanus coronatus, cùm ad forum Francorum electus fuiſſet, & deſignatus à patre (aſtipulantibus Principibus Electoribus cunctis) Romanorum Rex. Et vna hebdomade annorum finita mortuus ſit Imperator Fridericus Lintzy, ſepultuſq; Viennæ. Quo tempore Turcarum excurſiones in Croatiam, à Maxæmiliani Cæſaris (in Auſtria tùm agentis) copijs haud ſatis magnis, repreſſæ fuiſſent. Et quod poſteà Venetorum copiæ, vireſq; ab illo attritæ fuerint. Veronam, Paduam, Treuiſium, Venetis ademerit: quarum vrbium iure poſteà (authore Carolo nepote ſuo Imperatore) Venetis ceſſerit. Nec ſe ignarum eſſe quomodò hic Carolus Quintus Auſtriæ Dux, ac Rex Hiſpaniæ, filius Philippi, nepos Maxæmiliani, abnepos Friderici, ab Alberto Cardinale Archiepiſcopo Maguntino Marchione Brandenburgenſi, magno per Germaniam Imperij Cancellario, ab Hermanno Comite à VVeyda Archiepiſcopo Colonienſi, VVeſtphaliæ Duce, magno Imperij per Italiam Cancellario: Richardo à Griffenclau Archiepiſcopo Treuirenſi, ſummo Imperij per Gallias Cancellario: Ludouico Rege Bohemiæ, & Hungariæ (cuius Legatus adfuiſſet) Ludouico Comite Palatino, Duce Bauariæ, Imperij Archicamerario: Friderico Duce Saxoniæ, Marchione Miſnæ, Lantgrauio Thuringiç, Impe-

Imperij Archimareſchallo,& Ioachimo Marchione Brandenburgen ſi, Duce Stetinιæ, Burgrauio Nurẽbergenſi, Imperij Archipincerna: in foro Francorum electus fuiſſet Imperator: decima nona Iulij: ſic vt ſeptimus eſſet ex familia Auſtriaca Cæſar Romanus. Se quoq́ue ſcire illum eſſe pridem expectatum à multis gentibus,& Philippi Regis filium. Sed quia Fridericus Cæſar Viennæ coronatus Ludouico Bauaro Imperium ceſsiſſet: dubitare ſe,an hic ſextus,an ſeptimus dicendus ſit Auſtriacus Imperator: & Cæſar Romanus: an alius expectandus ſit: eodem nomine,eademq́; ex familia,qui gentem Turcicam euertat Europa: Biſantiumq́; recuperet. Nec enim ſe eius victorias multiplices,triumphoſq́; ignorare: ex quibus illum maximi faciebat: quòd eo abſente,& in Hiſpanijs agente: cùm Dux Capelerus centum,duo,& quadraginta hominum milia: in Germania contrà Imperium eius,pro libertate(vt aiebat)chriſtiana ad arma excitâſſet,Quadraginta dierum ſpacio,anno ætatis eius vigeſimo quinto: omnes varijs prælijs cæſi: & ad internecionem deleti fuiſſent per eius,Germaniæq́; Principum Tribunos. Qua vna re nihil multorum ſæculorum memoria admirabilius,nihil fortunatius,nihil proſperius cuiquàm Monarchę mundi in ſeditione publica accidiſſe,ab orbe cõdito,putabat.

Nam quòd anno vigeſimo nono Solymannus Viẽnam Auſtriæ multis hebdomadis obſeſſam ſæpius,& bis ſepties vno detracto aſſultu oppugnatam,expugnare nequiuerit: cum nulla eſſent propugnacula, nullum vallum, nullæ ferè foſſæ, anguſtus tantum murus eſſet vrbicus,quem catapultis,& arcubus ſuis,Turcæ Ianizeri, ſæpius traieciſſent, non id Ferdinandi Regis Hungariæ, ſed Cæſaris fœlicitati,& virtuti,& ſyderi adſcripſiſſe. Tria enim,& octoginta hominũ milia,in illa expeditione Turcarum Cæſarem amiſiſſe, quæ quarta exercitus ſui pars fuiſſet. Nec ad iſta Ioniſbecus Baſſa,Imbraymi apud Legatos per id tempus interpres, quidquam contrarium dicere poterat(Sceppero audiente)alijs id Baſsis, & Sanſacis etiam confirmantibus, ac qui tùm Viennam defenderunt: fuerunt, Fridericus, & Philippus Comites Palatini,Duceſq́; Bauariæ,veſtri ordinis periluſtres Equites: quorum alter conſilio,alter armis,Viennam,Germaniamq́; tunc totã,ab obſidione,impreſsioneq́; Turcica liberauit,authore Cæſare Maximo(qui tùm in Italiam pacis publicæ conſtituendæ cauſa ex Hiſpanijs cum maxima procerum Hiſpanorum caterua adnauigârat) Ferdinandi tamen Regis virtus eximia in hoc enituit, quòd ex Boiæmis, Morauis, Slæſijs, Hungaris, Dalmatis, Croatis, Stirijs

Stirijs, Carnis, Carintijs, Alſatijs, Sclauonicis, Germanis, Belgis, Italis, florentiſsimas equitum, peditumq; copias magna celeritate, diligentiaq; contraxerit, quibus obſeſſæ Viennæ ſuppetias ferre contendebat: ſed milites Cęſariani fortiſsimè in ciuitate Viennenſi (etſi noua, & ſuburbana ciuitas amiſſa foret, ac in illius vallo hoſtes tentoria, machinaſq; bellicas ſuas collocâſſent) publicam Auſtriæ dignitatem, & totius Germaniæ ſalutem (duce Deo, & Cæſare auſpice) defenderunt. Ac ipſe quoq; Imbraymus Baſſa mirabatur, quòd Cæſar Carolus auſus fuiſſet, Auguſtæ, Vindelicorum, Germanorum conuentus habens anno milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo, edicere, vt omnes veterem Eccleſiæ Romanæ ritum, moremq; ſeruarent. Si enim hoc Germani admittant, concilioq; rem decidi generali permittant, actum de illa hæreſi, vt de reliquis hæreſibus fore: quæ res difficiliorẽ omnem Europæam expeditionem Turcicam efficeret. Sola enim chriſtianorum diſſenſione vires Turcicas incrementa ſumpſiſſe: ſed nec propterea tamen hereticos, vt homines ſeditioſos, & ad anarchiã aſpirantes Turcarum Domino placuiſſe: Auſtriacam autem familiam ſolis connubijs legittimis, & electione Imperatoria ritè facta, in tàm reuerendam, & ſuſpiciendam Imperij maieſtatem ſuccreuiſſe: ſic vt hînc fortuna, illînc virtus pro Auſtriacis pugnare videatur. Sed in hac in certitudine, & ambiguitate numerorum: hyemis, & Octobris, Nouembriſq; menſis inclementiam: caſtris Turcicis tunc noxiam fuiſſe. Nunc Calendis Maij Biſantio cum tantis copijs egreſſum Imperatorem Conſtantinopolitanum: viceſima quinta die Iunij facilè Belgradum peruenturum, in Auſtriamq; menſe Quintili (horreis omnibus fœno, frumento, armento, plenis) euolaturum. Illum autem nõ Auſtriam tantum, ſed vniuerſam Germaniã, & Galliam, & Italiam animo ligurire: nec Gallis (etſi hoſtes non eſſent) parſurum (cùm opus, & occaſio erit) Turcam. Idq; multi ex Satrapis Turcicis, & Gritius putabat. Et Hieronymus à Laſco Palatinus Syradiẽſis ibi tùm pręſens: Regi Franciſco, & matri olim eius chariſsimus, clariſsimus Torquatus Gallicus Eques idem ſentiebat. Tantam enim eſſe amplitudinem Imperij Turcici hoc tempore, vt conſenſionem chriſtianorum Principum deinceps non reformidet. Sed quorſum hæ euaſerunt minæ? Gunzia vrbecula tribus hebdomadis à Turcarum Domino obſeſſa, bis ſeptem aſſultibus diuexata, fortiter reſtitit furori Turcico. Ac Cæſarem Ratiſbonæ comitia habentem, audiens Turca negotia religionis in tempus concilij diſtuliſſe, in eandemq; ſententiam, Ioannem Fridericum Saxonem, patris electoris lega-

legatione fungentem,& Philippi Heſsiæ Lantgrauij Oratores,fœderatorumq; Legatos,authoribus,Alberto Maguntino Præſule Cardinale, & Ludouico Palatino Comite, duobus Electoribus, tranſiſſe intelligens,Italicos,Hiſpanicoſq; veteranos milites, & Germanicos, vndiq; à Cęſare excitos:magnumq; ſeptem fortiſsimarum nationũ equitatum,peditatumq; contractum, & claſſem maximam à Cæſare in Græciam miſſam cognoſcens,ſerò grandinem Turcicam: ſegetes Auſtriacas corrupturam hoc Cęſare viuo didicit:ac porrò in Auſtriam, aut Germaniam (illo illîc agente) haud temerè deinceps aiebant deſcenſurum.

Cæſar igitur Carolus cõtrà Turcam tàm efferato animo progreſſum,vt vniuerſam Europam ad cædem, atq; incendium deſignaret, ter Quadraginta armari iuſſerat hominum milia,ac partim cunctando,partim hoſtem exiguis prælijs,& fame atterendo,tanta fœlicitate eum à Pannonię finibus reiecit:vt ſolus Micalogus Baſſa quindecim milia equitum vnico conflictu amiſerit. Quo audito Turca, conſilium Imbraymi Baſſæ conuitijs exagitans (qui de Auſtria rurſus inuadenda Turcæ author, conſultorq; vt priorem maculam exureret, fuerat) magna celeritate terga vertit: ac alia quàm venerat via, retro Biſantium: & ad Thracas ſuos abijt.

Tertius Cometa.

TERTIVS Cometa apparuit menſe Iunio, die decima octaua, anno vitæ Cæſaris trigeſimo tertio. Ac eſſe noſcebatur in tertio gradu,quarto minuto geminorum.

Et hic Cometa contrà ſignorum ordinem: & eum qui dicitur in cœlo Solis apparere motus,progrediens:ac ob vicinitatem Poli arctici nunquam occidere,aut occumbere viſus eſt. Polo enim ità fuit propinquus,vt Horizontem contingere nequiret. Cometæ ſemita longiſsimè ab eclyptica circa Arietis principium ferebatur, atq; illîc ſexaginta gradibus integris ab eclyptica deſtitit:qui locus venter Draconis tùm erat. Ac ſi ſecundum ſignorum ordinem motus fuiſſet: initium Cancri,caput: & Capricorni initium, cauda Draconis, eſſe debuerat.

Hinc magna inter Vratiſlauienſem copernicum: & Ingolſtadienſem Appianum, & Hieronymum Scalam, & Cardanum Mediolanenſem,& Gemmam Fryſium fuit decertatio: quòd contrà ſignorũ ordinem à geminis (vbi initio apparuit Cometa) non in Cancrum progreſſus: ſed in Taurum, & verſus Arietem Cometa ſit regreſſus:

quem tamen (ſi quemquam alium) ſecundum ſignorum ordinem moueri oportebat: remotiorem ſcilicet à terra, quàm alius fuiſſet: longiſsimè enim à Sole aberat.

Neq; poterant hæc conuenire cum Ptolemæi traditionibus, centeſimo centiloquij aphoriſmo definientis: Cometas vndecim ſignis à Sole diſtare cùm hic Cometa in Geminis, & Tauro, Sol in Leone fuiſſe hoc tempore ſit demonſtratus.

Eſt igitur alius lunaris ſphæræ raptus, quàm opinati ſunt mortales, ac ſi rotam illius cœlum, atque terras, impetu ardentis oculi ſui, colluſtrantis, & rotantis figuli conſiderâſſent: Deo hæc non homini bus perluſtranda fuiſſe cenſuiſſent. Habet autem tellus ſimilitudinē quandam cum primo mobili.

Nunquàm magis Cæſaris animus ad bellum Turcis inferendum fuerat inflammatus, quàm hoc anno, ac propterea omnem mouebat lapidem, vt fœdere in Italia renouato, Europa tuta eſſe poſſet, & quieta à bellis ciuilibus. Sed cùm res Cæſaris in Africa, anno trigeſimo quinto ætatis ſuæ: & biennio antè in Græcia foêliciter geſtæ: ſimiles euentus in Aſia, & Syria portendere videbantur: eccè ab hoc laudatiſsimo victoriarum ſuarum curſu, (eiecto per hoſtes Carolo Sabaudo è Sabaudiæ ſuę, Allobrogumq; dominatu) reuocatus eſt.

Tàm autem grauiter, & acerbè illum Cæſar caſum tulit, vt niſi reſtituto illo in priſtinam dignitatem, pacem chriſtianorum Regum deſperaret.

Quartus Cometa.

QVARTVS Cometa apparuit anno ſæculi noſtri trigeſimo octauo, menſe Ianuario: ac à die decima ſeptima, vſque ad viceſimum ſeptimum terris noſtris illuxit: manè nemini viſus eſt antè Solē terras noſtras luſtrantem. Ac ſub hoc tempus in Dalmatia Cæſar noſter arces quaſdam, portuſque expugnârat, vt Biſantinam, Græcamque expeditionem cùm faciliorem, tùm (nullo à tergo hoſte relicto) efficeret tutiorem.

Quintus Cometa.

QVINTVS Cometa eluxit anno vitæ Cæſaris, & ſæculi noſtri trigeſimo nono, à die ſexta Maij, vſq; in decimam ſeptimam. Cometa hic perquam exilis, & ſuboblcurus fuit, caudam promittens breuiorem, arctioremq;, ac hoc tempore Cæſar magnam in Oceano Belgico claſſem centum, & Quadraginta roſtratarum nauium benè armata-

matarum(quas Hulcades appellamus)Ducibus Adolpho Verienſiũ, Beuerorumq; Dynaſta maris Præfecto, & Comite Boſſuo Adolphi genero, veſtri ordinis duobus perilluſtribus equitibus adornabat: quarum Quadraginta iàm ad fretum peruenerant Gaditanum.

Sed multæ res Cæſarem ab hac expeditione Biſantina,& Aſiatica retraxerunt,quas hic non eſt narrandi locus. Etenim caritas annonæ in Sicilia à quibuſdam: & mors Andreæ Griti ab alijs,& vicinitas Argeræ à nonnullis,& mors Imperatricis à quamplurimis,pro excuſatione auxiliorum adducta:nec Cæſari, Nec Cæſarianis ſatisfacere poterant, quo minus tàm præclarum opus (Turcis bello Perſico diſtractis, & Græcis ad libertatem noſtram chriſtianam anhælantibus) à Cæſare ſuſciperetur. Nec Gandauenſium motus tàm ancipites caſus afferebant, vt propter eos maxima, & certiſsima de Aſiaticis trophæa negligenda eſſent. Si enim vnquàm aliâs toto hoc triennio optimè inter Cæſarem,& Gallicum Regem conuenerat.

Sed Cęſar Sceppero ad Belgicam properè ex Hiſpanijs per celeres equos dimiſſo,vt Nauarchis ſtipendio ſoluto exauctoratis,claſſis apparatus conquieſceret, impenſæque parceretur, ipſe poſteà Gallorũ Regem ſalutare conſtituit: ac nullis Obſidibus in Hiſpania retentis (etſi liberos ſuos vades Gallus offerebat) menſe Nouembri in Aquitaniam venit: ac Baionæ Tarbellorum primò, Burdegalæ Vibiſcorum ſecundò,Pictauij Pictonum tertiò,Genabi Aulerciorum(quam Aureliam vocant) quartò, Luteçiæ Pariſiorum quintò, Syluanecti ſextò,Nouioduni ſeptimò, in ſeptem Pontificalibus Galliæ vrbibus nobiliſsimis honorificè,Regiè,Imperatoriè, à Gallorum populis exceptus,ornatus,donatus,in Belgicam ſuam Cęſaream Bruxellas peruenit. Lochijs Regem in agro Pictonum: Baionæ Henricum id temporis Delfinum, nunc Regem: ad diuum Sebaſtianum Carolũ Aureliorum Ducem alterum ex Regijs liberis: Cæſar obuium habuit. Tantis autem in Aquitania,Celtica, & Belgica Francica,honoribus cohoneſtatus fuit: vt Carolo Magno: aut ipſi Franciſco Regi (etſi valdè ſplendido,& magnanimo) maiorem laudum,ludorum, arcuum triumphalium, & trophæorum gloriam non detuliſſe paſſim dixerint.

Ac lochijs quidem in congreſſu honoratiſsimo,ſplendidiſsimoq; duorum Regum, & Principum tàm potentum: PHOENIX Carolo Cæſari pro ſymbolo exhibitus fuit multis admirantibus.

Ac ſumma, & planè auguſta poteſtate, maximèque Regia, Cæſar per omnes Regni limites eſt vſus: ſummum vitæ, neciſq; Imperium ſibi à liberaliſsimo Rege Franciſco liberaliſsimè conceſſum amplectens: cuius authoritatis Veliacus in Gallijs curam habebat cum quibuſdam alijs nomine Regio. Sed emolumenta maxima Nomophilax Dynaſta Granuellanus, propter ſigilli iura nanciſcebatur. Omnia enim ergaſtula Galliæ tunc Cæſaris clementiæ adaperta fuerunt nulliq; vnquàm Cæſariano verbum inſolens à Gallo inſolenter dictum: ſed omnes de Cæſare omnia bona dicere, & laudare fortunā Cæſarianorum, qui Cæſarē haberent tali ingenio, & modeſtia præditum. Ac ea in poteſtate leniſsimè, & mitiſsimè (vt ſemper aliàs) Cæſar ſe geſsit.

Grāuellanus Nomophilax poſt mediam noctem, media hyeme, itinera obibat: vt Cæſarem media via ſemper, & meridie, anteuerteret: eique Antonius Perenottus Atrebatium Pontifex, filius natu maximus, eloquentiſsimus, & dexterrimus vir, & Lalænius Protonotarius, & Carolus Boyſotus, ſupplicibus Cæſari oblatis libellis audiendis: Conſiliarij adiutores: attributi à Cæſare fuerant.

Sextus Cometa.

SEXTVS Cometa, cùm Cæſar Hiſpaniæ Regna à ſe abdicâſſet: & in filium transfudiſſet: emicuit anno ſæculi, & vitæ Cæſaris quinquageſimo ſexto: Romano calculo: (nā Gallico calculo annus eſſet quinquageſimus quintus) initio Martij hic Cometa terram Belgicam irradiauit. Atq; hic Cometa in cauſa fuit cur ſeptenarij numeri curam maiorem, ſolicitudinemq; ſuſciperem. Ac ad huius voluminis ſcriptionem (in vitam rurſus vt anteà Caroli Magni die veneris ſancta: inopinanter, & imprudenter, in Cæſaris Bibliotheca: cui per decennium præfui, incidens) rurſus inquam me conuerterem. Sciens autem hunc Cæſarem Carolum noſtrum Quadrageſimum eſſe Germanicum, & occidentis Cæſarem, initio à Carolo magno deſumpto: & ſeptingentos annos intercalatos, inter vtriuſque Imperium fuiſſe, cogitans: & Conſtantinum Magnum, similiter Quadrageſimum fuiſſe Cæſarem: initio à Cæſare Iulio facto animaduertens: ac quòd is ab Occidēte in Orientem, & ab vrbe Roma Conſtantinopolim ſedem Imperij tranſtuliſſet, vocans Conſtantinopolim nouam Romam, tùm magis, magiſque in id ſtudium incumbui ſucciſiuis horis, tamen & à Senatu liberis: & diebus ſacris: aut vacationum publicarum ferijs: aut podagricæ meæ valetudinis tempori-

poribus: aut aulicis moris,& quietibus: aut itineri, profectioniſque deſtinatis diebus: omnibus ad hanc commentationem traductis,& tranſlatis.

Nolo enim quiſquam veſtrum putet me horas Senatorias: aut Reipublicæ gerendæ deſtinatas: in hoc ſcribendæ vitæ Cæſaris otium, conuertere voluiſſe. Sed cùm in otio eſſem Reipublicæ,negotium priuati omni Regno Cæſaris ſuſcepi: Marcum Tullium in hoc ſaltem ſecutus,qui nunquàm minus otioſus erat,quàm cùm in otio eſſet.

Spero autem vos viros illuſtres ex parte me adituros: ſi enim hanc Cæſari emerito militi operam nauaui, quid me nauaturũ operæ putatis,in hoc florentis Regis Imperio?

Plures certè adorant Solem orientem, quàm occidentem,vt Marius dicebat.

Et ſi hæc in arido feci,quid in viridi futurum eſt,ventis benè,proſpereq; fauentibus?

Sextus autem iſte Cometa erat in parte Orientali, circà finem Libræ in latitudine Septentrionali, ac illinc contrà ordinem ſignorum perrexit ad Leonem diuerſis motibus, tranſiens ferè per ſtellã nuncupatam humerum dextrum bootis, aut arctophilacis: illinc propè ſtellam quæ magna Vrſa vocatur: ac deindè per paruam Vrſam, qui currus vocatur: ac tùm noctu non amplius apparuit,propter temporis obſcuritatem, nebuloſamque caliginem aëris: ſed poſteà iterùm emicuit inter Orientem, & Septẽtrionem arcticum noſtrum manè, vſq; ad nonas Maij,& nonnihil poſt nonas.

Atq; hæc ſunt contrà omnes omnium veterum traditiones, qui vltrà dies ſexaginta Cometas non videri dixerunt, CVM HIC COMETA SEPTVAGINTA DIEBVS VISVS SIT.

Atque hic quidem Cometa pro gubernatoribus habuit (vt ex Matheſi ariolantur) Saturnum præcipuè, & Venerem in Ariete, in oppoſitione, periniquo aſpectu: ac Dominus aſcendentis fuit Mars fortunatus in ſua domo, & triplicitate, & oppoſitione: (vt aiunt).

Cometa viſus eſt mœſtus,fuſcus,naturæ Saturnicæ, qualem Cometam nigrum Mathematici in Aſtrologia vocitant.

Erat autem pauci luminis,breuiſque caudæ.

Nunquàm ad eundem modum ſaliens: & ſub ipſum polum ſuccedens noſtrum, Cometa vllus viſus noſtro eſt ſæculo. Nec ſimilẽ temerè ex hiſtorijs quærens aliquis reperiat.

De futuris contingentibus,inquit Ariſtoteles, eſt indeterminata, & incognita veritas.

Vera ſanè futurarum rerum veritas apud Deum ſolum ſemper permanſit.

Vnum obſeruaui,quamdiu Cometæ eluxerunt chriſtianos Principes omnes,& maximè omnium, Cæſarem,& Gallum,noſtro ęuo & ſęculo,pace,aut inducijs bellorum vſos fuiſſe,ſic vt ego illos in hoc noſtro gladiatorio ſæculo, pro PACIS TESSERA acceperim, cùm ab armis cœlites quieſcere mandauerunt.

Septimus Cometa.

RESTAT Cometa (ſi ſeptem Cometæ perſonam illuſtrabunt Cæſaris noſtri, & comitabuntur). Etenim vnus ille non Cæſarem Carolum: ſed patrem eius Philippum morientem reſpiciebat: Qui cùm apparuerit in Caroli Maximi morbo,quo & mortuus mundo, & cœlo redditus eſt viuus,conſummatiſſimum numerum Cometarum Caroli perſonam illuſtrâſſe, & reſpectâſſe confitendum eſt. Ac de hoc ſeptimo Cometa alibi, & magis appoſitè, & magis vberè loquemur.

Septies conuentus aurei velleris veſtri Equitum, hoc Carolo veſtro viuo habiti fuêre. Primus anno ſæculi, milleſimo quingenteſimo, & vitæ Cæſaris primo, in vrbe Bruxellenſi: ac tùm ipſe Carolus deſignatus eſt Eques, & Collega veſter: appellatus Princeps Hiſpaniæ eſt, Dux Lucemburgi. Secundus Middelburgi in Zelandia anno quinto. Tertius Bruxellæ,anno decimo ſexto. Quartus Barchinonæ in Hiſpanijs,anno decimo octauo. Quintus Tornaci, anno trigeſimo primo. Sextus Vltraiecti, anno quadrageſimo quinto. Septimus, & vltimus Andouerpiæ (quòd forum Caroli vocatur) anno quinquageſimo quinto, calculo curiæ omnibus annis computatis.

Ad eundem calculum ſeptem annis habuit patrem, & ſub poteſtate patria fuit.

Septem rurſus annis ſub tutorum authoritate,& ſub tutela fuit.

Septem rurſus annis ſui iuris fuit. Et pace vſus eſt cum Galliæ Rege ſeptem primis annis Regni ſui.

Septem rurſus annis durauit bellum Gallicum, vno anno quieſcente Gallo quo captus fuit.

Poſt pacem Cameracenſem. Septem rurſus annis quieuit Cæſar à Gallo

à Gallo,vſq; ad annum trigeſimum quintum: ſub cuius anni finem Sabaudiæ Dux Carolus à Rege Galliæ Franciſco,auunculus à nepote (erat enim Franciſcus ex ſorore nepos eius) Sabaudia eiectus, & Pedemontana Regione ferè tota expulſus fuit.

Hinc bellum Gallicum pro reſtitutione Sabaudi inceptũ,& inducijs ſopitum: deindè nouo bello continuatum fuit, vſq; ad annum quadrageſimum quartum. Quo tempore per pacem Crepiacam certa conditione lata,reſtitutio eius continebatur: ſed cùm illa conditio caduca fieret per mortẽ Caroli Aureliorum Ducis, res infecta manſit. Pax tamen ſeptem annis durauit cum Gallo, videlicet vſq; ad annum quinquageſimum primum: quo tempore rurſus bellum Gallicum cœpit, quod ſemel inducijs interruptum, & ijſdem repetitis, ad pacem deducendum videbatur ſeptimo anno, ac hoc tempore reſtitutio Sabaudi, & rerum vtrimque bello ablatarum futura ſperabatur, qui fuit annus ad eundem calculum quinquageſimus octauus,& vltimus vitæ Cæſaris Caroli.

Septem itaq; annis pugnatum eſt pro reſtitutione Franciſci Sfortiæ Mediolani Ducis,& bis ſeptem annis pro reſtitutione Sabaudiæ Ducis,cum Rege Galliæ.

Septem imperante Carolo Maximo Romani Pontifices fuerunt.

Leo Papa decimus, primò. Adrianus Papa ſextus, ſecundò.

Clemens Papa ſeptimus, tertiò. Paulus Papa tertius, quartò.

Iulius Papa tertius, quintò. Marcellus Papa, ſextò.

Et Paulus quartus,& vltimus Papa, ſeptimò. Huius Pontificis pontificatu mortuus eſt Carolus Maximus corpore: quod corpus cum mortuum fuit: tum primum anima, & potentia,& virtus Caroli viuere incepit.

Nemo autem putet hæc omnia, quæ hoc libro de Cæſare ſcripta ſunt, fortuitu, tanquàm concurſu atomorum ſic accidiſſe, ac non potius diuina prouidentia. Vndè enim in omnibus eſſet tanta omnium numerorum,ponderum,menſurarum,conſenſio? Tanta principiorum, mediorum,& finium,rerum,temporum,actionum,euẽtorum, nominum,nationum, ſtudiorum,ingeniorum,prodigiorũ, virtutum, portentorum, proportionum,reuolutionum,bellorum, & pacium, diſsimilibus, & diſiunctiſsimis temporum, locorumq; ſpatijs: tàm ſimilima, æqualiſsima,& Germaniſsima conſpiratio?

Si verò Deus capillos capitis noſtri regit, numerat, colorat, roborat, format, tollit, regenerat, vt certè facit (neque enim in poteſtate noſtra eſt poſitum, aliquid in illis immutare) cur non pariter

res maximas, & maximè Reges, & Cæſares, & Monarchas orbis?

An paruas res Deus curat? maximas, & præſtantiſsimas mundi animas non curabit?

An fortuitus iſte concurſus atomorum: aut fortunæ rota: ſine aliqua prouidentia, & numine, & æterna illa poteſtate, ſummi, ac ſempiterni, & optimi Maximi Dei: poteſt hominem facere, ſine hominum opera? poteſt domum, atrium, conclaue, tectum, arcem, templum, ciuitatem, conſtituere ſine hominum opera? an quidquã horum ſine ſummi Dei prouidentia, permiſſu, & aſſenſione, perficitur?

Quòd ſi omnia hæc quę hîc ſcribuntur, & dicuntur de Republica, de Regibus, de cœlo, de terra, de mari, de hominibus, de viciſsitudinibus, ſunt fortuita: ergo eſſe poſſunt, & non eſſe rurſus omnia: de quibus homines ſenſu iudicant, & ratione numerorum eſſe inuariabilia.

Vndè igitur tàm ordinati motus ſyderum, tàm ſubitæ, & finitę cõuerſiones orbium cœleſtium? tàm certa, & conſtans, & immutabilis varietas, viciſsitudoq; æſtatis, autumni, hyemis, veris? æſtus profluentis, & refluentis Oceani tàm certus, tàm quotidianus, tàm Lunæ motibus, incrementiſq; conſentiens?

Nónne Solis annuam luſtrationem, Solis incenſa radijs mẽſtruo ſpacio Luna complet?

An non æſtus maritimos, fretorum que anguſtias (vbicumq; tandem illæ ſunt) ortu, aut obitu Lunæ vehementiſsimè commoueri cernimus?

Nónne in fretis, & maritimis æſtibus, & reliquis humoribus, homines iampridem animaduerterunt, vt illorum acceſſus, & receſſus Lunæ motibus conformentur, & quaſi gubernentur?

Quid quòd ſingulas humani corporis partes, certis in cœlo aſtris & ſignis ſubijci: Medici, & Aſtrologi, & Chirurgi tradiderunt? ac vno tempore venam percuti ſalubre, alio tempore inſalubre, & nonnunquam mortiferum? & letale fore?

Nónne oſtrea, & conchylia omnia in quibus plurimum pituitæ, & aquæ, minimum reliquorum eſt elementorum, cum Luna creſcunt, pariterq; decreſcunt? Nónne arbores cum Luna ſimul ſeneſcentes, tempeſtiuè ceduntur?

Nónne docet Mathematicorum diſciplina, & ratio, & dimenſio, quanta humilitate Luna feratur? ſic vt terram ipſam propè contingat?

Adeò

Adeò vt Xenophanes Philoſophus habitari in Luna poſſe crediderit: quod ea ſicut tellus Solis lumine illuſtretur,& regatur.

Iſta verò eſt ipſa Luna,quam puerperę veteres in pariendo implorabant: Iuno Lucina fer opem,ſerua me obſecro. Qua in re ſolertes antiquæ puerperæ (ex traditione maiorum) ſeptenarium numerum ritè obſeruârunt tàm in verbis,quàm in ſyllabis,non quòd numeris vis inſit, ſed quòd ea precandi ratio (ſicut & alia plæraq; apud nos) hunc numerum recepérit.

Si hæc caſu,& fortuna regerentur, cùm ſit fortuna per ſe (vt apparet) inconſtantiſſima,maximeq; volubilis,& incerta,& iniqua,& iniuſta, & cæca, & bonis plærumq;, & probis, & modeſtis hominibus noxia, temerarijs,audacibus, ſceleratis, & nefarijs arridens, virtuti infeſta, fauſta, & fœlix, & proſpera vitijs, & erroribus: quantam cæcitatē? quantam inconſtantiam? quàm inconſideratas,& perplexas, & nunquàm eodem modo recurrentes vias, in cœlo,& varietatibus rerum cerneremus?

Si autem omnia ſunt præmeditata, præuiſa, prædeſtinata, præordinata, certa ratione, certo iudicio, certa numerorum lege, vt certè ſunt (etiam ſi vt Theologi loquuntur quædam contingenter eueniant) hanc rationem,hoc iudicium,hanc numerorum collectionem fas eſt non à cęca fortuna,& ſtulta, ſed à ſapiente, & oculato Deo regi,atq; gubernari. Scriptum eſt enim, DISPOSVIT DEVS OMNIA IN NVMERO, PONDERE, ET MENSVRA, Sapientiæ 11.

Ac vt exemplo id clarius pateat: agite, fiat concurſio,& coaceruatio innumerabilium literarum,& Græcarum,& Romanarum,& Hebræarum,& Gallicarum,& Italicarum,& Hiſpanicarum,& Germanicarum,fiantq; omnes characteres aurei,aut argentei,aut ſi mauultis gemmei: proijcianturq; ſingulæ nationes in aliquem magnum atq; patentem campum caſu,atque fortuitò: an ex Græcis characteribus, proximos proximis adaptando,& accumulando,& cogendo, in ordinem,caſu atq; fortuitù,Ilias Homeri exurget? an ex alijs vel Æneis Maronis? vel Exodus Moyſis? vel Froſſardi? vel Petrarchæ? vel Marci Aurelij? vel annalium Germaniæ volumen? caſu atq; fortuitù conſolidabitur? an componetur?

Non ſanè,ac vix vnum quidē verſum ex tot chiliadibus,& miriadibus literarum ab imperito,& cęco colligi poſſe crediderim.

Si igitur opus eſt ſcriptoris peritia: illa certè non in cęca fortuna: ſed in vidente Deo,reſideat neceſſe eſt.

Idem in coloribus,idem in materia ædificiorum conſtabit.

Idem

Idem in Symphonia,& cantibus,& in omni arte,atq; doctrina, & ſtructura rerum, quæ ſine dubio, artificio, & certa præmeditata fieri conuenit ratione,& ſcientia,non fortuitò nec temerè.

Et ex his intelligi, & percipi poteſt, quòd concurſio, & coaceruatio ſimilitudinum innumerabilium fortuitù iacta in medium, non poſſet ſine artificio,& prouiſione ſummi artificis, atq; numinis (qui rerum vniuerſarum eſt architectus, & opifex) effingere nobis tanti Principis imaginem,& ſimulachrum.

Quis eſt autem architectus Principum ? & maximè Regum ? & Monarcharum ? qui nullum fatentur ſe in terris ſuperiorem ? niſi Deus eſt ?

An non cor Regis in manu Dei eſt ? & quocunque volet, inclinabit illud ?

At quò tandem incitauit cor huius ſapientiſsimi, & pientiſsimi Cæſaris ?

Ad res videlicet diuinas contemplandas, ad ſolitudinem vitæ, ad ſyluarum latebras, & nemorum, ad abſtractionem mentis à rebus humanis,& mundanis,ad ſummam,& vitæ, & cogitationum, & actionum admirabilitatem apud cunctas gentes excitandam.

Itaq; flammantes illos,cœleſtes,& ęthereos,orbes,& quaſi oculos ad aſpectum vnius oculi,ſubita conuerſione,obſcuratos,& obtenebratos: eorumque noctu illuſtratas facies,& motiones: & omnium earum rerum,quæ ad cœli,& ad mundi vniuerſi cognitionem, & intelligentiam, & prudentiam, conducunt,& faciunt, ſingulari ſtudio condiſcebat,& perquirebat. Et ea inſtrumentis, ſphæricíſque figuris,& circulis,& orbibus,& radiationibus Solis, examinabat, & ponderabat: omnium rerum ſummum pictorem, nomenclatorem, fabrum,architectum,gubernatorem, dominum, Deum, tanto cultu, veneratione,pietate,colebat, vt res ſtupenda potius quàm credenda videatur.

Poteſt autem mundus ſic diffiniri, vt ſit cœli,& terræ,earumq; naturarum,quæ in eis continentur colligatio.

Eſt quoq; mundus appellatus,ordo,& diſtributio rerum omniũ, quæ à Deo,& per eundem Deum conſeruantur.

Et tertiò mundus ſic deſcribi poterit,vt ſit omnium rerum numeratarũ numerus. Siue numerus,& proportio res omnes numeratas complectens,cui numero,& proportioni Deus præeſt.

In hoc mundo eſt motus quid i, qui tempus vocari poteſt, quanquam tempus quantitas: motus actio ſit.

Res

Res autem numeratæ circulis deſcribuntur,& circulariter voluuntur,& deſinet eorum motus,cùm tempus deſinet.

Tempus itaq; eſt motus numeri ſignificatio: & ex tempore motus dignoſcitur: quod tempus ſi non eſſet finitum, nec motus finitus eſſet.

Motus octauæ ſphæræ ſepties ſeptem chiliadibus annorũ circumuoluitur,ſecundum Regem Alphonſum,& omnes Neotericos.

Horologium Caroli Maximi.

EIVS motus inſtrumentum æneum habebat Cæſar: quod Ianellus Turrianus Cremonenſis illi faberrimè ſeptennio confecit.

Habet illud inſtrumentum mille quingentas rotas:eſt bipedale.

Septem planetarum motus, & octauæ ſphæræ motum complectitur.

Eſt lamina ænea inaurata,octogona,concluſum inſtrumentum.

Interrogatus à me nuper Ianellus an ſepties ſeptẽ chiliadibus annorum exactis:motus octauæ ſphæræ ad principium ſuum reuerteretur:reſpondit Deo id ſe iudicandum relinquere. Calculum enim ſecundorum,& tertiorum,eſſe tàm immenſum,vt id numerari à ſolo Deo,propter eius numeri immenſitatem,& eorũ qui primò hos motus obſeruârunt vitæ breuitatem, poſsit.

Tellus hæc fœcunda apparet, quaſi omnium rerum noſtrarũ mater,& potentia.

Coêlum quod nos cernimus,actus eſſe videtur:qui in hanc potẽtiam,vim,poteſtatemque ſuam exerceat quaſi pater.

Et quemadmodum terra mater vocatur:ità omnium rerũ viſarũ, numeratarumq; materia: ex ea capitur,& proficiſcitur.

Et quemadmodum cœlum pater vocatus eſt:ità omnium rerum forma illînc petitur,& aufertur.

Extrema huius ſenſibilis mundi oculis noſtris videntur duo: firmamentum,& tellus.

Quid ſuperficies concaua firmamenti contineat, videmus: nempè ſtellas.

Quid ſuperficies concaua telluris contineat, videmus: nempè multorum animantium,& ſtirpium, & rerum ſenſibilium, vitas, & formatas materias.

Quid ſuperficies conuexa vtriuſq; contineat,Deus videt:qui temporis,motus,numeri,fons,vita,rector,dici poteſt. Illa enim conuexitas oculis noſtris haud ſubijcitur præſertim cœli.

Nam

Nam telluris conuexitatem, hoc eſt, antipodas noſtros in altero hęmiſpherio Heſperij viderunt, qui eò penetrârunt.

Ac ſi quis ad vtroſq; Polos nauiget: Arcticum, & Antarticum: inter quos terram eſſe mediam ratiocinantur veteres: is telluris axes duos cernens: (à quibus deducta linea recta, medium telluris centrũ tranſuerberat) is inquam conuexitatem ſphæricæ noſtræ telluris vndiquaq́ue cernet.

Immenſitas firmamenti, diſtantiaq́; eius à nobis tanta eſt: vt tellus noſtra inſtar puncti appareat, his qui ſunt in firmamento poſiti.

Et cùm contrariorum eadem ſit diſciplina: etſi corpora ſtellarum magna ſunt, ſtellas nobis quaſi puncta: & paruos globulos cœlo inſertos: apparere conuenit.

Sol vndiquaq; viſus, in hoc aſpectabili, & ſenſibili mundo, ſemper medius apparet.

Habet enim Saturnum, Iouem, Martem, ſuprà ſe.

Habet Venerem, Mercurium, Lunam, ſub ſe.

Habet rurſus duo extrema nobis ſenſibilia: tellurem, videlicet infimam, & firmamentum, ſupremam ſuperficiem, ſecundum veteres.

Alij ſolum firmamentum pro Solis ſuperficie extima ponunt.

Quidquid ſit inter Europæos, & firmamentum Sol medius omnia colluſtrat, quod alijs item contingere credi par eſt.

Omnium circulorum vnum eſt centrum: hoc centrum reſpicientes circuli, concentrici, non reſpicientes, excentrici, dicuntur.

Ex quatuor elementis tria videmus, terram infimam, & grauiſſimam: aquam altiorem, & leuiorem: aërem altiſsimum, & leuiſſimum.

Ignis elementum vbi ſit non videmus.

Vocantur elementa, quia ſunt corpora ſimplicia, ex quibus ſemina rerum ducuntur.

Tripartita poteſt eſſe diuiſio vniuerſitatis, quæ eſt in hoc ſenſibili mundo: vt vna pars ſit elementorum: altera pars ſit planetarum: tertia pars ſit ſtellarum. Medium circulorum occupant Planetæ: duo extrema, ſiue duas extremitates, occupant elementa, & ſtellæ.

Infrà cœlum ſtellatum, quod firmamentum vocauimus, & meritò: omnia enim in eo firmata, & concluſa apparent: eſt circulus Saturni Planetæ: qui vt maximus ità eſt tardiſsimus.

Infrà Saturnum eſt Iouis circulus Saturno minor, & eo celerius con-

conuertitur.

Infrà Iouem, eſt Martis circulus, Ioue minor, & celerius Ioue conuertitur.

Poſt Iouem eſt Sol, qui nobis æſtum, lucem, vitamq; multarum rerum ſuppeditat.

Infrà Solem eſt Veneris circulus, multò minor Martis circulo, celeriuſq; conuerſus.

Infrà Venerem eſt Mercurij circulus, Veneris circulo minor, celeriuſq; conuerſus.

Infrà Mercurium eſt Lunæ circulus, Mercurij circulo minor, celeriuſq; conuerſus.

Hos circulos, plæriq; cœlos vocant, ſed vnicum firmamentum multis ſemper viſum eſt eſſe cœlum.

Ignis calida, & ſicca natura, & calefaciendi, & deſiccandi, organo, & inſtrumento præditus eſt.

Aër caloris, & lucis capace natura fulcitur: in quo creſcunt nubes: & pluuiæ generantur: quæ cum impetu in terram cadentes. vento agitantur: ac nunc hùc, nunc illùc feruntur. Niues, grandine in hoc aëre gignuntur: tempeſtates, furoreſque ventorum: fulgura, & tonitrua illinc audiuntur, videntur, & veniunt. Illinc pugnæ, & repercuſsiones aëreæ tàm innumerabiles progrediuntur: in illo aëre ſe oſtendunt, (vt quidam volunt) Cometæ: & mille varietates ignium, per vapores in eo accenſos, illuminatæ: & in aëre faces volitare cernuntur.

Infrà aërem aqua, ac tellus cernitur: & aquam terra altiorem tumultus Oceani oſtendit: qui ſemper tumidior, altiorque tellure apparet nauigantibus, & leuitas aquæ, illam altiorem eſſe terra declarat.

Pari enim terræ, & aquæ quantitate ſumpta: & appenſa in ſtatera: terra grauior: & aqua leuior fuiſſe noſcetur.

Et quemadmodum aqua tellure leuior eſt: ità illa magis à Sole in altum attrahitur: & euaporatur ex mari, & tellure, quàm terra.

Aqua frigida eſt, & humida: terra frigida, & ſicca.

Cùm Soli hæc duo frigora perpendiculariter obijciuntur: maris inquam, & telluris corpora: tùm maximè incaleſcunt: & ab illo remota perpendiculariter, frigeſcunt. Id autem meridiè, & media nocte euenire nemini dubium eſt.

Calor vitæ amicus: frigus vitæ hoſtis eſt. Mora caloris magna, maiorem æſtum facit. Mora frigoris magna, maiorem algorem reddit.

S Neq;

Neque cuiquam mirum videri debet, quòd cùm ex principijs contrarijs, & inimicis hæc machina orbis noſtri conſtata ſit, humido, & ſicco: frigido, & calido: graui, & leui: forma, & materia: actu, & potentia: generatione, & corruptione; ſubſtantia, & accidentibus: non ſit natura rerum iampridem diſſoluta.

Quemadmodum enim in ciuitatibus, populorum qualitates contrariæ, non faciunt perire ciuitates: alij enim ſunt iuuenes, alij ſenes: quorum natura in diuerſum fertur. Alij diuites, alij pauperes: quorum opera ſunt contraria. Alij ſani, alij ægri quorum munera ſunt diſtincta. Alij boni, alij mali: quorum diſpar eſt conditio. Alij prudentes, alij ſtulti: quorum diſsimiles ſunt cogitationes. Alij longi, craſsi, pulchri: alij breues macilenti deformes: quorum formæ ſunt diſpariles. Alij denique, & ſeptimò ſunt mares aliæ fœminæ: quorum vnus vi expultrice, altera receptrice vtitur: ille gignendi hæc generandi officio fungitur. vna dandi, altera accipiendi munere, & poteſtate fruitur: quæ ſunt inter ſe contraria, ſicut actio, & paſsio (Omne enim agens, in ſubiecto operatur benè diſpoſito, extra ſe, non autem in ſemetipſum: actio enim & paſsio ſecundum qualitates ſuas nón poſſunt eſſe in eodem ſubiecto) Et tamen iſta rerum, & naturarum, & qualitatum, & proportionum, & ætatum, & fortunarum, & operationum, diſcordia non labefactat concordiam ciuitatum: ſi adſit iuris, & iuſticiæ æqualitas: quæ diſtribuendo, & diſpartiendo vnicuique id quod ad eum ſpectat: præmio, & pœna continet ciuilem hominum ſocietátem.

Ità eſt in elementorum, & principiorum iſtorum naturis, cauſis, efficiéntibuſque, diſparibus, & contrarijs: vt addito diuino temperamento, ex pluribus ſimplicibus, vnum efficiatur mixtum: ex rebus diſsimilibus vnum ſimile: ex multis cauſis vnũ producat Deus effectum: in quo natura, & proprietas, & indoles rerum à Deo creatarum detinetur.

Videtur autem iſta natura rerum, contrariorum, & viciſsitudinum, & diſparium, varietate, & pugna delectari.

Videatur ars muſica, quæ humanum, & ingenuum animum quàm maximè delectat: vt non ſit mirum, ſi Dauide Cytharam pulſante, ſpiritus malignus à Saule, (permiſſu Dei) diſceſſerit: Nónne in hac arte muſica próportiones ſunt grauium, & acutorum tonorum: longarum, & breuium notarum: ac illorum ex-

mixtura

mixtura,vna harmonia,& concentus delectabilis coaleſcit?& in humanis auribus perficitur?cuius voluptas tanta eſt,vt aues,& piſces,& feræ,illo cantu audito,ſubſiſtant,& exhilarentur.

Nónne in picturis idem euenit,vt ex nigro,alboq;,rubro,& viridi,flauo,& cæruleo,& mineato colore,omnes res, præſtans pictor delineet: & quomodò delineat?nónne ità ſtilo,& penicillo ſuo contrarijs coloribus nunc ſeparatim, nunc ſimul, & identidem indito, pulcherrimas rerum numeratarum imagines,& formas nobis repręſentat?vt nihil præter animam viuentem picturis illis deeſſe ad motum,perfectionemq; ſuam videatur.

Quid in plaſtice? nónne addendo, & detrahendo: ſuſtollendo, & deprimendo:plaſticæ ars perficitur? & hinc fuſoriæ pulcherrimæ Romanorum,& Græcorum ſtatuæ natæ ſunt?

Quid in arte ſtatuaria, quæ omnium harum artium manuariarum pulcherrima,maximoq; honore digna eſt: Nónne ex marmore per ſcalpellum excauato,& lima elimato, & expolito, pulcherrimas marmoreas veterum ſtatuas factas,& in maximo precio habitas fuiſſe animaduertimus?

Statua Caroli Maximi.

NONNE ſtatuam Caroli Maximi à capite ad calcem nudi, ad viuã effigiem Cæſaris noſtri viuentis à Leone Aretino expreſſam,vbi furorem cathenis illigatum domabat, meis oculis vidi? quomodò autem furor ille,os aperiens intima gutturis arcana aperit? quomodo ad pedes Cæſaris Maximi iacens ſuper arma impius ſeſe erigit:Maximumq; ſuſpicit?

Ipſe verò Cęſar vt colli,vt brachiorum,fæmorum,tibiarum,muſculos nudatos pulchrè tendit?

Vt caput, pedeſque paruos, manus quaſi longiores, latioreſque pandit?

Quàm tumentes mamillas? quàm ſubactum ventrem ? quàm rotundum,& neruoſum, & compactum dorſum ? quàm graciles ſuras?quàm ſucculentum fœmur?quàm aquilinum naſum? quàm paruas auriculas? quàm latam frontem ? quàm tumidiuſculas malas ? quàm ornatum capillum tonſum ? quàm barbam rotundatam ? quàm pios oculos furori , vultumque clementem oſtendit?

Quid rurſus hic idem, Cæſar nudus, armis ſuis indutus? quomodò caſsidem, thoracem, tibialia, manubria omnia ænea oſtentat? placido tamen ſemper, & ſereno vultu, non turbido, nec turbulento? & in bello ſemper pacis amico?

Statua Iſabelæ Caroli Maximi vxoris vnicæ.

QVID Iſabelæ Luſitanicæ coniugis eius ſuauiſsimæ, atq; omnium ſui temporis Reginarum, & illuſtrium fœminarum pulcherrimę ſtatua ænea? Nónne veſtitu, ornatuq; Luſitanico ſaberrimè, artificioſiſsimeq́ue efformata, & effigiata, & fuſa, ab eodem Leone apparet?

Statua Philippi iuſti Caroli Maximi filij.

NONNE idem in ænea vna, & altera marmorea Philippi Iuſti, Cæſaris filij, ſtatua aſſecutus eſt?

Nónne & in Maria Pannonum Regina, viuaciſsimum vultum, & ornatiſsimæ matronæ veſtitum Germanicum, idem Leo ænea ſtatua fuſa viuaciter expreſsit?

Ac haud demirandum ſi & has integras, & alias ſemicæſaris, & ſemiregis (erant enim corpora dimidiata alia) ſtatuas Ferdinandus Gonzaga illuſtris veſtri ordinis, & clariſsimus Eques tantoperè, cum formoſiſsima filia Hyppolita laudauit, Cæſarique commendauit.

Magnam enim Leo hic famam, magnam laudem, magnam nominis, & artis ſuæ præſtantiſsimæ celebritatem, cum filio Pompeio conſecutus eſt.

Inſcriptio ſtatuæ Caroli Maximi.

SCVLPSIT Alexandrum Leucippus: pinxit Apelles:
Maximum at hunc fudit maior vtroque Leo.

Quid

Quid in doctrina literarum? nónne aliæ vocales ſimplices elementares? aliæ conſonantes vocalibus ſociatæ ſunt? & ex eiſdem conſonantibus aliæ mutæ, aliæ liquidæ ſunt? nónne ipſarum ſyllabarum aliæ longæ? aliæ breues? aliæ acutæ? aliæ graues? aliæ circumflexum habent accentum? & ex his omnis oratoria, & poëtica, numeris, temporibuſque conſtantes, artes pulcherrimæ prodierunt?

Atque ſi ars naturam æmulata, hanc rerum concordiam, ex rebus contrarijs, & pugnantibus repperit: quid Deus naturæ? an non mundum hunc ſic ex diuerſis, & diſparibus, & hoſtilibus naturis, & qualitatibus, & ſubſtantijs efformauit, & effinxit: vt ſumma in omnibus rebus numeratis ſit numerorum, proportionumque concordia? Elementa enim ſuis finibus contenta oſtendunt maximam in omnibus rebus æqualitatem: illa æqualitas eſt parens amicitiæ, & concordiæ. Concordia mater eſt ſtabilitatis, & conſeruatrix mundi: mundus omnia in ſe complexus, omnium rerum genitorem, Deum colit. Deus quidem ipſe humana carne indutus: noſque mortales ipſe docens, & erudiens, viam ſalutis noſtrarum animarum, noſtrorumque corporum, prius pati, & mori, & reſuſcitari voluit, antequàm cœlum ſuum repeteret: vt nos paſſos, mortuos, reſuſcitatos, Regni ſui cœleſtis conſortes, tanquàm filios adoptiuos efficeret.

Neque enim alia ad cœlos gradiendi eſt via, quàm ea, quam ipſe cœli pater, & ſanctus Rex, cœlorumque Dominus, nobis oſtendit. Ille etenim eſcas nobis quotidiè largiens, noxaſque remittens ſub conditione, ſi nobis illata remittimus malefacta: neque nos pluribus malis affligens, quàm perpeti poſſumus: ſed à dæmonibus, vitijſq; flagitioſis per gratiam ſuam nos liberans: exemplo ſuo, nos docuit omnem modeſtiam, & patientiam.

Sed quare ſeptem Cometæ ſunt videndi, & non ſufficiunt Cæſari ſex Cometæ?

An ſeptimus ille Cometa perſonam Cæſaris intuens, eum ex hoc mundo ad cœlites, quibus ſociandus ſit, reuocabit?

Certè patris eius, multorumque maiorum eius ex Gallicorum, præſertim Regum ſanguine ſatorum mortes Cometa anteiuit: ſicut & ſeptem diebus lucens Iulij Cæſaris mortem Cometa denunciauit.

Legitur Apocalypſis ſexto capite, Expectate modicum donec

impleatur numerus fratrum veſtrorum.

Ac ob id recte dixit Iobus, conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei.

Illud autem tempus ex rota figuli, Dei viuentis, & ſempiterni pendet.

Legitur enim Hieremiæ decimo octauo, deſcendi in domum figuli: & eccè faciebat opus ſuper rotam: & diſsipatum eſt vas, quod faciebat de luto.

Et iterum Eccleſiaſtici trigeſimo octauo, Figulus ſedet ad opus ſuum conuertens pedibus rotam.

Et Danielis ſeptimo, rotæ eius ignis accenſus, fluuius igneus, rapiduſq; egrediebatur à facie eius.

Et Ezechielis decimo, ſume ignem de medio rotarum.

Et iterum apparuit rota vna ſuper terram.

Et iterum Ezechielis viceſimo ſexto, à ſonitu rotarum, & equorum mouebuntur muri tui.

Et rurſus in Pſalmis, vox tonitrui in rota.

Et rurſus Ezechielis primo, & decimo, rota quæ erat plena oculis, antè & retrò, & quæ ſequebatur animalia ſancta: & erat rota in medio rotæ.

Numerus certè iſte ſeptenarius, perfectiſsimus eſt (vt ſæpè attigi) ac in eo, perſpicuè, & manifeſtè ipſis etiam oculis, ſeptem in cœlo corpora diuerſa, moueri cernimus.

Sanctus quidem Auguſtinus, in libris de doctrina chriſtiana, nô it inficias, quin numerorum imperitia, multa faciat non intelligi: & putat ingenium ingenuum, & candidum, non poſſe non moueri certa numerorum obſeruatione ex Moſe, Helia, & Chriſto petita de numero Quadragenario. Et ipſe alio loco dicit ſeptenarium ſignificatorem eſſe ſpiritus ſancti.

Certè ſeptimo die manebant filij Iſraël in tabernaculis ſuis: neq; exibant ad colligendum manna, neq; operis quicquam ſeptimo die faciebant: Exodi decimo ſexto.

Seruus Hebræus anno ſeptimo libertatem nanciſcebatur: Exodi vigeſimo.

Et Apocalypſis quinto Ioannes inquit, vidi Agnum ſtantem tanquàm occiſum, habētem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſsi in omnem terram.

Et Heliſæus ſuper puerum mortuum ſepties inſpirâſſe legitur, 4. Reg. 4.

Et Ioannes Apocalypſim ſcribit ſeptem Eccleſijs Apocal.1.

Et in Pſal.118.ait Pſalmiſta,ſepties in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſticiæ tuæ.

Ac ex his,alijſq; colligit D. Gregorius in moralibus, ſeptenario numero interdum perfectionem æternitatis innui: vt cum die ſeptimo Deus requieuiſſe ab opere mundi dicitur, cui veſpera ineſſe non legitur:quià æternitatis requies nullo fine terminetur.

Nónne ager ſex annis aratro,aut ligonibus laceratus ſeptimo anno requieſcebat à labore agriculturæ ferendo?Exodi,21.

Et ſeptimo die, qui dies erat Sabbati opus facere vetitum erat, Exodi,23.

Et Eſaiæ vndecimo ait ſcriptura ſic: Egrediebatur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet,& requieſcet ſuper eũ ſpiritus Domini:ſpiritus ſapientiæ,& intellectus: ſpiritus conſilij, & fortitudinis:ſpiritus ſcientiæ,& pietatis,& replebit eum ſpiritus timoris Domini. Ex quibus ſeptem ſpiritibus collegerũt veteres patres,ſeptem chariſmata ſancti ſpiritus,numero ſeptenario: fuiſſe in vno ſpiritu ſancto compræhenſa,ac proindè illum ſignificare.

Ac myſticè in Zacharia deſignatur per lapidem vnum,in quo ſeptem ſunt oculi,Zacha.3.

Et commentator ordinarius explanans illud Hieremiæ 29. cum cœperint in Babylone impleri ſeptuaginta anni viſitabo eos: & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum:vt reducam vos ad locum iſtum:hanc myſticam aſsignat ſignificationem: tamdiu inquit in ſæculi confuſione verſamur, quandiu requiem ſeptenarij numeri mereamur accipere:& accepta pœnitentia Deus impleat,quod promiſit.

Multi inquit Chriſtus ſunt vocati:ſed pauci ſunt electi.

At in magnis Regibus quidem,& magnis viris hoc ferè euenit, vt ſi ſanctè,& piè viuant,magnam paritatem, & ſimilitudinem multis in numeratis rebus inter ſe habeant.

Sed præter cæteros iàm anteà commemoratos,hi duo Monarchę Europæi,hîc inter ſe collati,quàm ſunt omnibus modis pares?

Vterq; Gallus,vterq; Belga,& ad bella gerenda natus: vterq; Imperator orbis noſtri,vterq; Chriſtianus,vterq; chriſtianę fidei,& per ſuaſionis noſtræ vindex,& aſſertor, vterque propugnator diuinæ legis acerrimus.

Ille Landaui:hic Gandaui natus:ille Magnus vocatus: hic Maximus.

Et quare Maximus? quia non numero militum,& copiarum : nō magnitudine opum,& diuitiarum:(etſi magnas habuit) non claritate doctrinæ,& humanæ ſapientiæ:ſed maxima Dei benignitate,& gratia:maximas virtutes:& victorias eſt conſecutus.

Ac haud equidem ſcio,an ex omnibus eius humanis operibus illud ſit longè maximū,quòd talem nobis filium protulit, talem Regem,& Dominum in vita dedit.Illud enim in vita dare fuit planè diuinum:& in vita dare tàm multa Regna , & Imperia ſtatim poſsidenda fuit ab omni humana imbecillitate,ab omni humana auaricia,& planè ab omni humana paruitate abhorrens.

Hoc obiter hîc pro numeri ſeptenarij(in hoc Cæſare)perfectione conſummationeq́; eſt annotandum:quòd tempore Chriſti Domini noſtri vernum æquinoctium fuit anno biſextili, ſiue intercalari viceſima quarta Martij.

Tempore nati Caroli Maximi anno pariter biſextili,ſiue intercalari æquinoctium vernum fuit decima Martij.

Ac ſic contrà ſignorum ordinem, motus ille tardiſsimus nobis cognitus,mouetur.

Ità vt duas hebdomades dierum in æquinoctij perdiderimus calculo, à tempore Chriſti:ac vnam hebdomadem dierum perdiderimus à tempore Caroli Magni ad tempus Caroli Maximi.

Atq́; id ex vmbris animaduertere licuit. Æquinoctij enim tempore, extremitas ſtili rectam vmbræ lineam ſignat perenniter: quæ aliâs ſemper obliqua,ſiue arcuata,ab vmbra deſcribitur.

Et ſicut ſtili recta eſt in Sole vmbra:ità recta, & pulchrè dimenſa terræ eſt vmbra. Quæ in Libram,& Arietem ingrediente Sole, pares diei,noctiſq́; horas facit. Aliter ſe habet res cùm Sol in Cancro eſt:tùm enim longiſsimi ſunt noſtri dies. Aliter cùm Sol in Capricorno eſt:tùm enim longiſsimæ ſunt noſtræ noctes:dieſque breuiſsimi.

Quemadmodum autem in Paradiſo lignum vitæ poſitum,& interdictum, prohibitumq́; Adamo fuit protoplaſtæ, ne attingeret. Et quemadmodum Sol in medio cœli,ad meridiem, in perpendiculo, aut diametro, aut vertice capitis noſtri apparet:nec in eum tamen humanus oculus intendere,aut collimare poteſt:ſed acies noſtræ hebetantur,& conuertuntur.

Sic ſanè magnorum Monarcharum quorundam ſanctitas: & quaſi beatitas quædam certis artis,& diſciplinæ regulis,& theorematibus percipi nequit:ac ſoli id Deo iudicandum relinquitur.

Ca-

Carolus ſeptem literas continet.

Quintus ſeptem literas habet.

Auſtria cognomen ſeptem literas fert.

Flander à patria ſeptem literas complectitur.

Maximus à Pontifice Paulo illi datum cognomen ſeptem literas oſtendit.

Monarcha nomen illi ab Indicis populis publicè attributum ſeptem literas profert.

Gandaum locus natalicius ſeptem literas demonſtrat.

Neq; verò hæc aliter interpretentur à quopiam, atq; ego illa propono, videlicet vt prouidentiæ, & proportionum Dei obſeruationem in rebus maximis ſumma veneratione ſemper, nunquàm dedecore, nunquàm contemptu afficiamus.

Sed vndè iſta ſeptenarij numeri, in nomine, prænomine, cognomine, agnomine, patria, dignitate, loco natalicio, tàm perfecta, & ſancta conſpiratio? nónne Gonduni, ſiue Gōrduni, à Cæſare Iulio in commentarijs belli Gallici nominati, & huic Gandao ſemper attributi, ſeptem literas proferunt? ſic vt Gandaum: Auguſta Gondunorum: & Auguſta Belgarum, à plæriſq; vocetur. Et hic Auguſta? an non ſeptem literas continet?

Nónne Pytagoras qui cum Chaldæis, Perſis, Ægiptijs, diu verſatus fuerat, & numerorum, veteriſq; Philoſophiæ vim, rationemq; didicerat, ſæpè dicebat? qui numeros nôſſet, omnia nôſſe?

Ac imparibus numeris aiebat res diuinas, & ſacras, ſiue formas, & ideas quaſdam præſtantiſsimorum animorum contineri.

Neminem autem moueat, quòd hæc in latina, & Romana lingua ſic conueniant: quæ fortaſsis in alia: eam numerorum æqualitatem non ſeruent: ex eo enim hæc Romana lingua magni ab omnibus fit: quòd illa Monarchiam orbis tenente Chriſtus natus ſit. Ac omnia ſacramenta Eccleſiæ: omnes ritus, cæremoniæque: & præcepta legis, tàm veteris, quàm nouæ: illa in lingua nobis tradantur: ac ob id tanquàm res ſacra, & ſancta, à prophanis, & paganis (in re ſacra) linguis contaminari, nec verti debeat multorum iudicio ſapientum. Habet enim hæc lingua ſicut & Hebræa, energiam quandam, & efficaciam arcanam, quam ſoli illi admirantur, quibus Deus eam gratiam virtutemq; conceſsit.

Neq; enim omnibus omnia dedit, vt ex varietate donorum, & myſteriorum diuinorum magnitudo Dei ab omnibus eam colentibus celebretur.

Ac

Ac ipſe quidem, multiq́; priſci ſapientes, nullum tutius, certiuſq́; præſidium ad diuina, humanaq́; cognoſcenda arbitrati ſunt: quàm per numerorum anagogen: qua terris relictis, animi in ſublimem arduarum rerum commentationem, contemplationemq́; ſubuehantur: & certa numerorum obſeruatorum lege: Dei myſteria non humanitus, ſed piè, reuerenter, & diuinitus perſcrutentur.

Ait Boëtius Seuerinus, omnia quæcunq́; à primæua rerum natura conſtructa ſunt, numerorum videri ratione formata, hoc enim (inquit ille) fuit principale in animo conditoris exemplar.

Septies autem ſeptem characteres illi; nónne faciunt Quadraginta nouem? qui numerus eſt veſtri ampliſsimi Senatus Equitum?

Et motum octauæ ſphæræ apud Alphonſum Regem demonſtrauit: & apud hunc Cæſarem in Ianelli inſtrumento?

Legitur Leuitici viceſimo quinto: Numerabis quoq́; tibi ſeptem hebdomadas annorum: id eſt ſepties ſeptem, qui ſimul faciunt Quadraginta nouem: & clanges buccina menſe ſeptimo.

Et Lucæ tertio, cathalogum dominicæ generationis ſeptuaginta ſeptem generationibus terminauit Lucas: à Ioſeph incipiens: & vſq́; ad Deum ipſum Conditorem perueniens.

Præclarè ſemper beatus Auguſtinus de hoc numero ſenſit, exponens tres teſſaradecadas, id eſt, ter quatuordecim generationes: quas deducta Chriſti generatione, ab Abraham vſq́; ad Chriſtum: epilogo quodam conſtrinxit Apoſtolus, & Euangeliſta Mattheus, cap. 1.

Et quartadecima generatione à tranſmigratione Babylonis, aduentus Domini Saluatoris eluxit: vt Caſsiodorus in pſalmis annotauit.

Et decima quarta Luna primi menſis immolabatur iuſſu Dei, apud Iudæos agnus Paſchalis, qui præſignificauit oblationem Chriſti in cruce pro nobis futuram, Exodi, 12.

Et decima quarta die, iuſsi ſunt filij Iſrahel commedere ad veſperam azymos panes: & phaſe Domini, id eſt, tranſitum celebrare, qui ſignificat tranſitum in nobis factum à morte ad vitam: PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, qui ſimili decima quarta Luna paſſus eſt.

Duo quidem ſeptenarij, corpori, animæq́; abundè ſatisfacere videntur. Non enim anima ſola, ſed & corpus hominis, ſpiritus ſancti eſt receptaculum: ſicut ſcribit Paulus ad Corinthios ſexto: an neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti, qui

in

in vobis eſt, quem habetis à Deo: & non eſtis veſtri?

Nónne ſeptem ſunt opera miſericordiæ?

Nónne ſeptem dolores virginis matris numerantur?

Nónne ſeptem ſunt pſalmi Dauidici pœnitenciæ Chriſtianæ ab eccleſia contributi?

Nónne ſeptem ſunt ſacramenta eccleſiæ?

Nónne ſeptem ſunt dona ſpiritus ſancti?

Nónne ſeptem ſunt ſcelera mortifera, & peccata mortalia?

Nónne ſeptem fuerunt apud omnes gentes dies anni?

Et vt à rebus ſacris ad gentilium, & veterum Romanorum, Græcorumq; numeros veniamus.

Nónne ſeptem fuerunt ſapientes Græciæ?

Nónne ſeptem miracula orbis numerantur? Septem Danubij oſtia dicuntur? Et ſeptem ſunt oſtia Nili?

Septem colles vrbis Romanæ decantantur? Ipſaq; Roma ſepticollis appellatur?

Septem ſybillæ apud veteres numerabantur?

Septem artes liberales in ſcholis perdiſcuntur?

Septem planetæ à gentilibus omnibus conſtituuntur?

Atqui Planetis nomina falſiſsimorum Deorum indiderunt, inſtinctu dæmoniorum: quemadmodum, & ſignis multis cœleſtibus; quæ in nomina pietatis, & virtutis, & potentiæ, actioniſque Deificæ, conuerti oportebat: vt dæmoniorum nomenclatura omiſſa: virtutis prolectamenta, non vitiorum: in ore ſemper haberemus. & hæc non mea ſolius, ſed multorum veterum fuit ſententia. Sed veniamus ad res nobis viciniores.

Nónne in Belgio, vbi nunc Bauacum Hannoniæ eſt, ſeptem viæ militares à Romanis olim ordinatæ fuerunt, quæ ducerent ad ſeptẽ orbis plagas? & illis ſeptem vijs repertis (quas hodiè à lapideis vijs chauſæas vocant) omnes ſe vias reperiſſe, & conſtrauiſſe in Belgica Romani putabant?

An non eſt mos, & prouerbium Belgicæ, ſeptem Senatores vrbium, & municipiorum (quos illi & omnes Germani, Galliq; Scabinos vocant) ſummam vitæ, neciſq; in reos alicuius criminis poteſtatem: iudicando habere: ac quod ſeptem iudicârint: id firmum, ratumq; eſſe?

Quare ſeptem, & non nouem vſus recepit? an numerus iſte ſeptenarius ſic Deo, & hominibus ſemper placuit? propter ſummam quam hic numerus in ſe continet & rerum, & hominum, & iudicio-

rum,

rum,perfectionem?

Nonne ſunt ſeptem tempora in Eccleſia recepta, Deum quotidiè comprecandi?

Nonne in numero veſtrorum Equitum,quos Cæſar reliquit, & quos Philippus Rex in FORO CAROLI (quod Andouerpiam vocant) collocauit, ſeptem ſunt Reges? Anglus, Francus, Romanus, Polonus, Danus, Luſitanus, & Bohæmus præter Carolum, & Philippum,qui illic non vt Equites,ſed vt Equeſtris veſtri ordinis vertices,& capita collocantur?

Nónne ſeptem erant Auſtriæ Heroës eo tempore conſpicui,& viuentes,quo tempore vltimos conuentus Equitum Cæſar habuit? videlicet Carolus Maximus Cæſar, Ferdinandus Romanorũ Rex, Philippus Rex Hiſpaniæ, Maxæmilianus Rex Bohemiæ, Carolus Philippi filius Princeps Hiſpaniarum. Ferdinandus Archidux Auſtriæ,& Carolus Auſtriæ Archidux duo filij Ferdinandi Regis?

Cur nuſquàm nec plures,nec pauciores?

Quin verò cùm Cæſar Carolus Maximus ad cœlites migrauit (vti ſperamus,& piè credimus), nónne ſumma laude dignũ, optimiſque artibus,& virtutibus excultum filium ſuum Ioannem, quem poſt vxoris mortem habuit,mundo oſtendit? Et quanquàm illum ſummè ſemper dilexit,nullam tamen ei nec publicè,nec priuatim amoris ſui ſignificationem dedit? Sed antequàm vltimum fati diem obiret,ſumma virtutis exhortatione eum conſolatus eſt?

An non Numiſma huius Cæſaris Maximi,in tanta copia,ex Hiſpanijs,mari in Belgicam perlatum,quod regale appellant: lege Carolina lata, ſeptem groſſos Belgicos continet? nónne duplicatum, ſeptem aſſes reddit? triplicatum,ter ſeptem groſſos ædit? quadruplicatum, bis ſeptem aſſes exponit? ſextuplicatum,ter ſeptem aſſes? octuplicatum,quater ſeptenos aſſes Belgicos Carolinos appendit? Nónne hic Philippus Iuſtus patrem imitatus, Philippicũ Dalerum argenteum decuplis ex Regalibus componit: ac quinquies ſeptenos aſſes noſtros repræſentat? qui faciunt ſeptuaginta groſſos Carolinos ſiue Belgicos? Et duo Philippici, nónne ſeptuaginta dant aſſes?

Si vnum Numiſma regale Carolinum argenteum efficere hęc poteſt,quid faceret aureum? Imò verò Carolinus aureus,argenteuſq; nónne ter ſeptem aſſes dant? nónne Regale Carolinum aureum numiſma ſeptem decadibus aſsium nunc æſtimatur: cùm Cæſar diſcederet,& cùm decederet?

Certè numerus ſeptenarius & in numiſmate laudandus erit.

Eſt

eſt enim hic numerus omnium numerorum perfectiſsimus: continet enim in ſe quadrangulum, & triangulum, æquilaterum, & perfectum: quaternarium, & ternarium: quadratum, & tripartiens, & eſt hîc proportio ſeptupla, & forma heptagona, qua circuli circumferentia, optimè ad æquales angulos reducitur. Et illo numiſmate conſpecto, Belgæ poſtremo bello Gallico, multum gauiſi fuere: multumque vel ea de cauſa, multi Hiſpanos chariores habere cœperunt, quos rebus Belgicis, ſic pecunia, & legionibus ſuis, opem ferre agnoſcerent.

Nónne ſeptem nationum populis Cæſar in bellis ſuis potiſsimum vſus eſt? Germanis, Hiſpanis, Italis, Belgis, Britannis, Hungaris, Bohæmis?

Corona Caroli Maximi.

AC VT propius ad perſonam Cæſaris accedamus, nónne Corona eius Imperatoria tota aurea, & gemmea ſeptem pinnas acumi natas: & ſeptem flores in limbo ſuo continet: quibus ſeptem pinnis, arcus ſuperius implicitus eſt, quaſi arcus cœleſtis?

Gladius Caroli Maximi.

NONNE gladius eius Imperatorius totus aureus, & gemmatus, ſeptem Cæſaris quaterniones manuum longus eſt? ſinguli autem quaterniones latiſsimè extentum pollicem, & auricularem digitum complectebantur.

Veſtes Caroli Maximi.

NONNE Cæſar more Imperatorio veſtitus, ſeptem generibus veſtium induitur: & ego illum plærumque indutum vidi? chlamide ſerici purpurei (quam robettam rubri cramoſini vocant) primò: hînc induſio lineo albo, quali vtuntur Preſbyteri (quam amitam vocant) ſecundò: hînc ſtola in collo, & manipulo in ſiniſtro brachio, tertiò: Nónne quartò duabus tunicis aureis, quaſi ſubdiaconus, & diaconus: Nónne quintò paludamento aureo (quam cappam vocant, eſtque talis, quali Preſbyteri, qui ſacra ſolemnia fecerunt, in veſperis vtuntur) habente in dorſo aquilam nigram, maximam, bicipitem, alis expanſis: ſextò: ſandalijs rubris, ſericis, purpureis

(quæ cramoſina vocant)ſuntq́; inſtar ocrearum genu tenus longa: Septimò chirothecis fili aurei, & ſerici rubri. Quæ ſeptem genera veſtium, margaritis, ſmaragdis, diamantibus, rubinis, vnionibus, hyacintis, balæſijs, veſtita, & intertexta ſunt: quod non dicerem, niſi illa vidiſſem. Cæſar inueſtiens Philippum Ducem Pomeraniæ, & Stetiniæ, de certis Principatibus, & Dynaſtijs ſuis, ſeptem Electoribus præſentibus, eorumuè vicarijs: & alio ſceptrum, alio gladium, alio mundum præferente, hoc genere veſtitus, fuit indutus: ac circum theatrum eius, multa ſigna militaria ter circumlata à viris Equeſtribus plus minus ſeptuaginta, aut octoginta, in vulgus circumſtans, proiecta fuerunt: ac magnis Germaniæ Principibus ipſis in pedes ter prolapſis, & pro eo Cæſaris culmen implorantibus, tandem maxima ſolemnitate, & pompa, in publico theatro, à maieſtate auguſta, fuit ſuis feudis inueſtitus. Eaque ſolemnitas veſtitus, ſæpius à Cæſare vſurpata fuit.

Hæc vt acciderunt, à me narrantur omnia.

Etenim aliquid de meo affingere, aut res per capillos trahere: & in aliquem abſurdum ſenſum, & numerum contorquere, & à pietate Cæſaris: & à pudore meo alienum eſt.

Menſura Caroli Maximi.

NONNE ipſa perſona Caroli Maximi ter ſeptem ſuos palmos longa fuit?

Tribus autem palmis, vnum pedem metiebatur, ità vt perſona Cæſaris, ſeptem pedes, ex ter ſeptem palmis ſuis confecerit.

Quæ menſura rurſus perfecta fuit, ad eamq́; rem Pompeium Leontis Aretini filiũ, iuuenem menſuræ Cæſareæ, & totius artis ſculptoriæ, & ſtatuariæ peritiſsimum, teſtem citabo, qui mecum harum menſurarum inijt rationem, præſente Leonte patre eius, Cæſaris ſtatuario.

Singuli autem palmi, quatuor pollices continebant, & pes vnus pollices Cæſaris duodecim.

Caput ætate Cæſaris florida, quater ſeptenos pollices Cæſaris rotundum erat, in ambitu circuli, à fronte trans oculos, ad ſinciput ductũ, & cum fronte vniti.

Cũ menſuræ ciuitatũ paſsim ſint diuerſæ, ſicut & põdera, & calculus annorũ (quos tres errores aiebãt olim, hũc Cęſarẽ voluiſſe è Rep. tolle-

tollere)& ſicut Romanæ, Græcæq; dimenſiones multis de cauſis incertæ, malui Cæſarem Maximum ſuis manibus, palmis, pollicibus, pedibus metiri, quàm alienis: idq; ne ægrè feratis vos rogo. Sic enim Cæſar, viri non craſsi, nec macri, ſeptem pedes, hoc eſt, ſepties duodecim pollices longus fuiſſe reperietur.

Mundus qui græcè coſmos dicitur, quàm eſt longus, tàm eſt latus: & homo qui à Philoſophis microcoſmos dictus eſt, quaſi paruus mundus, quàm eſt latus, tàm eſt longus.

Ac homo quidẽ cùm longiſsimus eſt, ſeptem ſuos pedes eſt longus, nec eam menſuram excedit, niſi ſit monſtroſus, & notabiliter malè ſignatus, qualis Cæſar haud fuit. Certè omnibus mortuis, ſeptem pedalis ciſta ſufficit ad ſepulchrum.

Cæſar ad dextrum, ſiniſtrumq; oculum, ſeptem lineas notabat, cũ Regna deponeret: & quòt decades annorum habebat, tot media in fronte rugas notabat.

Vultu tàm erat albicante, non pallido, ſed candido Cæſar, cùm ſe Regno Hiſpaniæ abdicabat, vt inter niuem candidiſsimam, & candorem vultus, barbæ, capilli eius nihil intereſſet.

Mater eius Regina Ioãna tordeſillis, in die veneris ſancta, in Hiſpanijs, diem ſuum clauſit extremum: digna certè quæ ſancto die expiraret, quæ tàm ſanctum, & pium Cæſarem genuiſſet.

Et mater quidem eius ſepties ſeptẽ annis, hoc eſt, nouem & quadraginta annis, vidua remanſit, ſeptuaginta annis vixit.

Pater Cæſaris Philippus Rex quatuor ſeptenarios annorum, cùm moreretur, vixerat.

Cæſar cùm in Hiſpanias claſſe per Oceanum Britannicum, cum Leonora, & Maria ſororibus Reginis, proficiſceretur, octo ſeptenarios annorum conficiebat: ac bis tantum, quantum pater vixerat, vixit.

Cæſar hoc tempore benè dormiebat, comedebat, concoquebat: ſed ipſe ſe ad ritè moriendum in tranquilla Hiſpaniæ ſolitudine comparabat, vt hoc voto, & expectatione ſua, ſemel tandem ex animi ſententia frueretur, ſæpè à Deo petijt. Nihil enim vnquàm magis diſcupiuit, etiam in florente ætate, quàm vt tranquillè, & chriſtianè ab omnibus curis, & Regnis, vacuus mori poſſet: ſæpius illud Paulinũ ingeminans, EGO CVPIO DISSOLVI, ET ESSE CVM CHRISTO: ſed neminem rectius mori, niſi qui diu anteà mori didiciſſet, & ad mortem tanquàm ad certum agonem ſe in ſolitudine animi ſui præparâſſet, apparâſſetq;, aiebat.

Podagræ, aſthmatis, hemoroidum dolores, Cæſareum corpus valdè debilitârunt, & Reipublicæ curæ, quæ animum eius non mediocriter anxerunt.

Qui preces manu ſcriptas Cæſaris videat, quomodò Deo Opt. Max. & ſe, & Rempublicam ſemper commendârit, haud ignorabit.

Ad nouum orbem ſuum inſpiciendum, & ad nauigationem Solymorum, quæ diuerſiſsimæ inter ſe ſunt profectiones, iampridem animum adiecerat.

Si quid vſquam à me erratum eſt, id vt admoneâtis, corrigatiſque vos viri illuſtres, obſecro, obteſtor, oro: errare, labi, falli, humanum eſt: ſed in erroribus ſordeſcere, non iàm hominis, ſed Cacodæmonis officium eſt.

Pictura illa Michaëlis pictoris præſtantiſsimi (tanti à Cæſare empta) quæ Chriſtum, crucem ſibi baiulantem, lachrymabiliter repræſentat, ſeptẽ vultus humanos continebat: quod eò dico, quia nulla alia pictura Cęſar in cubiculo ſuo ſub, finẽ regni, magis delectabatur.

Et ſeptimo die, Cęſar magnarum plęrumq; vrbiũ itinera cõfecit.

Et ſeptimo die, ferè ſemper, etiam in bellis conquieuit.

Et menſe ſeptimo à morte Maxæmiliani Cæſaris: & menſis ſeptimi, die ſeptima: Carolus eſt à ſeptẽ viris Electoribus appellatus Imperator, Francoforti, die decima nona Iulij, cùm duodecima Ianuarij, Velſij in Auſtriaco oppido Maxęmilianus anteà mortuus fuiſſet: eratq; in Hiſpanijs (vt alibi dixi) tunc Carolus.

Et à principio Zodiaci metiendo: nónne ſeptimum ſignũ æquinoctium autumnale? & illinc reuertendo, nónne rurſus ſeptimum ſignum æquinoctium vernum eſſe demonſtrat?

Ac iterùm à Cancro progrediendo, nónne ſeptimũ ſignũ, ſolſtitium hibernum? & ab illo ſolſtitio reuertendo, nónne ſeptimum in Zodiaco ſignum ſolſtitium æſtiuum eſſe declarat?

Nónne ſeptem in celeberrima Brugenſi vrbe ſunt portæ? quæ Philippi Regis patria fuit, qui huius Cæſaris noſtri pater erat?

Septem parœchiæ ſunt?

Septem viæ militares?

Septem turrium domus nominatiſsima eſt Queſnoij toparchæ?

Septem ſunt angiportus, quas plazas vocant?

Septem ſunt Curiæ mercatorum, vbi comitia ſua calata: habent ſeptem nationes, & habuerũt multis ſæculis, quas logeas plærumq; vocant: Florentina, Genuenſis, Oſterlinga, Hiſpanica, Viſcaina, Anglica, Scotica?

Nónne

Nónne ſeptem ſunt illuſtriores pontes lapidei, vno quaſi tractu & ſpiritu ducti ex foſsili lapide, cæruleo quadrato, maximo, grauiſsimoque, operoſiſsimè facti? & ab illis ſeptem, ſeptuaginta alij exurgunt pontes? ſic vt Brugæ analogicôs (interpretando teutonica latinè) rectè pontes appellentur: amęna, locuples, ampla, ſplendida, magnifica, generoſa, nobilis ciuitas cuius Burgus caſtri Romani veteris ſpecimen, figuramque exprimit, ac illo in Burgo ſeptem diuerſę exerceri ſolent iuriſdictiones. Et ſeptem ſunt Conſiliarij vrbis, quos Penſionarios vocant. Cur hic numerus ſeptenarius toties concurrit, & recurrit? an non ſunt ſeptingenta alia ſimilia, vndiq; magna animaduerſione, & admiratione digna in numero ſeptenario, quæ reliqui numeri non habent?

Hieremiæ cap. 25. legitur quòd ſeptuaginta annos captiuus fuit populus Iſraëliticus in Babylone.

Et Eſdræ 1. legitur quòd illis ſeptuaginta annis expletis: populus Domini, libertate donatus rediȷt in Hieruſalem: & inſtaurauit templum prius dirutum, & exuſtum.

Et numeri 21. legitur quòd Moſes iubente Deo ſeptuaginta elegit quibus Deus ſpiritum infundebat.

Et numeri 23. fit mentio de ſeptuaginta palmis.

Et legitur alibi quòd ab Eleazaro ſummo ſacerdote Iudæorum, ad Ptolemæum Regem Ægypti miſsi fuerunt ſeptuaginta interpretes, qui legem Hebraicam, & vetus teſtamentum, de Hebræo in Græcum transferrent ſermonem, Regi id impenſius expoſcenti, & quanquàm fortaſsis (vnus, aut alter) plures fuiſſent, (quæ quorundam opinio eſt) tamen propter numeri ſeptenarij (ſeptem decadibus compræhenſi) perfectionem, ſeptuaginta interpretes paſsim: & ab ipſo diuo Hieronymo vocantur: quod enim parum diſtat apud ſcriptores ſacros, nihil diſtare videtur: & de modico apud Iuriſconſultos non curat Prætor.

Et Geneſis 4. ſcribitur, quòd de peccato Lamech, vltio ſumenda ſit ſeptuagies ſepties.

Et in nouo inſtrumento legitur de ſeptem malignis ſpiritibus: & alibi, quòd ſeptem ſpiritus acceperat nequiores ſe.

Eſt igitur hic ſeptenarius numerus vbiq; voluntatis, & operationis diuinæ, pleniſsimus index, ac teſtis.

Legitur enim Danielis 10. In diebus illis ego Daniel lugebã trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi: & caró & vinũ nõ introierũt in os meũ: & iterùm ibidẽ. Princeps autẽ Regni

Perſarum reſtitit mihi vno & viginti diebus: & ecce Michaël vnus de Principibus primis, venit in adiutorium meum. Tres autem heb domades dierum faciunt dies xxi. ternario in ſeptenarium ducto: ac ternarius quidem ſanctæ trinitatis fidem, illiuſq; myſterium continet: ſeptenarius autem ſeptipotentem ſpiritum, & ſepteno chariſmatum dono munificum.

Nónne ſeptem vrbes certârunt de patria Homeri?

Nónne prouerbio Belgico dicitur, tantam inopiam virorum fore, vt ſeptem mulieres, pro vno viro habendo, ſint depræliaturæ?

Quomodò autem hi numeri in cœleſtibus rotis, & cœleſtes rotæ omnes in cœleſtium orbium conuerſione moueantur, haud ſatis conſtare mortalibus opinor: ac id ſolum immortali Deo cognitum eſſe arbitror: niſi quantum coniecturis, & certis quibuſdam dimenſionibus, & ſignis permanentibus: indagando, & perſcrutando, adipiſci, & adinuenire, aut potius ſuſpicari poſſumus.

Sunt enim & in terra ignes quidam: qui occulta quadam vi naturę, exardeſcunt nonnunquàm, vt Æthnam in Scicilia, & circa Puteolos, & Baias, & Scarperiam in Italia: & Vlyſſiponæ in Hiſpanijs: & ad Heclam montem in Iſlandia: & tribus alijs locis in Aſia, Africa, & nouo Carolino orbe: noſtra videre tempeſtate contigit.

Et aquæ nonnunquàm calidæ, ſiue thermæ ſubitò exiſtunt: & tùm auri, argentiq; fodinæ: tùm ærariæ: tùm gemmariæ: tùm lapidicinæ: quo fit, vt ſi telluris vim omnem arcanam, quam oculis videre, digitis contrectare, naribus odorari, corpore ſentire, palato guſtare, auribus audire, pedibus perambulare poſſumus, notam nô habeamus: difficilius ea quæ in æthere agantur, percipi poſſe, aut diuinari palam ſit.

Quanquàm verò bitumen, & ſulphur thermarum plærumque nouarum, recluſis meatibus cauſa ſit: attamen quomodò iſti meatus ſubterranei nunc ſuffocentur, & intercludantur: nunc aperiantur, & ebulliant, ignoramus.

Motus enim aliquis in his terræ viſceribus eſſe debet, & prouidentiæ Dei ordo: qui conturbationes, & mutationes has cieat: eumq; à mari proficiſci quidam exiſtimant: fibris, venisq; telluris, ad mare, aëra, ignes, penetrantibus. Ac ignis quidem multorum motuum eſt cauſa, quos omnes attollit.

Terra enim ignibus excocta, fit aqua: aqua ignibus excocta, fit fumus, ſiue aër.

Aër ignibus excoctus, fit igneus: & hinc quinta, & ſexta, & ſeptima

ma (plæriſq; ignota) eſſentia.

Ignis denſatus fit aër: aër denſatus fit aqua: aqua denſata fit terra: & hinc arborum, animantium, & hominum eſſentia.

Quemadmodum autem ignis ſuſtollit in altum: ità terra ad ſe attrahit in imum.

Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuertêris.

Memento anima quia diuina es, & ad Deum iudicem tuum reuertêris.

Mementote vterq;, quia in die iudicij, vterq; reſurgetis.

Quanta autem ſit noſtri corporis infirmitas, ex duobus extremis & medio liquet.

Naſcimur in mœrore: viuimus in labore: morimur in dolore.

Terram autem eſſe mobilem, multi veteres putauerunt.

Vniuerſum, infinitum: alij finitum putauerunt Philoſophi.

Qui finitum, & certis finibus mundum vniuerſum circumſcriptum ſenſerunt: aiebant alij terram eſſe mundi centrum. In qua opinione fuerunt Anaximander, Anaxagoras, Empedocles, Plato.

Alij ignem, & non terram in medio mundi poſuerunt: ac tellurem eſſe ſtellæ inſtar, quæ circulariter circum ignem illum giratur (qui ignis multis videtur Sol).

Atq; huic aliam terram opponebant, quam antichtonam vocabant, tanquàm contrà poſitam: ac in ea opinione ſunt Pytagorici.

Mobilitatem terræ ex ſingulis eius partibus, quæ mobiles, ſeparabileſq; ſunt: ex maris Oceani motu perenni: ex Inſulis à continente reuulſis, & abſtractis: ex multis terręmotibus violentiſsimis colligunt: argumentum ſumentes à parte ad totum: & quod eadem ſit ratio, & natura, & ordo partis ad partem, quæ eſt totius ad totum: Et quòd ignis, aër, aqua, cœlum, & Planetæ cuncti moueantur. Et quòd ille motus (cùm ſit illi à natura datus) non poſsit, aut debeat dici violentus: ità vt propterea, machina ipſa cum tempore, & numero annorum, diſſolui poſſet: ſed naturalis, & tàm diuturnus, quàm Deo placuerit, eum talem eſſe.

Sumunt autem exemplum à naui vento ſecundo eunte. Si enim arbores, campoſq;, & cœlum, reſpicimus è naui: terra, cœlumq́ue moueri videtur: & ità terra, & terreni homines in tellure, veluti in naui vecti: Solem moueri credunt: cùm ipſi magis moueantur, vento, & motu, ſecundo, & naturali.

Cùm autem nihil videant in rebus humanis immobile: omni-

bus & in partibus, & in toto, ſe mouentibus: cur terra ſit immobilis neſciunt diuinare.

Neq; enim quia centrum eſſet, immobilis ob id eſſe deberet: ſphæra enim tota mota, & centrum eius moueri conuenit, vt ipſi aiunt.

Etſi terra minor aqua, aëre, ignibus, & cœlo, & corporibus cœleſtibus, eſt: quæ ratio facit res maximas, maximaſq; ſubſtantias corporeas, moueri? minimas, & centra, ſiue (vt vocant) puncta nō moueri? an centra, quæ in cœlo videmus, non moueri fatentur? Quæ eſt igitur diſsimilitudo centri ad centrum? quæ diſparitas? quæ naturarum diuerſitas? an ſtellarum ſedes, naturas, corpora, habitârunt mortales, vt de leuitate, vel grauitate earum, loqui poſsint? quarum autem rerum parium, pares ſunt effectus, earum rerum pares cauſas conſtituere oportet, non diſpares.

Et cùm ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſunt æqualia, tàm benè in cauſis, & effectibus Phyſicis, & naturalibus, quàm in lineis, & numeris, & proportionibus.

An non cauſa poſterior eſt effectus?

An non principium fine prius eſt?

An non priuatio habitum?

An non corruptio generationem præceſsiſſe oſtendit?

Nónne homo res paruas mouet: res magnas ſubitò non mouet? aut ſi tantæ ſunt, planè haud mouet? An Deus contrà res maximas in natura rerum mouebit? minimas non mouebit?

Atq; hæc argumenti philoſophici cauſa ſufficiant. Veritas penes numerum temporis erit, quem Deus regit: cui omnia nobis incognita, ſoli cognita ſunt ad amuſsim.

Quanta eſt autem in Gandao, & Landao, Caroli Magni, & Caroli Maximi patria, propinquitas, paritas, æqualitas literarum? ſic vt vtrumq; triſſyllabum, ac in vocalibus tribus, & conſonantibus tribus characterum conueniant? Septima tantum litera, ac ea in vtroq; verbo prima diſpar ſit? vt vix Carolus, & Carolus, ouum ouo ſimilius ſit?

Quemadmodum autem quædam matreſſamilias, cum duo oua inſpexerint, quæ id Gallina peperiſſet, dicere poſſunt, etiam ſi anatum oua Gallinis iiſdem ſuppoſita ſint.

Ità hic eueniet ſolerti Cenſori, ac etiam quomodò hæc Gallina ex duobus ouis, duos Gallicos pullos tàm ſimiles excluſerit.

Magna profectò (vt equidem puto) hæc debet eſſe ſeptem nationum

num gloria quòd duos tàm pares GALLICOS HERCVLES habuerint.

An fuit aliquis Gallus gallinaceus non ſuffocatus,qui ſilentio noctis,poſt tertiam vigiliam fauerit faucibus militares excubias cantu ſignificauerit:& tanquàm in cuſtodia; & ſpecula orbis vniuerſi ſolus vigil exiſteret: euigilare hominum mentes,& ex ſummo diuturno expergefieri monuerit?

Ac hunc Quintum,Carolum,Maximum,Monarcham,Francū, Aſburgam, Auſtriam, Flandrum, Belgium, Gandaum, Africum, Aſianum,Indicum,Marinum,tantùm vitæ ſanctitate, & verecundia naturæ, pudoreq́;animi Imperatorij, & Regij, cæteris mortalibus præſtiturum prædixerit,quantùm Imperij amplitudine,& Monarchia,cæteros mortales omnes ab orbe condito excelluerit?

Amanda itaq; Gallia,quæ hunc tàm pium,tàm beatum, tàm bonum Auguſtum produxit.

Amanda Hiſpania, quæ tot Regna ei ſuppeditauit.

Amanda Germania, quæ Imperium orbis illi amantiſsimè detulit.

Amanda Italia,quæ illi maximarum victoriarum argumentum, & occaſionem dedit.

Amanda Britannia,quæ eius filio ſapientiſsimam,& ſanctam Reginam Mariam coniugem eſſe cupiuit.

Amandæ Aſiæ,& Africæ Regiones, quæ Auſtriaco ſanguini tàm humaniter iuga ſubmiſerunt in Oriente, & Auſtro.

Amandus nouus orbis Carolinus, qui indigenam Dominūm nactus eſſe gloriari poteſt hunc Carolum Maximum.

Mihi hebdomades Danielis Prophetæ in Bincorſtio meo conſideranti,ſæpè in mentem venit rerum earū,quæ hic paſsim,& obiter percurruntur,ac ea in Scauriano,& Cumano Martij Zenocari Equitis,fratris chariſsimi,Diepenburgioq́; meo iterùm , atq; iterùm repetij,clientelarum nobiliſsimis quibuſq; præſentibus, qui ad ea loca officij cauſa venerant.

Eaq́;cum illuſtri,& ſancto cœtu virorum doctiſsimorum, & nobiliſsimorum ſæpè contuli,quibus nihil,aut contrà ſanam theologorum doctrinam,aut contrà veritatem rerum geſtarum Cæſaris, hîc ſcriptum eſſe videbatur.

Veſtri nūc ſit arbitrij illuſtres Equites,vtrum ab auguſtorum temporibus,& maximè à Caroli Magni, ætate talis Germanicus Cæſar mundi gubernacula tenuerit.

Vos

Vos enim huius ludices ſortiri placuit, vos arbitros, vos cenſores facere.

Quemadmodum enim ſydera à Sole: ita vos à Cæſaris Maximi gloria, & lumine illuminamini: & grauiditates, partuſq; rerum clariſsimarum excalefacti illuminatè affertis, ac terrarum orbi partas victorias, victores oſtenditis.

Memoria, ſapientia, eloquentia, temperantia, fortitudo, iuſticia, pietas Cæſaris tanta fuit, vt maior in Rege, aut Cæſare ferè eſſe nequiuerit.

Architecturæ, rei naualis, diſciplinæ militaris, aſtrologiæ, politiæ, œconomiæ, variarumq; linguarum, tanta quoq; fuit in Cæſare cognitio, & ſcientia, & experientia, vt vobis iiſdem de cauſis ſæpè admirationi, multiſq; ſatrapis fuerit.

Pietas verò tanta, vt illa Sole, & lumine ſuo virtutes reliquas, & maximè bellicas, ferè obſcuret: quod idem Regi Dauidi, & Carolo magno accidit.

Nihil autem vos viri illuſtres commouere debet, quòd Iuriſconſultus, & Equeſtri, & Senatoria dignitate, apud Cæſarem ipſum Carolum, atq; hunc Regem Philippum Iuſtum tamdiu functus, & ætatis anno Quadrageſimo podagricus, caneſcens totus, atq; ſeneſcens: ad hoc ſcribendi genus dilapſus ſim: multæ enim cauſæ me huc perpulerunt.

Quarum prima fuit, vt Cæſarem à nonnullorum calumnijs tuerer, qui eius vitam, actioneſq; iniquo obelo perſtringere nituntur.

Secunda fuit multorum illuſtrium virorum authoritas, quibus id officij negare (tanto ſtudio à me id poſtulantibus) à facilitate, & bonitate naturæ ingenuæ videbatur alienum.

Tertia fuit prouincialium meorum, & eorum omnium, qui Cæſaris Imperio paruerunt ſolicitudo, & cura, quorum Magiſtratus, & plæriq; excelliores nobiles viri, & eruditi, ad Reipublicæ ſalutem, & incolumitatem pertinere: & ad præteritarũ rerum memoriam conducere arbitrabantur: ciues, & ſubditos Cæſaris vbiq; terrarum ſcire, qualem illis Dominum, qualem poteſtatem dederit Deus. Omnis enim poteſtas à Deo eſt: & omnis anima poteſtati ſubdita eſſe debet. Obediendum eſt enim Principibus etiam diſcolis, vt ſacræ ſonant paginæ.

Quarta Regiorum quorundam Senatorum arcaniorum perſuaſio: quibus videbatur Philippum Regem, & Dominum noſtrum clementiſsimum, populis tantò gratiorem vbiq; locorum fore, qui

tàm

tàm laudato patre eſſet genitus. Quemadmodũ enim eſt in equis,& canibus, ità & in hominibus Heroum ſanguine prognatis euenire, vt boni patris,bonus naſcatur filius. Et idem in vitium ſurculis, & arboribus,& ſeminibus euenire differebant. Ac ego quidem Philippi Regis noſtri amabiliſsimam naturam, talem eſſe ſciebam, vt ceu vino vendibili non eſt opus ſuſpenſa hȩdera:ità nec mea hac exigua rerum patris conſideratione,narratione, æſtimatione, filij Philippi fidem, & probitatem exaugeri, & commendari poſſe perſpicerem.

Quinta fuit in gratitudinis officio poſita: cùm enim nullum ſit vitium deteſtabilius. Deoq; pariter,ac hominibus odioſius ingratitudine (quam parit acceptorum beneficiorum obliuio) optimè, & grauiſsimè,me quidam facturum rebantur, ſi à Deo, & Cæſare noſtro,humano generi præſtita beneficia, ob oculos veſtros ponerem:ac proindè non ſolum vtilem, ſed prorſus neceſſariam me nauaturum eſſe operam.

Sexta fuit numerorum quorundam fœliciorum, ſanctiorumq; notatio(quam ego vt probabilem,& veriſimilem,nuſquàm pro neceſſario axiomate aſtruere ſum conatus)& puto euenta ferè, ſic reſpondere numeris,vt nihil magnum,ſine diuino afflatu exiſtere, ſit putandum.

Septima,& vltima fuit ipſa iuriſprudentia: illa enim multò eſt alia,quàm iuuenes diſcant in ſcholis, & ſcholijs, & ſcholiaſtis pandectarum,aut codicis, aut canonum. Quod non dicerem, niſi & ſcholia,& ſcholiaſtas illos omnes, tàm diligenter, quàm quiſquam eorum, qui mihi obtrectare fortaſsis conentur abſenti, & hæc ſcribenti, legiſſem.

Iuriſprudentia ab Vlpiano definiebatur ſic:vt eſſet diuinarum, & humanarum rerum noticia:iuſti, & iniuſti ſcientia.

Iuris partes apud illum dicebantur, honeſtè viuere:alterum non lædere:ius ſuum vnicuiq; tribuere. Ius hoc alij dicunt eſſe cuiuſq; meritum:& pro eo ac meretur eum præmio pœnâue afficere.

Iuſticia finiebatur his finibus,conſtans,& perpetua voluntas, ius ſuum vnicuiq; tribuendi.

Ius ipſum apud eundem Vlpianum, & antè eum apud Celſum definiebatur his terminis:vt eſſet ars boni,& æqui,cuius merito, Iuriſconſulti ſacerdotes appellantur,tanquàm ſacra dantes, & adminiſtrantes.

Si autem nihil aliud de diuinis rebus nobis cogitandũ eſt: quàm

id quod in codice Imperiali,de ſumma trinitate,& fide catholica, de ſacroſanctis Eccleſijs,de Epiſcopis,& clericis: & ſimiliter illic ſcriptum eſt:perquàm exiguam cognitionem rerum habebimus diuinarum.

Si quoq; nil aliud de rebus humanis ſciemus,quàm quod de iure militari, & priuilegijs veteranorum: & ſimiliter illic perlegerimus quantulam cognitionem habebimus rerum humanarum?

Quomodò autem vnicuiq; ius,& honorem, & meritum ſuum tribuemus,niſi à capite incipiamus?

Vt primum Deo.

Deindè Principi noſtro.

Tertiò patriæ noſtræ.

Quartò parentibus.

Quintò amicis.

Sextò ciuibus.

Septimò inimicis noſtris honorem debitum illorum laudibus concedamus?Dictum eſt antiquis:amabitis amicos, & odio habebitis inimicos veſtros. Ego autem (inquit Chriſtus apud Matthæum) dico vobis,vt etiam inimicos veſtros diligatis, in quo eſt legis perfectio.Venit enim Chriſtus legem abſoluere, & perficere: non rũpere,vel diſſoluere,Ac frequenter oſtendit nullum eſſe fidei, charitatis, ſpei, perfectum munus: niſi quod cum obſeruatione Dei mandatorum coniunctum ſit, quorum mandatorũ interpretationem pulcherrimam à Chriſto factã, diuinè explicat Matthæus. qui ſermonem Chriſti audiuit,& ſolus hebraicè ex Euangeliſtis ſcripſit: ſic vt ipſa verba,nedùm ſenſa Chriſti ſcripſiſſe exiſtimandus ſit. Nunquàm certè ſic apud homines locutus eſt quiſquã, ſicut Chriſtus apud Matthæum,& Ioannem. qui & ipſe verba Chriſti (ad diuinitatem eius pertinentia) diuinè,& admirabiliter, & ſyncerè expreſsit.

Quænam igitur erit iuris,& iniuriæ ſeparatio:quæ æqui, & boni ars? quod ſacerdotium? quæ iuſti, & iniuſti differentia? ſi Principem noſtrum ab alijs ſæculi noſtri Principibus ſecernere nequeamus?

Sunt igitur iura ciuilia, & pontificia, leges municipales, mores, conſuetudineſq; maiorum,vſus,& ſtilus fori perdiſcenda, omneſq; doctores iuris vtriuſq; diligenter euoluendi, memoriæq; locali, & artificiali commendandi illi,qui ſe verum Iuriſconſultum eſſe arbitretur.

Sunt

Sunt & omnes res diuinæ, & humanæ, ex literis ſanctis, ex hiſtorijs veterum, & recentium ſcriptorum, ex cognitione ingenuarum artium, ex multarum gentium, & vrbium peragrationibus, & illarum moribus, doctrina, iudicijs obſeruatis, mentique (Vlyſſæo, Platonico, Pytagorico, & Paulino more) impreſsis: & ex Enciclopedia linguarum, & diſciplinarum omnium, omnia animo, & memoria comprehendenda illi, qui ſe perfectum fore iureconſultum arbitretur: ad quas res conſequendas, qua hominis ætate? quo labore? qua memoria opus ſit? facilè per ſeſe vnuſquiſque iudicabit.

Neque enim huic iureconſulto perfecto in illis anguſtijs leguleiorum, qui cùm alijs ſemper, tùm ſibi ipſi nonnunquam contradicunt, & contraria, pugnantiaque ſæpè tùm conſulunt, tùm ſcribunt, tum docent, conſidendum: nec in illis aucupijs hîc mentis, & voluntatis, & cogitationis, illîc verborum, & ſyllabarum, & literarum hærendum eſt.

Sed ex ipſo iure diuino, naturali, gentili, ciuili, pontificio, municipali, more, primum certa ſunt ſumma genera quædam elicienda, pectorique noſtro inſcribenda: ſolum Deum, non actores, reum, iudicem, teſtem, tabulas, diuitias, aut egeſtatem hominum reſpiciendo.

Ea poſteà ad vſum fori, & cauſarum ciuilium, & criminalium, profanatum, & ſacrarum, publicarum, & priuatarum, cum timore Dei, & amore proximi, ſunt transferenda.

Vt ex illis omnibus coniunctis, non ſeparatis, ſumma iudicij noſtri humani, ad Rempublicam gerendam pertinentis ratio cõſtituatur: & in illa, ſumma ſententiæ dicendæ, & certa ſuffragiorum ferendorum in Senatu reijciatur, rurſuſq; reſultet prudentia.

Senatoris officium eſt, vt rogatus loquatur. vt liberè loquatur, vt verè loquatur, IVDICIA ENIM, QVEMADMODVM TESTIMONIA, VTI LIBERA, ITA VERA ESSE OPORTET.

Qui libertatem iudiciorum, & teſtimoniorum ſuſtinent, & tuentur, laudandi ſunt, qui opprimunt, aut lædunt vituperandi.

Ego autem tales in Cæſaris rebuſpublicis, & Senatibus, aut Magiſtratibus, fuiſſe nunquàm audiui, nunquàm ſciui.

Nulla maior laus Principis alicuius eſſe poteſt, quàm ea, cũ iuris dicundi libertas in Republica retinetur.

ET DIGNA VOX EST MAIESTATE REGNANTIS PRINCIPEM LEGIBVS SE OBNOXIVM PROFITERI.

V Illa

Illa autem genera, loco, tempore, perſona, qualitate, quantitate, actione, paſsione, variari ſentiet.

Mentem, dictum, factum, tranſcendentia eſſe quædam, in iure, & iudicijs animaduertet.

Contractus, teſtamenta, crimina, acquiſitionem, amiſsionem, debitum, creditum, prædicamenta eſſe quædam perſpiciet.

Citatione: litiſconteſtatione: teſtium, aut inſtrumentorum probatione: eorundem refutatione, & reiectione, aut ſaluatione: concluſione in cauſa: ſententia· & rei iudicatæ cùm authoritate, tùm executione: ordinem iudiciarium contineri cognoſcet.

Res, & perſonas, duo eſſe iuris ſubiecta: dare, & facere: duos eſſe fines iuris, peruidebit.

Præmium, & pœnam ad illos fines, tanquàm ad quadrangulum æquilaterum concurrere ſentiet. Sed de pœnis ſatis verboſi: de præmijs nimis taciturni omnes veteres, & neoterici ſcriptores fuêre. Eoq; fit vt Principes, tales habentes Conſiliarios, de præmijs in benè meritos militares, œconomicos, aut togatos viros, minus in quibuſdam terræ angulis, cogitârint. Poſtquàm autem in illa capita iuris erit ſcripti, & non ſcripti, ſcientia concluſa.

Tùm illorum capitum conſtituenda genera erunt, & ſpecies, & differentiæ. & propria, & accidentia.

Omnium tranſcendentium, prædicamentorum, prædicabilium, indiuiduorum ciuilium, dandæ erunt definitiones.

Rerum definitarum, faciendæ erunt partitiones primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ.

His cunctis copia exemplorum ſubijcienda eſt.

Ac imprimis materia, cauſa, forma, finis, rerum omnium inſpici debet, vt rectè fiat iuris interpretatio.

Facta, & dicta omnia, ex iure decidenda erunt, non ex factis facta, nec ex dictis dicta, nec ad vtrumq; ius accomodandum eſt: ſed illa iuris dolabram, limamq; perferre debent.

Aduocati officium eſt, ità partibus inſeruire, vt ſibi inſeruiri cuperet: vt quod quiſq; iuris in alium ſtatuit, ipſe eodem iure vtatur: nec nunc actori concedi petat, quod reo in ſimili cauſa negauerit: nec nunc Titio dari poſtulet, quod Seio in ſimili cauſa negatum voluit.

Contraria enim in iudicijs ſuſtinere, non conuenit de iure conſultis. Procuratores Aduocatis ſubditi eſſe debent, ſicut Monachus Abbati.

Sed

Sed apud multos, Canes dicuntur Curiæ, quia Aduocatos, Iudices, parteſq; litigantes comedunt. Id autem magis in alijs prouincijs, quàm Cæſaris ditionibus ſcommatis audiui.

Apparitores diligentes eſſe debent: & mandati fines cuſtodire, receptaq; promptè mandantibus, aut quorum intereſt reſtituere.

Actores in primordijs, & ſtrepitu iudiciorum fauore ſunt proſequendi.

Rei in fine iudiciorum, & ſententia ferenda, beneuolẽtia, & æquitate iuris digniores ſunt.

Notarij, & tabelliones fide pleni eſſe debent.

At imprimis perſona Iudicis ſic eſſe debet, vt nec inflecti gratia, nec corrumpi potentia, nec adulterari pecunia poſsit.

Sed quia non viuitur ſemper cum perfectis hominibus, pleneque ſapientibus, orandus Deus, vt Princeps ſemper ſit cum iuris, & iuſticiæ amicus, tùm clementiæ, miſericordiæque impertiendæ author.

Metellus Nepos contrà Marcum Tullium indignatus illi dixiſſe fertur, quòd multò plures homines teſtimonio ſuo, mori coẽgiſſet, quàm defenſionibus ſeruâſſet: cui Cicero reſpondit, certè, inquit, plus eſt in me fidei, quàm eloquentiæ. Fides autem eſt, quandò fit, vt dictum eſt, & vt factum eſt, dicitur.

Sed redeamus ad notas ſigni Quadrageſimi.

Et huius igitur Cæſaris Caroli Maximi tempore, ſicut & Caroli Magni æuo: multæ, imò planè omnes res incrementa maxima ſumpſerunt.

Ac hoc euidens eſt, lucidum, & inconuincibile argumentum, quòd Cæſar, non ſolum ſuperioris æui, aut ſæculi gloriam, ſed etiam omnem antiquitatis memoriam, virtute, & fœlicitate, cũ ſua, tùm ſuorum ſuperauit.

Quid Pontifex Atrebatenſis Antonius Perenottus? Quid Viglius Zvvychemus Præſes? Quid ordinis veſtri illuſtres Equites Cancellarius Philippus Nigri, Mardicij Toparcha? Quid Fauerneus Perenottus? Quid Bruſelius Philibertus? Quid à Tyſnaco Carolus? duo clariſsima Belgicæ, & Senatus lumina? Quid Hermes VVingenius Retornacenſis? Quid Aſſonvilius Chriſtophorus? Quid Honzoctius Ioachimus? Quid Bermontius Sequanus? Quid Grandis Ianus Sequanus? Quid Euerardus Nicolai? Quid Adrianus Marius Nicolai? Quid Nicolaus Grudius Nicolai? Quid Sceyffius Ioannes? Quid Iacobus Martinius? Quid Damhou-

derius Iudocus? Quid Grebouallus Florentius? Quid Colinus Ioannes? Quid Hoperus Ioachimus? Quid Chriſtianus VVertius? quorum & anteà mentionem feci, ter ſeptem omni laude cumulati, aut Præſides, aut Conſiliarij Cæſarei in ſupremis tribunalibus? Nonne ſunt ſingularia aulæ Cæſareæ ornamenta? & iuris ciuilis reddendi columina? & cum ſapientiſsimis aliarum nationum Iuriſconſultis, & Præſidibus conferenda?

Quid Albanus Dux? quid Gomezius Meliti Comes? quid Azeuedius? Mendocius? Manriquius? Freſneda? Perezius? ſeptem viri heſperici an non tales ſunt? vt nihil de illorũ vitijs, plurima quotidiè de ſingulariſsimis eorũ virtutibus audiãtur? & quàm ſacer, & ſanctus eſt ille Bernardus à Freſneda, Confeſſor Regius? quàm humanus, & benignus ille Heros illuſtris Gomezius? Quid Auyla? Laſſaus? Dandelotus? Arbeza? Montigniacus? Norquermius? Monſalconetus? qui continenter in Cæſaris cubiculo ſunt verſati? illi vt Cubicularij, hic vltimus, vt magiſter Curiæ? Nonne tales ſunt, vt ſumma ſint gloria digni? Et Auyla quidem non magis ſtirpe, & fama doctrinæ, quàm ſimilitudine Cæſarei Germanici corporis, moriſq; conſpicuus eſt. Et ſi doctrina, fama, ſtirps in eo eſt illuſtris, ſicut & in fratre eius Marchione naualium: qui Regis Philippi eſt œconomus, vt humaniſsimus, ita nobiliſsimus.

Quid Barſdorpius? Veſalius? Mathiſius? Aquila? Theodoricus? Michael? Morenus? Nonne omnes eiuſmodi ſunt medici? vt qui illorum in re medica ſcientiam, experientiamque Galænicam, & Hypocraticam non nouit, medicos ſe Cæſaris, & aulæ noſtræ, non noſſe fateri debeat.

Quid Tridentinus? Auguſtanus? Burgenſis? tres Cardinales: ille Madrucius, iſte Trucſes: hic Mendocius? Quid Diegonus à Mendoza vir illuſtris? Quid Franciſcus Patiæcus Eccleſiaſtes Cæſareus, & Regius? & ipſe perilluſtri ſtirpe, ſed pietate, & doctrina ſacra quoque ſpectabilis Minorita? Quid clariſsimus, doctiſsimuſque Angelus Caſtellus Commiſſarius Regius, & ipſe Minorita? Quid Antonius Caſtilegius Archiepiſcopus Calaritanus Hebraicæ, Græcæ, Latinæ linguæ doctiſsimus, & eloquentiſsimus Eccleſiaſtes Regius, & olim Cæſareus? Nonne omnes tales ſunt, vt eos mirari, & laudibus efferre? nulla in re premere, aut accuſare quis valeat.

Quid tot Diui Iacobi, Alcantaricæ, Calatrauicæ, Dauidicæ, Rhodienſis, Pruthenicæ, Liuonicæq́;, militiæ Præfecti, & cõmendatores Equites? Nónne præſtantiſsima eorum belli, domiq́; opera, ſemper Cæſar eſt vſus? quos inter Franciſcus Eraſſus rerum Hiſpanicarum, Indicarumq́; ſummus apud Cæſarem Carolum, Regemq́; Philippũ noſtrum Secretarius: & Vargas rerum Italicarum, ſummus pariter Secretarius eorundem Principum, ſummè à Cæſarianis omnibus domi, militiæque laudati ſunt.

Quid omnium Hiſpanorum doctiſsimus Ioannes Payſa? Quid Faleſius? Schættus? Malinæus? Sayas? Folcus? Berzoza? Nónne tales ſunt oratores, Hiſtorici, & Poëtæ? vt illorum opera omnia in lucem ædita, proximeq́; per occaſionem ædenda, cum reliquarum nationum ſcriptis, acerrimè de palma victoriæ togatæ, & laureatæ ſint decertatura? Sunt alij multi, ſed non ego illorum nomenclatura vtor: partim quia non noui: partim quia non occurrunt: partim quia in aula vel Cæſaris, vel Regis Philippi, mihi cogniti non fuerunt.

Septenario equidem numero ſemper contentus fui: nec vltrà eũ numerũ temerè ſum vnquàm progreſſus: quod amplius eſt in amicitia hominum ſocianda, extraordinarium eſt.

Hæc ordinarias faciunt, veraſq́; illuſtrium, & clarorum virorum legiones. Plutarchus enim præclaras virtutes Heroum volens oſtẽdere: ſeptenaria nomenclatione contentus fuit. Erat inquit in Alex andro ingenium: in Cyro ſpiritus: in Ageſilao temperantia: in The miſtocle ſolertia: in Ariſtide iuſticia: in Philippo experientia: in Pericle ſcientia regendæ Reipub.

Sed de viris claris, & in Curia Cæſaris Caroli notis, ſatis meminimus: quid de vobis dicendum eſt, perilluſtres aurei velleris Equites? Ego verò vos, coram, ac præſentes, & (vt dicitur) in os laudare non ſuſtineo: ac ſatis id vobis Principibus, & Dynaſtis, & Satrapis eſſe debet, quòd ab omnibus laudatis Principibus, diligenter, ſępè, & accuratè laudati eſtis. Gaudeo (inquit ille) laudari abs te pater laudato viro.

Vos enim & pacis ornamenta, & ſubſidia belli apud Carolum Maximum omni tempore fuiſtis.

Vos exercitum Cæſaris, non ſolum calamitate, ſed calamitatis formidine liberauiſtis.

Ruere dignitas veſtra non potuit, vt non Cæſaris Regna omnia eodem labefactata motu conciderent.

Septem tamẽ præcipuè mihi ex vobis ſumpſi huius operis Patronos, & Protectores: Magnanimum præpotentẽ, peraçutũ Principẽ,

 Caro-

Carolum Philippi Iuſti Regis filium: Caroli Cęſaris Maximi nepotem: Philippi abnepotem: Maxæmiliani pronepotem: Friderici atnepotem: Auſtriæ ſobolem, & propaginem: Franciæ ſtirpem: Hiſpaniæ Principem.

Magnanimum, & perquàm prudentem Principem: Emanuelem Philibertum: Sabaudiæ Ducem: Pedemontij Principem: Belgicæ Gubernatorem.

Magnanimum, & perquàm grauem, Ferdinandum Aluarum à Toleto: Ducem Albanum: magnum Curiæ olim Cæſareæ, nunc Regiæ Oëconomum: Italiæ olim Adminiſtratorem.

Magnanimum, & perquàm temperantem, Gulielmum Aurangie Principem: Comitem Naſſauij: Burenij Catzenelbogij: Dynaſtam Bredæ.

Magnanimum, & præfortem, Amuratem ab Egmonda: Principẽ Gaueriorum: Comitem Ægmondenſium: Dynaſtam Fieneſiorum.

Magnanimum, & efficacem Ioannem à Ligneo: Comitem Marchiæ, & Arenbergæ: Dynaſtam Barbanſoniorum.

Magnanimum, perquàm eruditum, & perquàm eloquentem, Carolum Dynaſtam Berlęmontij: Financiarum Belgicarum verticem.

Per vos autem (quos ſine ordinis, & dignitatis veſtræ ampliſsimę prærogatiua, aut præiudicio ſic collocaui) hæc cum cæteris veſtri ordinis Equitibus, & Collegis communicari cupio, & opto. Ac vt id vobis, vniuerſóq; ordini veſtro fauſtum, fœlix, fortunatum ſit, oro. Veſtro equidem, & Eccleſiæ Dei iudicio, me totum trado, & commendo.

Nomina autem illuſtriſsimorum veſtrorum Equitum, quos Cæſar ex Senatuſconſulto Grauiſsimi Senatus veſtri electos Vltraiecti, anno ætatis ſuæ quinto, & quadrageſimo, ad calculum Curiæ, viuentes habuit: & Philippus Rex, filius eius, Dominus noſter clementiſſimus, in foro Caroli (quod Andouerpiam vocant) apud Deiparæ virginis templi aram, è ſubſellijs, tanquàm pro roſtris, nouos vltimos conuentus veſtri ordinis peragens, more vetuſto tàm viuos, quàm mortuos collocauit, hæc ſunt.

Erat autem Philippus per id tempus Caput, Vertex, & Decurio, veſtri ampliſsimi Equitum Senatus, cum illa ſic collocari iuſsit.

Latus dextrum.

Magnanimus, excellens, & præpotens Princeps, Carolus diuina clemen-

clementia, Imperator Romanorum ſemper Auguſtus, eius nominis quintus, Flander.

Magnanimus, excellens, & prępotens Princeps, Philippus Dei gratia Rex Caſtellæ, Legionis, Arragonis, Angliæ, Franciæ, Neapolis, & Siciliæ. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ, & çe. Comes Flandriæ, Caput, & Vertex ordinis aurei velleris, Hiſpanus.

Nunc ſequuntur nomina aurei velleris Equitum,
à latere dextro, & ſiniſtro, hoc ordine, &
hac nomenclatura, & patria.

Primus.

Magnanimus, excellens, & præpotens Princeps, Henricus Dei gratia Rex Angliæ, Hyberniæ, & çe. eius nominis octauus, Britannus.

Tertius.

Magnanimus, excellens, & præpotens Princeps, Ferdinandus Dei gratia Rex Romanorum, & çe. Archidux Auſtriæ, Hiſpanus.

Quintus.

Magnanimus, excellens, & præpotens Princeps, Chriſtiernus Dei gratia Rex Daniæ, Germanus.

Septimus.

Magnanimus, excellens, & præpotens Princeps, Maxæmilianus, Dei gratia Rex Bohæmiæ, Archidux Auſtriæ, Germanus.

Nonus.

D. Philippus, Croiæ Sirius, Dux Ariſcotiæ, Comes Porcennæ, Bellimontis, & çe. Belga.

Vndecimus.

D. Antonius à Croia, Dynaſta Sempianorum, Belga.

Decimus tertius.

D. Ioannes Dynaſta Traſinianorum, & Sillaniorum, Belga.

Decimus quintus.

D. Adrianus à Croia, Comes Roëſiorum, Dynaſta Beaureniorum, Belga.

Decimus ſeptimus.

D. Petrus Ferdinandus à Velaſco, Coneſtabilis Caſtellæ, Dux Friaſiorum, Hiſpanus.

Decimus nonus.

D. Bertrandus à Cueua, Dux Alburquerquij, Hiſpanus.

Vigeſimus primus.

D. Nicolaus, Comes Salmenſium, Germanus.

Vigeſimus tertius.

D. Ioannes ab Henninio, Comes Boſſuorum, Belga.

Vigeſimus quintus.

D. Andreas Auria, Princeps Melphitanus, Italus.

Vigeſimus ſeptimus.

D. Lodoicus à Flandria, Pratenſium Dynaſta, Belga.

Vigeſimus nonus.

D. Inigus Lopes à Mendoza, Dux Infanſtaſcij, Hiſpanus.

Trigeſimus primus.

D. Coſmus Medices, Dux Florentinorum, Italus.

Trigeſimus tertius.

Magnanimus, & potens Princeps, Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ, Princeps Pedemontij, Italus.

Trigeſimus quintus.

D. Manricus à Lara, Dux Naieræ, Hiſpanus.

Trigeſimus ſeptimus.

D. Philippus à Lanoio, Princeps Sulmonenſis, Belga.

Trigeſimus nonus.

D. Pontus à Lalænio, Dynaſta Bynicurtiorum, Belga.

Quadrageſimus primus.

D. Claudius à Vergio, Dynaſta Champlitenorum, Belga.

Quadrageſimus tertius.

D. Philippus à Lalænio, Comes Hocſtratius, Belga.

Quadrageſimus quintus.

D. Petrus Erneſtus, Comes Manſueltij, Germanus.

Quadrageſimus ſeptimus.

D. Petrus à VVerchinio, Seneſchallus Hannoniæ, Belga.

Alatere

A latere ſiniſtro, ſani Deiparæ, erant hi Equites, hac ferè forma, & patria.

Secundus.

Magnanimus, excellens, & præpotens Princeps, Franciſcus Dei gratia Rex Francorum, eius nominis primus, Gallus.

Quartus.

Magnanimus, excellens, & præpotens Princeps, Sigiſmundus, Dei gratia Rex Poloniæ, Polonus.

Sextus.

Magnanimus, excellens, & præpotens Princeps, Ioannes, Dei gratia Rex Luſitaniæ, Hiſpanus.

Octauus.

Magnanimus, & potens Princeps, Fridericus, Comes Palatinus Dux Bauariæ, Elector Germanus.

Decimus.

D. Petrus Antonius à ſancto Seuerino, Dux Diui Marci, Princeps Buſignani, Italus.

Duodecimus.

D. Gulielmus, Dynaſta Bibaupieriorum, Belga.

Decimus quartus.

D. Franciſcus à Melleduno, Comes Eſpinoiæ, Dynaſta Antoniarum, Coneſtabilis Flandriæ, Belga.

Decimus ſextus.

D. Dux Ferdinandus ab Aragone, Vicerex Valentiæ, Hiſpanus.

Decimus octauus.

Magnanimus, & potens Princeps, Philippus, Comes Palatinus Dux Bauariæ, Princeps Imperij, Germanus.

Vigeſimus.

D. Ferdinandus à Gonzaga, Dux Ariani, Princeps Molphetæ, Italus.

Vigeſimus ſecundus.

D. Reginaldus Dynaſta Brederodiorum, & Vianenſium, Belga.

Vigeſimus quartus.

D. Carolus, Comes Lalænij, Belga.

Vigeſimus ſextus.

D. Alphonſus Daualus, Marchio Vaſtij, Italus.

Vigeſimus octauus.

D. Maxæmilianus ab Ægmonda, Comes Burenorum, & Lærdammiorum, Dynaſta Yſelſtenij, Belga.

Trigeſimus.

D. Ferdinandus Aluarus à Toleto, Dux Albanus, Hiſpanus.

Trigeſimus ſecundus.

Magnanimus, & potens Princeps, Albertus, Dux Bauariæ, Princeps Imperij, Germanus.

Trigeſimus quartus.

D. Octauius Farneſius, Dux Camerini, Italus.

Trigeſimus ſextus.

D. Fridericus, Comes Fuſtenbergenſium, Germanus.

Trigeſimus octauus.

D. Ioachimus, Dynaſta Ryenſium, Belga.

Quadrageſimus.

D. Amurates, ab Ægmonda, Princeps Gaueriorũ, Comes Ægmondenſium, Belga.

Quadrageſimus ſecundus.

D. Iacobus, Comes Ligneorum, & Fauquenbergenſium, Belga.

Quadrageſimus quartus.

D. Maxæmilianus à Burgundia, Marchio Verienſium, Dynaſta Beuerorum, Præfectus maris Oceani, Belga.

Quadrageſimus ſextus.

D. Ioannes à Ligneo, Comes Arenbergenſium, Dynaſta Barbanſoniorum, Belga.

Quadrageſimus octauus.

D. Ioannes à Lanoio, Dynaſta Molenbæſiorum, Belga.

Quadrageſimus nonus.

D. Petrus à Corduba, Comes Ferianorum, Hiſpanus.

Can-

Cancellarius.

Cancellarius eius ordinis eſt D. Philippus Nigri, ſummæ ſapientiæ laude honoratiſsimus.

Theſaurarius.

Theſaurarius, D. Petrus Boyſotus, humanitatis titulo notiſsimus.

Graphiarius.

Graphiarius, D. Nicolaus Nicolai Grudius, doctrinæ nomine clariſsimus.

Finis libri Quarti.

ETSI viri Principes ex actionibus Cæſaris, qualis fuerit vita eius, ſatis cognoſcitis, qualiſque religio: admirabilitas tamen, & admiratio operum, & mentis, animiq́; eius, ex numeri ſeptenarij, & Quadragenarij perfectione cumulatiſsimè demonſtratur.

Quandocunq́; igitur hiſtoriam rerum geſtarum Cæſaris, ſecundum ordinem temporis à me ſcriptam recordabimini: tanta vobis occurret horum numerorum farrago: vt res Cæſaris Caroli, non à Carolo: ſed à prouidentia Dei geſtas eſſe, certo certius ſitis exiſtimaturi: ità certè multi ſapientes cenſuerunt.

Numerus enim hic ſeptenarius (vt ſepius à me dictum eſt) pleniſſimus, perfectiſsimuſq́; eſt omnium numerorum: & certiſsimũ diuinæ prouidentiæ ſignum: idq́; varijs modis, præter ea, quæ in eam cauſam à me ſuperius adducta ſunt, comprobari poteſt notis Quadraginta: quas qui rideat, & contemnat: ipſam Dei prouidentiam: & naturæ rerum ordinem irridere per me poterit. Sed facilius homines rident quædam, & contemnunt, quàm queant illa, aut maiora, & meliora præſtare.

Septenarius Oceani.

OCEANVS enim in incremento æſtuum maritimorum, hunc numerum ſeruat. Nàm primo naſcentis Lunæ die, fit copioſior ſolitò: minuitur pauliſper ſecundo die: minoremque videt eum tertius dies, quàm ſecundus: quartus, quàm tertius: quintus, quàm quartus: ſextus, quàm quintus: ſeptimus, quàm ſextus.

Rurſus octauus manet ſeptimo par: nonus fit ſimilis ſexto: decimus quinto: & vndecimus fit quarto par: tertio quoq́; duodecimus: & tertiusdecimus fit ſimilis ſecundo: quartusdecimus, primo.

Tertia verò hebdomas, eadem facit quę prima: quarta hebdomas, eadem quæ ſecunda.

Septenarius quietis.

SEPTIMVS dies, quietis dies vocatur in ſacris literis: in eo enim Deus quieuit ab omni opere, quod patrârat: vt non ſit mirũ, cum Deus quieuerit, ſi Oceanus quieſcat in motu ſuo, & homines in opere, die ſeptimo. Benedixit diei ſeptimo Deus. Et ſanctificauit diẽ ſeptimũ, ſicut legitur Gen. cap. 2. Et tã veteris, quã noui teſtamenti pagina ſeptimũ diẽ ad humanã quietẽ ſpecialiter attribuit, ca. licet de fer.

Septenarius connubiorum.

ET iure veteri vſque ad ſeptimum gradum prohibita erat connubiorum coniunctio.

Septenarius ſucceſsionum.

COGNATIQVE ſuccedebant de iure prætorio vſq; ad ſeptimum gradum.

Septenarius diaconorum.

SEPTEM item Diaconi in vnaquaq; ciuitate pontificia debent eſſe qui quaſi oculi dicuntur Epiſcopi: qui cuſtodiũt Epiſcopum prędicantem: ne ipſe Epiſcopus ab inſidiatoribus quoquomodo infeſtetur, aut lædatur à ſuis, 93. diſtinct. cap. diaconi.

Et Apoſtoli decreuerunt per omnes Eccleſias ſeptem diaconos, qui ſublimiori gradu eſſent cæteris: & proximi circa aram quaſi columnę altaris adſiſterent: & nõ ſine magno ſeptenarij numeri myſterio, ſecundum venerabilem Bedam, in cap. 6. actuum Apoſt.

Septenarius religionis.

ET ſeptem præcipui articuli fidei noſtrę Chriſtianę memorantur: incarnatio, ſiue natiuitas: baptiſmus: paſsio, ſiue mors Chriſti: deſcenſus ad inferos: reſurrectio: aſcenſus in cœlum: aduentus eius in iudicium: de quibus legitur in Apocalipſi: Vidi librum ſignatum ſeptem ſigillis, formam imprimentibus in cœlo, & in terra, & apud inferos, cap. 1. de ſumma trinit. & fid. catho.

Septenarius Diuortij.

ET ſeptima propinquorum manu, matrimonium certis caſibus ſeparatur.

Et nullum diuortium ratum erat, niſi ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis, L. nullum ff. de diuortijs.

Septenarius pœnitentiæ.

ET ſeptennis pœnitentia iure pontificio introducta eſt.

Nam Maria ſoror Aaron, Propheticiſſa, dum detractionis aduerſus Moyſem incurriſſet delictũ, ilicò ſtigmate lepræ percuſſa eſt. Cùmq; peteret Moyſes, vt emundaretur, præcepit eã Dominus extrà caſtra egredi ſeptem diebus: & poſt emundationẽ, rurſus eam in caſtra admitti. Ad imitationem illius Dominicæ ſententiæ, Dauid de homicidio, & adulterio repræhenſus, vnius hebdomadæ ieiunium, in ſatisfactionem admiſsi ſceleris, Deo legitur obtuliſſe.

Et

Et hinc Eccleſiaſtica conſuetudine videtur vſurpatum, vt maiorũ criminum pœnitentia, ſeptem annorum ſpatio concludatur.

Quemadmodum autem propter peccatum, ſeptiformis ſpiritus ſancti gratia amittitur: ità per pœnitentiam ſeptennem recuperari videtur.

Septenarius in homine, admirabile diuinæ prouidentiæ ſignum.

Hic deniq́ue numerus ſeptenarius eſt, qui hominem concipi: formari: edi: viuere: ali: ac per omnes ætatum gradus tradi ſenectæ: atq; omnino conſtare facit.

Nam vt illud taceamus, quod vterum nulla vi ſeminis occupatũ, hoc dierum numero natura conſtituit, quo Luna ſuũ perficit menſtruum curſum. Hoc tamen prætereundum non eſt, quia ſemen quod poſt iactum ſui: intrà horas ſeptem non fuerit in effuſionem relapſum, hæſiſſe in vitam hominis pronuntiatur.

Verum ſemine ſemel intrà formandi hominis monetam locato, hoc primum artifex natura (Dei permiſſu, & decreto) molitur: vt die ſeptimo folliculum genitiuum circundet humori: ex membrana tàm tenui, qualis in ouo, ab exteriore teſta clauditur, & intrà ſe claudit liquorem.

Hoc cùm à Phyſicis depræhenſum ſit, Hippocrates quoq́ue ipſe, qui (multorum iudicio) nec fallere, nec falli didicit, experimenti certus, id ipſum aſſeruit: referens in libro, qui de natura pueri inſcribitur, tale ſeminis receptaculum, de vtero eius mulieris eiectum, quam ſeptimo poſt conceptum die grauidam intellexerat. Mulierem enim (ſemine non effuſo) ne grauida maneret orantem: imperauerat ſaltibus concitari: atq́ue ſeptimo die, ſaltu eiectum, cum tali folliculo, quale ſuprà retuli, ſuffeciſſe conceptui, hæc Hippocrates. Straton verò peripateticus, & Diocles Caryſtius, per ſeptenos dies concepti corporis fabricam hac obſeruatione diſpenſant.

Septimo die folliculum humori ſeminis circundatur, vt dixi: hebdomade ſecunda credunt guttas ſanguinis, in ſuperficiè folliculi, de quo diximus, apparere.

Tertia hebdomade demergi eas introrſum ad ipſum conceptionis humorem.

Quarta hebdomade humorẽ ipſum coagulari: vt quiddam, velut inter carnem, & ſanguinem, liquida adhuc ſoliditate conueniat.

Quinta hebdomade, interdum fingi, in ipſa ſubſtantia humoris, humanam figuram, magnitudine quidem apis: ſed vt in illa breuitate, membra omnia, & deſignata totius corporis lineamenta conſiſtant. Ideò autem adieci interdum, quia conſtat, quoties quinta hebdomade fingitur deſignatio iſta membrorum, menſe ſeptimo maturari partum. Et hoc approbat Iuriſconſultus L. ſeptimo menſe ff. de ſtatu hominum propter authoritaté viri doctiſsimi Hippocratis.

Cùm autem nono menſe partus abſoluitur, atq; perficitur: tunc ſiquidem fęmina fabricatur, ſexta hebdomade iàm membra diuidi.

Si maſculus: ſeptima hebdomade id contingere ſolet.

Poſt partum verò: vtrum victurum ſit, quod effuſum eſt, an in vtero ſit præmortuum: vt tantummodò ſpirans naſcatur: ſeptima hora diſcernit.

Vltrà hunc enim horarum numerum: quæ præmortua naſcuntur: aëris halitum ferre non poſſunt.

Quem aërem quiſquis vltrà ſeptem horas ſuſtinuerit: intelligitur ad vitam creatus: niſi altera vis grauior (qualis perfectum necare partum poteſt) eum eripiat.

Poſt dies ſeptem, natus infans, iactat reliquias vmbilici.

Poſt bis ſeptem dies, incipit ad lumen, viſus eius moueri.

Poſt ſepties ſeptem dies: liberè iàm & pupulas, & totam faciem conuertit, ad motus ſingulos videndorum obiectorum.

Poſt ſeptem menſes, dentes incipiunt mandibulis emergere.

Poſt bis ſepté menſes, ſedet infans ſine caſus, aut cadendi timore.

Poſt ter ſeptem menſes, ſonus infantis in verba prorumpit.

Poſt quater ſepté menſes, puer nõ ſolũ ſtat firmiter, ſed & incedit.

Poſt quinquies ſeptem menſes, incipit puer lac nutricis horreſcere: niſi fortè ad patientiam longioris vſus, continuata conſuetudine, protrahatur inuitus.

Poſt ſeptem annos, dentes qui primum emerſerant, alijs aptioribus ad cibum ſolidum naſcentibus cedunt: eodemq; anno ſeptimo: plenè abſoluitur integritas loquendi.

Vndè & ſepté vocales literę, vocis humanę exprimendę gratia dicũtur inuentę, quas Grȩci ſeruãt, alijq;: licet Romanorũ ſermo, eaſdé modò lõgas, modò breues pronunciãdo, quinq; pro ſeptem tenere maluerit, quos reliquę nationes (ab illis linguã mutuatę) ſecutæ ſunt. Et tamen apud Romanos, ſi ſonos vocalium, non apices numeraueris, ſimiliter ſeptem vocales, vt apud Græcos, reperientur.

Poſt annos bis ſeptem, ipſa ætatis neceſsitate pubeſcit puer.

Tunc

Tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis: & purgatio fœminarum: ideò & tutela pueris, quaſi per virile iàm robur abſoluitur: de qua tamen fœminæ, propter votorum, & connubiorũ feſtinationem, maturius biennio, legibus Romanorum liberantur.

Poſt ter ſeptenos annos, genas flore, & lanugine veſtit iuuenta: Idemque annus ter ſeptimus, finem in longum creſcendi plærunq; facit.

Quarta hebdomade annorum impleta, in latum quoq; creſcere prohibetur.

Quinta hebdomas, omne virium, quantę ineſſe vnicuiq; homini poſſunt, complet augmentum, nulloque modo poteſt iàm quiſquã ſe fortior fieri: ac hoc tempus, Græcorum, & inter alios Diphili præcepta ſecuti, matrimonijs virilibus idoneum autumant.

Neque multò maior natu triginta annis, neq; multò minor, hæ enim tempeſtinæ ſunt nuptiæ.

Qui verò expertes huius gloriæ vſq; eò manſerunt, à profeſsione diſcedant.

Sexies verò ſepteni anni, ſeruant vires antè collectas, nec diminutionem (niſi ex accidenti) euenire patiuntur.

Sed à ſexta, vſq; ad ſeptimam hebdomadem, fit quidẽ diminutio, ſed occulta: & quæ detrimentum ſuũ, aperta defectione nõ prodat.

Ideò nonnullarum rerum publicarum is mos eſt, vt poſt ſextam hebdomadem, ad militiam nemo cogatur.

In pluribus rebuſpublicis, datur remiſsio militiæ iuſta, poſt ſeptimam hebdomadem: ac tùm annus eſt gratiæ, qui iubilæus vocatur, hoc eſt annus vitæ humanæ Quinquageſimus.

Prouerbium Belgicæ hos ſeptenarios, in decades commutauit: idq;, & cæteræ nationes ſequuntur.

Aiunt enim decimo anno, hominem iuuenem: vigeſimo, pulchrum: trigeſimo, fortem: quadrageſimo, prudentem: quinquageſimo, diuitem: ſexageſimo, religioſum, ſiue deuotum Deo: ſeptuageſimo, ad mortem præparatum debere eſſe.

Atq; hæc non quòd ità ſint, ſed quòd plærumque ità contingant, efferunt, nec id immeritò.

Septenarius in calculo.

Cvm enim decas, qui & ipſe numerus eſt perfectus, additur hebdomadi: perfectiſsimo numerorum: tùm limes, & terminus vitæ conſtituitur.

Neq; enim à monade, per numerandi artem, vltrà decadem, vlla gens progreditur: ne mundus hic quidem nouus, qui Carolinus vocatur, ſed ab vnitate ad decem, ibi limitem reperit ſuum numerus.

Ab denario ad centenarium rurſus terminum inuenit.

A centenario ad millenarium: à millenario ad decem milia, quã myriadem Græci vocant: à myriade ad centum milia: à centnm milibus ad milionem: & in hoc ſeptenario, quieſcit.

Reliqui numeri multiplicatione eorundem limitum, & termino rum augentur: adiectis monade, dyade, triade, quaternario, quinario, ſenario, ſeptenario, octonario, nouenario.

Eſt igitur obſeruatum à Phyſicis, quòd cùm numerus ſeptenarius, ſepties multiplicatur, & ſeipſum recipit: facit ætatem hominis perfectam: adeò vt illius (videlicet quadraginta nouem annorum) ætatis homo, vtpotè qui iam perfectionẽ attigerit, ac necdum præterierit, & conſilio aptus ſit propter prudentiam, & ab exercitamentis virium non ſit alienus.

Cùm verò illa decas adijcitur, vt aut decies ſeptem anni numerẽtur, aut ſepties decem, hæc à Phyſicis creditur meta viuendi ordinaria.

A ſeptima igitur hebdomade, vſque ad decimam hebdomadem annorum vitæ humanæ, pro captu virium, quæ adhuc ſingulis perſeuerant, variantur officia, & munera.

Septenarius in membris humanis admirabilis.

SEPTENARIVS numerus, totius corporis membra diſponit.

Septem enim ſunt intrà hominem, quæ à Græcis nigra membra dicuntur, lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo.

Septem alia ſunt: cum venis, & meatibus: quæ adiacent ſingulis: & cùm ad cibum, tùm ad ſpiritum accipiendum, reddendumq; ſunt ordinata: guttur, ſtomachus, aluus, veſica, & inteſtina principalia tria, quorũ vnum diaphragma: alterum medium, tertium quod veteres hiram vocauerunt: habeturq; præcipuum inteſtinorum omnium, & cibi retrimenta deducit.

Septem ſunt gradus in corpore: qui dimenſionem altitudinis, ab imo ad ſuperficiem complent: medulla, os, neruus, vena, arteria, caro,

ro, cutis: & hæc quidem de interioribus corporis partibus.

In aperto quoque ſeptem ſunt corporis partes: caput, pectus, manus duæ, pedes duo, & pudendum.

Quę diuiduntur ſeptem compagibus, iuncta ſunt: vt in manibus eſt humerus, brachium, cubitus, vola, & digitorum terni nodi.

In pedibus verò fœmur, genu, tibia, pes ipſe (ſub quo vola eſt) & digitorum nodi terni ſimiliter.

Et quia ſenſus quinq;, eorumq; organa, & inſtrumenta, Deus in capite, velut in ſphæra conſtituit, ſeptem perforatis organis, ſpiritus, & aër ad quinque ſenſuum miniſteria, & officia hauritur, ore, binis oculis, binis auribus, binis naribus.

Hi autem ſenſus, in cæteris animantibus ſunt quinq;: ſed in homine ſunt ſeptem: præter enim odoratum, guſtum, tactum, auditum, viſum, homo memoria, & intellectu, præditus eſt.

Itaq; homo oculis vtitur ad legendum: lingua ad loquendum: manu ad ſcribendum: auribus ad aliorum dicta percipienda: corde ad volendum quidlibet: memoria ad id ipſum ratiocinandum: intellectu ad Deum, & Conditorem noſtrum cognoſcendum: illi parendum: cæteris imperandum: quæ eſt præcipua hominis virtus, & præſtantia: qua cunctis animantibus ſola antecellit.

Septenarius in motu.

SEPTEM motibus omne corpus mouetur, & agitatur, aut enim acceſsio eſt, aut receſsio (hoc eſt antè, aut retrò fit greſſus, & motio) aut in læuam, dextramue eſt deflexio, aut ſurſum quis, aut deorſum mouetur, aut in orbem rotatur, ſicut in ſaltationibus, & choreis apparet.

Septenarius in morbis.

VNDE non immeritò hic numerus ſeptenarius à medicorum cœtu, ægris quoque corporibus periculum ſanitatémue denuntiat, ſeptimus enim dies apud illos eſt criticus, hoc eſt, iudicialis in morbis acutis.

Septenarins in ſpiritu, & cibo.

DE ſpiritu enim & cibo, hoc obſeruatum eſt, quòd ſine hauſtu ſpiritus, vltrà horas ſeptem: ſine cibo, vltrà ſeptem dies, vita non durat humanitùs.

Septenarius in feſtis.

SALOMON feſtos dies ſeptem celebrauit, & omnis Iſraël cum illo, videlicet ſeptem diebus, & ſeptem diebus, quorum mentio fit de conſecr. diſtinct. 1. cap. 1.

Septenarius in luctu.

DEFVNCTO Iacob, luxit eum Ioſeph cum Ægyptijs ſeptem diebus, cuius mentio habetur, 13. queſt. 2. cap. quia.

Septenarij in doctoribus faciendis.

ET ad archiatrum faciendum, nemo promouetur niſi ſeptem primis, qui in ordine reperientur, iudicantibus, idoneus reperiatur, & approbetur, L. ſi quis, C. de profeſſ. & med. lib. 10.

Ac idem in academijs Italicis obſeruatur, vt ſeptem doctores interſint laureæ doctorali, à quibus approbetur laureandus.

Septenarius in prophetijs, de Chriſto.

SEPTEM recordor prophetias de Chriſto in Euangelio me reperiſſe, quarum vna fuit vxoris Pylati, dicentis nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum per viſum propter eum, Matth. 27.

Secundò ibidem Pylati ipſius dicentis, innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.

Tertiò Dæmonij dicentis, quid mihi, & tibi eſt Ieſu fili Dei altiſsimi, obſecro te, ne me torqueas, Luc. 8.

Quartò turbarum dicentium, hic eſt verè Propheta, hic eſt Chriſtus, Ioan. 7.

Quintò nunquàm locutus eſt homo, ſicut hic, ibidem, Ioan. 7.

Sextò Matthæi 21. cùm dicerent Iudæi, hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galileæ.

Septimò Centurionis, & militum dicentium, Matthæi 27. verè filius Dei erat iſte.

Septenarius interminationum Chriſti.

ET ſepties interminatus eſt Chriſtus Iudæis, inquiens ſepties hæc verba: Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, Matth. 23.

Sep-

Septenarins in fratribus.

ET ſeptem fratres, vnam eandemq; mulierem duxerunt, vnus poſt alium, Matthæi 21.

Septenarius in cladibus.

ET actuum 13. legitur quòd Deus deſtruens gentes ſeptem, in terra Chanaam, ſorte diſtribuit Iſraëlitis terram eorum.

Et quòd muri Hierico corruerunt circuitu dierum ſeptem, ad Hebræos 11. & Ioſue. 6.

Septenarius in epiſtolis Apoſtolorum.

ET Paulus ſcripſit bis ſeptem epiſtolas: & ſcripſit ad ſeptem Eccleſias gentium: & reliqui Apoſtoli, ſeptem tantum ediderunt epiſtolas: & hæ ter ſeptem, Catholicæ vocantur epiſtolæ.

Septenarij à Chriſto dicti.

SED & ipſa oracula Chriſti ferè ſeptenario numero verborum ſunt compræhenſa.

Velut illud comminantis: Væ homini illi, per quem ſcandalum venit, Matth. 18.

Et illud mandantis: Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata, Mat. 19.

Et illud interrogantis: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Matth. 20.

Et illud imprecantis ficulneæ: nunquàm ex te fructus naſcatur in ſempiternum, Matth. 21.

Et illud Adagium Chriſti: Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ, Matth. 24.

Et illud maledicentis: Diſcedite à me Maledicti in ignem ęternũ, Matth. 25.

Et illud axioma: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi, Mat. 22.

Septenarius in ſermone Chriſti in cruce pendentis.

SEPTIES in cruce pendens locutus eſt CHRISTVS, ſicut apud Euangeliſtas legimus, & viri ſancti iampridem religioſè obſeruarunt.

Septe-

Septenarij verborum Chriſti.

ET illi ſeptenarij apud Ioannem, cap. 14. Ego ſum via, & veritas, & vita.

Nemo venit ad patrem, niſi per me.

Philippe qui videt me, videt & patrem.

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.

Septenarius in diluuio.

EST quoq; obſeruandum, quod Mathuſalem (qui eſt ſeptimus ab Adam) moriebatur, cùm diluuium accidit, & erat tunc Noë nepos Mathuſalem.

Et ſcriptum eſt, Gen. 8. cap. Requieuit arca Noæ menſe ſeptimo. Dixit item Dominus Noæ, ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, & ſeptena: ſed & de volatilibus cœli ſeptena, & ſeptena: bina enim, & bina ingrediuntur immunda: & ſeptena quæ ſunt munda: & de his agitur, 32. queſt. 1. cap. nuptiæ.

Septenarius Archiepiſcoporum.

ET regnante Carolo Magno, ſeptem tantum erant ciuitates metropolitanæ in Italia: Genua, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulij, Gradus, Tarentaſia, Ebrodunum. In Imperio Germanico ſeptem: Colonia, Maguntia, Treueris, Salisburgum, Veſuntio, Arelatum, Vienna. In Francorum Regno ſeptem: Rotomagus, Senones, Lugdunum, Rhemi, Burdegala, Turones, Bituriges.

Septenarius Cæſarum morientium.

ET à tempore Iulij Cæſaris, ad tempora Caroli Magni, quinquies ſeptem Cæſares, violenta morte perierunt: triginta nempè à militibus interempti, quinq; à ſeipſis interfecti ſunt.

Septenarius in externis Cæſaribus.

HISPANIA, Pannonia, Britannia, Dalmatia, Gallia, Thracia, Cappadocia, peregrinos dedit Cęſares Romanos, ex quibus perpauci

à vitę commendatione laudantur vſque dum ad Ottones,& multos præclaros Germanicos Cæſares ventum eſt.

Septenarius in Luna.

LVNA quoq; numerum ſeptenarium vbiq; ſequitur,vt iàm anteà tetigi, quod vt apertius fiat, ſciendum eſt eam 28. diebus: & ſeptem horis: curſum ſuum abſoluere, quæ ſpacia faciunt quater dierum ſeptenorum: ſeptenariumque horarum:etenim 28.naſcuntur ex numero ſeptenario.

Hunc porrò numerum, qui in quater ſeptenos digeritur: æqua ſorte,ad totam Zodiaci latitudinem emetiendam, remetiendamq; conſumit.

Septem diebus,ab extremitate ſeptentrionalis oræ, obliquè meando per latum, ad medietatem latitudinis peruenit, qui locus àppellatur Eclipticus.

Septem ſequentibus: à medio, ad imum Auſtrale delabitur.

Septem alijs: rurſus ad medium obliquata conſcendit.

Vltimis ſeptem:ſeptentrionali redditur ſummitati ijſdem quater ſeptenis diebus: omnem Zodiaci,& longitudinem,& latitudinem: circum,perq; diſcurrit.

Similibus quoq; diſpenſationibus hebdomadum,luminis ſui vices ſempiterna lege variando diſponit.

Primis enim ſeptem,vſque ad medietatem, velut diuiſi orbis, excreſcit,& dichotoma tunc vocatur.

Secundis ſeptem: orbem totum renaſcentes ignes colligẽdo iam complet,& plena tunc dicitur.

Tertijs ſeptem: dichotoma rurſus Luna efficitur, cùm ad medietatem decreſcendo contrahitur.

Quartis ſeptem: vltima luminis ſui diminutione extenuatur.

Septem quoq; permutationibus,quas phaſes Græci vocant, toto menſe diſtinguitur,cùm naſcitur: cùm fit dichotoma: cùm fit amphicurta: cùm plena fit. Atq; cùm rurſus fit amphicurta: ac denuò dichotoma: & cùm ad nos luminis vniuerſitate priuatur.

Amphicurta eſt autem,cùm ſuprà diametrum dichotomi eſt,antequàm orbis cõcluſione cingatur:vel de orbe iã minuens,inter medietatẽ, & plenitudinem: inſuper mediã luminis curuat eminentiã.

Septenarius conuerſionum in tempore.

Tres

TRES quoque conuerſiones lucis ætheteæ, per hunc numerum conſtant.

Eſt autem prima maxima, ſecunda media, minima eſt tertia.

Maxima eſt anni, ſecundum Solis reſpectum: media menſis, ſecundum Lunæ reſpectum: minima diei, ſecundum ortum, & occaſum diei.

Eſt verò vnaquæq; conuerſio quadripartita, & ità conſtat ſeptenarius numerus, id eſt, ex tribus generibus conuerſionum, & ex quatuor modis, quibus vnaquæque conuertitur.

Hi ſunt autem quatuor modi.

Fit enim prima humida: dein calida: indè ſicca: & poſtremò frigida conuerſio.

Maxima conuerſio anni ſcilicet: humida eſt verno tempore: calida æſtiuo: ſicca autumno: frigida per hyemem.

Media autem conuerſio menſis, per Lunam ità fit, vt prima ſit hebdomas humida: quia naſcens Luna, humorem ſolet concitare: ſecunda calida: adoleſcente in ea, & augeſcente iàm luce de Solis aſpectu: tertia ſicca: quaſi plus ab ortu remota: quarta frigida: deficiente iàm lumine.

Tertia verò, & minima conuerſio quæ eſt diei: ſecundum ortum, & occaſum: ità diſponitur, vt humida ſit vſq; ad primam de quatuór partibus diei partem: calida vſque ad ſecundam: ſicca vſque ad tertiam: quarta iàm frigida.

Et hęc quidem omnia ſecundum communes naturę leges, à Deo aſtris relictas.

Verum variantibus quibuſdam motibus: & occulta quadam vi motuum, & aſtrorum, ſtellarumq; ſuperiorum: tàm fixarum, quàm errantium: & ratione corporum inferiorum: quæ vel nimis vliginoſa in terra: & paludoſa: & vicina Oceano: aut ſeptentrionibus propinquiora ſunt: aut aliter, atq; aliter ſe habent: variari, & immutari hæc contingit: de quibus aliâs.

Septenarius in Geometria.

SED & Geometrica ratione oſtendi poteſt, hũc numerum eſſe omnium perfectiſſimum: & in quibus rebus hi numeri plures ſint, in ijs eſſe plus perfectæ, abſolutæq; naturæ, & virtutis: quod vt intelligatur, ità accipiendum eſt.

Omne ſolidum corpus, trina dimenſione oſtenditur: habet enim longi-

longitudinem, latitudinem, profunditatem, nec poteſt inueniri in quocunque corpore quarta dimenſio, ſed his tribus, omne corpus ſolidum continetur.

Hoc autem corpus ex quatuor naſcitur corporibus Mathematicis, cogitationi tantum ſubijciendis, non ſenſui.

Punctum eſt corpus indiuiduum, in quo neque longitudo, neque altitudo, depræhenditur: quippe quod in nullas partes diuidi poſsit.

Punctum protractum efficit lineam, id eſt, corpus vnius dimenſionis: longum eſt enim ſine lato, ſine alto, & duobus punctis ex vtraq; parte, ſolam longitudinem terminantibus, continetur.

Linea ſi geminetur, alterum Mathematicū corpus efficitur, quod duabus dimēſionibus æſtimatur longo, latoq;, ſed alto caret, ſiue profunditate: & hoc eſt quod apud Geometras ſuperficies vocatur. Punctis autē quatuor cōtinetur, id eſt per ſingulas lineas binis punctis.

Si verò duabus lineis illis, duas ſuperpoſueris, adijcietur profunditas, quæ eſt altitudo, ſiue denſitas. Et hinc corpus ſolidum efficietur, quod ſine dubio, octo angulis continebitur, ſicut videmus in teſſera: quæ Græco nomine cubus vocatur.

Hinc colligis ſeptem diuerſa punctum corpus indiuiduum: lineam corpus diuiduum in longitudine: ſuperficiem corpus diuiduum in longitudine, & latitudine: & profunditatem corpus diuiduum in longitudine, latitudine, & altitudine.

Quibus quatuor ſi illa tria addas, quæ ſemper corporibus coniuncta, nunquàm ab illis ſunt ſeparata, longitudinem, latitudinem, altitudinem, iàm ſeptenarium numerum perfectè cōfeceris, videlicet punctum, lineam, ſuperficiem, & corpus, ſiue ſolidum, deindè longitudinem, latitudinem, altitudinem.

Si corpora elementaria mauultis, quæ ex aëre, igne, aqua, terra, conſtāt, rurſus ſeptenarius concurrit cum dimenſionibus longitudinis, latitudinis, altitudinis.

Septenarius in Arithmetica.

SED his Geometricis rationibus applicetur natura numerorum.

Monas punctum putatur, quia ſicut punctum corpus non eſt diuiduum, ſed ex ſe facit corpora, ità monas, ſiue vnitas numerus eſſe non dicitur, ſed origo numerorum.

Primus ergo numerus in duobus eſt, qui binarius vocatur, & hic eſt ſimilis lineæ, quæ à puncto ſub gemina puncti terminatione producitur, & eſt primum corporum Mathematicorum linea.

Hic numerus binarius geminatus, efficit quatuor de ſe ad ſimilitudinem Mathematici corporis, quod ſub quatuor punctis longo, latoque diſtenditur, & ab illis ſuperficies vocatur.

Quaternarius quoque ipſe geminatus octo efficit, qui numerus ſolidum corpus imitatur, ſicut duas lineas dixi duabus ſuperpoſitas octo angulorum dimenſione integram corporis ſoliditatem creare, &hoc eſt, quod dicitur apud Geometras bis bina bis, corpus eſſe iàm ſolidum.

Ergo à pari numero acceſsio vſq; ad octo ſoliditas eſt corporis.

Idem & in numero impari, monas enim eſt principium numeri vtriuſque paris, & imparis, & non eſt numerus.

Primus numerorū impariū eſt ternarius, & æquiparatur lineæ.

Secundus Nouenarius, quia ternarius triplicatus efficit nouenarium, qui & ipſe quaſi de duabus lineis longum, latumque corpus efficit, ſicut quaternarius ſecundum de paribus efficit, & æquiparatur ſuperficiei.

Nouenarius triplicatus tertiam dimenſionem præſtat, &ità à parte imparis numeri in viginti ſeptem, quæ ſunt ter terna ter, ſolidum corpus efficitur, ſicut in numero pari: bis bina bis: qui eſt octonarius, ſoliditatem creauit.

Ergo ad efficiendum vbique ſolidum corpus, monas neceſſaria eſt, & ſex numeri alij, id eſt, terni à pari, & terni ab impari.

Omne autem ſimile parit ſuum ſimile, eoque quàm maximè naturaliter delectatur. Terni autem numeri pares erant, duo: quatuor: octo.

Terni impares, tria: nouem: viginti ſeptem: quibus addita monade, ſiue vnitate, ſeptenarius numerus rectiſsimè, & Arithmeticè, Philoſophiceque conficitur.

Quemadmodum autem primus numerorum parium binarius, & primus numerorum imparium ternarius ſimul iuncti efficiunt quinarium, ità illi vltimi numeri pares, & impares ſimul iuncti, hoc eſt, xxvij. & viij. quinque efficiunt hebdomades, ſiue ſeptenarios, & hunc numerum ad animæ deſcriptionem Plato contulit in Timæo.

Impar numerus mas habetur, par numerus fœmina.

Forma actus dicitur: materia, potentia: forma eſſe vocatur: materia

teria eſſentia: compoſitum ex ipſis ens nuncupatur.

Vnitas ipſa forma eſt, & actus.

Binarius materia, ſiue potentia.

Ternarius compoſitum, ſiue ens.

Sic quidam, eſſe, patri.

Eſſentiam ſpiritui.

Ens filio tribuunt, quaſi filius ex actu diuinitatis, & potentia humanitatis, CHRISTVS IESVS, formam ſui acceperit, ſed quam ab æterno habuit, ab ea non recedens.

Vnitas ipſa eſt.

Binarius vnio eſt.

Ternarius vnum eſt.

Quemadmodum autem vnitas influit in numerum parem, qui eſt binarius, & in numerum imparem, qui eſt ternarius: ità illo influxu vtrimq; influente, videmus apertiſsimè confici ſeptenarium.

Septenarius in Geneſi numerorum.

SED ſeptenarius vel ex vnitate, & ſenario, vel ex quinario, & binario, vel ex quaternario, & ternario efficitur (eorumq; numerorum vis eſt multiplex) vel ex ſeptem monadibus, ſed hi modi gignendi anormali ſunt.

Sed vt hoc quoque rectius intelligatur, & maieſtas huius numeri ſeptenarij apertius demonſtretur, ſciendum eſt, quod iam anteà attigi, decem eſſe ſpecies numerorum: vltrà enim denarium, nullus eſt numerus, ſed numeri repetitio: idem obſeruant Ægyptij, idem Græci, idem Latini, idem noſtri, idem veteris, & noui Carolini orbis multi incolæ: nolo enim dicere omnes, quia maior pars non ad denarium, ſed ad ſeptenarium numerat, ibiq; finit numerum ſuum.

Natura numerorum eſt, vt alios pariant, aut ab alijs pariantur, & naſcantur, gignant, vel gignantur, vel vtrumq; faciant, apud omnes veteres, tàm Græcos, quam Latinos.

Vnitas omnium numerorum eſt principium, & fons, & origo, ſed non eſt numerus.

Primus ergo numerorum eſt binarius, & hic non generatur, ſed generat, ex duobus enim binarijs, quaternarijs producitur.

Ternarius numerus non generatur, ſed generat: nam ex duobus

ternarijs fit ſenarius.

Quaternarius generatur ex duobus binarijs, & generat, ex duobus enim quaternarijs, fit octonarius.

Quinarius non generatur, ſed generat, ex duobus enim quinarijs, denarius producitur.

Senarius generatur ex duobus ternarijs, non autem generat cùm vltrà denarium nullus ſit numerus, ſed potius numerorum (vt attigi) repetitio. Atq; hic quidem ſenarius ex ſuis partibus aliquoties ſumptis reſultat.

Partes autem aliquotæ dicuntur, quæ aliquoties ſumptæ ſuum totum præciſè reddunt. Veluti ſenarij partes aliquotæ, vnitas, binarius, ternarius ex quibus ſimul aggregatis ſenarius conſtat, ſexies enim vnum, ter duo, bis tria, ſenarium exprimunt.

Octonarius ex duobus quaternarijs, ſeu ex quatuor binarijs conficitur.

Nonenarius ex tribus ternarijs naſcitur.

Denarius ex duobus quinarijs gignitur.

Ex his liquidò apparet iſtos numeros naſci ex ſe inuicem, aut ſe inuicem procreare, eaque eſt numerorum omnium ſpecifica, & diſtincta natura, & proprietas.

Vnus autem eſt numerus ſeptenarius, qui tanquàm idęa aliqua, neq; gignitur, neq; gignit, vndè ſeptenarius numerus dictus eſt eſſe minerua, quę ſine matre virgo permaſit, ac ex Iouis cerebro nata ſit.

Septenarius enim numerus ex numerorum ſpeciebus parturiri nequit, niſi ex diuerſis vtpotè ex ternario, & quaternario, quæ ſpecies quoniam diuerſæ ſunt: nihil ſecundum naturam numerorum gignere poſſunt, ex diſparibus enim ſpeciebus, & naturis numerorũ nihil niſi ſupernaturale, & diuinum naſci poteſt, in rebus perfectis, in imperfectis autem monſtroſum, & contrà naturam.

Septenarius itaq; numerus ſolus ex omnibus numerorũ ſpeciebus ſtat, & permanet, & quieſcit, nec actionem ſentiens, nec paſsionem, nec materiam, nec formam, eſtq; ſolus omnibus ex ſpeciebus numerorum perfectiſsimus, & abſolutiſsimus, quemadmodum ex numeris cõpoſitis Quadragenarius eſt ſanctiſsimus, diuiniſsimus, optimus.

Septenarius in ætatibus mũdi.

SEPTEM ętates mundi ab Auguſtino in Geneſim commemorantur: ab Adam, ad Noë prima, a Noe ad Abraham ſecunda, illinc ad Daui-

Dauidem tertia, hinc ad tranſmigrationem Babilonis quarta, hinc ad aduentum CHRISTI quinta,hinc ad finem ſæculi ſexta,& quietis ætas dicitur ſeptima.

Septenarius à Chriſto ſanctificatus.

HVNC ſeptenarium autem ſanctificauit CHRISTVS multipliciter, ſicut anteà oſtendi, illum ſanctificaſſe numerum Quadragenarium.

Septem horis fuit cruci affixus.

Septimaq; paſsionis in cruce hora expirauit, poſtquàm tenebræ ab hora ſexta,vſque ad nonam factæ fuiſſent,per vniuerſam terram, Mar.15.

Septem partibus corporis ſui,ſanctiſsimus cruor eius effluxit, ex dorſo cùm flagellatus fuit, ex capite cum ſpinea corona caput eius implexum fuit, ex manibus duabus, & ex duobus pedibus, tribus clauis cruci affixus cùm eſſet, & ex latere, quod lancea miles aperuit ei in cruce pendenti, ſicut hæc apud Matthęum,Marcum, & Ioannē, alioſq; Scriptores catholicos commemorantur.

Septimum diem totum iacuit, & quieuit in ſepulchro, qui erat dies Sabbati.

Septies ſeptem diebus poſt reſurrectionem expletis,miſit paracletum ſpiritum ſanctum,quod tempus Pentecoſte appellatur.

Septenarius apparitionum Chriſti.

ET ſepties à paſsione apparitiones diuerſas oſtenderat de ſua reſurrectione,mulieribus,& diſcipulis ſuis,ſicut hæc ab Euangeliſtis,& alijs viris ſanctis, & fide dignis obſeruata fuerunt, Ioan.20. & 21. & in epiſtola Pauli ad Corinth.1.cap.15. & alibi.

Septenarius miraculorum Chriſti.

SEPTEM quoque magna, & diuerſa ædidit miracula, aquam in vinum mutans,paraliticos ſanans,cęcis viſum,claudis greſſum reſtituens,demoniacos curans, & ex Magdalena ſeptē demonia eijciens, turbas multorum milium hominum paſcens, ſemel quinque panibus,& duobus piſcibus, & rurſus ſeptem panibus,nonnulliſq; piſci-

bus, ſeptimò mortuos reſuſcitans, & inter cæteros Lazarum, qui quatriduanus erat, & fętebat: & hic ſeptenarius à ſanctis quibuſdam viris olim fuit animaduerſus.

Septenarius in martirio Apoſtolorum.

PAVLVS decimo quarto Neronis anno, capite truncatus fuit Romæ.

Petrus decimo quarto Neronis anno, cruci affixus eadem die, qua Paulus etiàm Romæ. Decimo quarto Domitiani anno, Ioannes Euangeliſta in Pathmon Inſulam relegatus fuit.

Septenarius generationum Euangelicarum.

OMNES generationes ab Abraham, vſq; ad Dauidem, generationes quatuordecim: à Dauide, vſq; ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim.

A tranſmigratione Babylonis, vſque ad CHRISTVM, generationes quatuordecim, Matth. 1.

Multa ſunt alia generis eiuſdem, ſed hæc nunc ſatis ſint: ſi enim omnia coâceruentur non Quadraginta notæ, ſed Quadraginta notarum milia notabuntur.

Quemadmodum autem rectè ait diuus Hieronymus, quòd ad menſuras myſticas intelligendas, ſcientia opus eſt: ità planè ad perfectionem, conſummationemq; naturæ Caroli Maximi cognoſcendam, inſpiratione numerorum, & gratia, afflatuque Dei planiſsimè indigebamus.

Sæpè autem hoc dixi, & iterum dico, & non ceſſabo dicere, & repetere, vt prouidentiæ Dei, non Cæſaris laudi, cuncta adſcribantur.

Cæſar Quadragenarium, & Septenarium numerum multis in rebus eſt conſecutus, ſicut ex ijs, quorum anteà memini, patet. Et in hiſtoriæ lectione, tàm tumultuariè, & effuſè ſe pandent, vt diuinæ prouidentiæ, & ordinis diuini gloria (me tacente) ſummè ſit conſideranda.

Sed inter cætera Quadraginta equis diſpoſitis, quadragies mutatis, per Gallias anno ſæculi noſtri, & vitæ ſuæ Quadrageſimo, Pari-

ſios venit, diebus Quadraginta ex Hiſpanijs: ſeptem Cubicularijs ſuis, viris illuſtribus comitatus, quorum nomina hæc ſunt, D. Henricus à Toleto Dynaſta, Dynaſta Ryenſis, Dynaſta Laſſaus, Comes, Boſſuus, Dynaſta Arbeza, Dynaſta Flagiacus, & Comes Carolus Ægmundanus. Dux Albanus autem, & Dynaſta Petrus à Cueua Magiſtri Curiæ adfuerunt quidem Cæſari, ſed tùm temporis non vocabantur Cubicularij. Et Auyla Dynaſta habebat quidem clauẽ Cæſaræi cubiculi, ſed Romam à Cæſare legatus fuit: & calendis Ianuarijs Pariſiorum Luteciam Cæſar ingreſſus, mãſit ibi diebus ſeptem, fungens Imperio, & poteſtate Regia, in vrbe Regia.

Ter ſeptem milia peditum, & ſeptingentos equites, Thunetum in Libyam duxit, nullis mulis clitellarijs, nullis curribus adiutus: machinas bellicas, & impedimenta, & commeatum, & tabernacula milites trahebant. Ac in illa Libyca Africana expeditione, concio Cæſaris talis fuit.

Concio Cæſaris in Africa ad milites.

VT ordines mordicus, & conſtanter milites tuerentur, nec à ſignis vllo modo diſcederent.

Non irent, niſi cùm ipſe iret.

Non quieſcerent, niſi cùm ipſe quieſceret.

Nihil facerent, niſi quod eum prius facere, & moliri viderent.

Eaque concio, omnium iudicio, ſaluti fuit toti exercitui.

Mos militaris Cæſaris in caſtris.

IPSE primus in agmine ſemper fuit ſuo, nonnunquàm xv. horas, nonnunquàm diutius in equo armatus continuas reſidens.

Alia agmina aliquandò concionandi, & adhortandi milites cauſa obequitabat, ſed id ferè initio collocandarum, & inſtruendarum acierum.

Sed poſtquàm acies inſtruxerat, ipſe ſe in fronte ſui agminis conſtituit: & tùm per alios, alijs agminibus, & legionibus, quæ fieri vellet, mandauit: ne ſi ſe temerè, ex ſuo agmine commouiſſet: cùm caſus vrgeret: in tempore, & loco ſuo reperiri non poſſet.

Audaciſsimus fuit in omnibus expeditionibus ſuis, ſic vt mor-

tem planè contemnere videretur: ità ſe ad omnia pericula impauidum offerebat: vt nuſquàm ad Bombardarũ ictus caput inclinaret: nuſquàm pedem moueret: nuſquàm expalleſceret.

Et tamen cùm armabatur laminis, thoracibuſque ferreis: initio inter armandum paululum horrebat corpus: ac toto vultu albeſcebat: quaſi paueſcens.

Sed cùm armatus, & loricatus, & galeatus erat: iàm nullus Leo erat illo fortior, aut animoſior, minuſque aliquid expaueſcens.

Et quidem in caſtris, ſic contrà hoſtes, ſe (ſuprà humanum modum) audacter gerebat: vt occidi velle in militia videretur.

In omni quoque ætate, nunquàm cupidus vitæ, ſemper mortis auidus fuit.

Sæpè etiam in caſtris, & flore ſuę iuuentutis dixit illud Paulinum, Cupio diſſolui, & eſſe cùm CHRISTO, vt anteà tetigi.

Tranquillitas, & pietas Cæſaris in caſtris.

CVM huius inuſitatæ fortitudinis, audaciæque militaris cauſas indagarem, repperi nullam expeditionem eum ſuſcepiſſe in hoſtes niſi animo tranquillo, & optima conſcientia, boni iuris ſui freto: ſic vt ſe cauſam in bello iuſtam, honeſtamque fouere, & cùm AD NECESSARIVM BELLVM SINE VLLA SPE LVCRI, EX RE ALIENA COMPARANDI, SE VENIRE DICERET: tùm meliores belli partes planè tueri perſanctè, & purè crederet.

Nouas quoq; preces in ſingulas expeditiones ipſe ſuo Marte concipiebat: ſuaq; manu conſcribebat: longas ferè ſeptem pſalmorum longitudine, quas triduo antequàm eis vteretus, illis qui ei erant à confeſsionibus, examinandas, approbandaſque exhibebat: ac illas approbatas ipſe quotidiè, etiam in agmine, & acie exiſtens legebat, diuertens ſeſe nonnunquàm (cùm in oratione incaleſceret) per ſpeciem lotij reddendi, aut alui laxandi, ab agmine, vt prolixius, ferueuntiuſque oraret.

Illas autem preces Adriano Syluano (cùm eſſet ſpes conflictus) cuſtodiendas dabat, mandabatq; (ſi quis durior caſus ei accideret) vt eas diſcerptas diſpergeret, atque diſperderet.

Multi hæc ſępè, & ſeriò animaduertentes: & quòd domi, militięq; æquè cõtinuus eſſet Carolus: æquèq; prolixus in orationibus, & precibus ſuis cõſiderantes: dixerunt, CAROLVS SÆPIVS CVM DEO,

QVAM HOMINIBVS LOQVITVR.

Ad Angelopolim quoque Danubianam ſeptem phalanges, ſeptemque alas, pro caſtris inſtruxit: eamq́; formam caſtrorum multis in bellis conſeruauit.

Comitem Boſſuum ſigni ſui Imperatorij geſtorem, & vexilliferũ, virum ſtrennuum, & fortem: omnibus in bellis circum ſe ſemper habebat. Ac eum bello Menapiorum ſecundo abſens, toti exercitui Belgico præfecerat: qui diebus vno & viginti, id eſt, ter ſeptenis, ter ſeptẽ munitas vrbes, arceſq́; in agro Iuliacenſi expugnauit. Septimo bello Menapiorum, Ferdinandum Gonzagam præſens ſibi legauerat: ac tùm ſeptendio, Quadraginta vrbes cepit ab hoſte: ac ſeptimo die ſeptem Dynaſtias hoſtiles in poteſtate ſua habuit, ex quibus qua tuor erant ducatus, tres comitatus titulo inſignes. Sed reliquis hoſti redditis, Geldriam ſuam tantum (vt dixi) conſeruauit. Eundem Gonzagam bello Cambreſiaco, & Campano poſteà quoq́; ſibi legatum conſtituit: & iàm anteà bellis duobus Libycis ad Carthaginem: & Iuliam Cæſaream: & adhuc anteà ad bellum Hetruſcũ, mortuo Philiberto Aurangiæ Principe, eundem ſibi ſubſtituit, virum fortiſsimum, fideliſsimumque: eoque legato Florentia ſeſe Cæſari tùm dedidit.

In bello Prouinciali quoque inſigni eius opera in equitatu leuis armaturæ conducendo erat vſus. Multi enim ab eo hoſtes, & inter cæteros cateruæ Boyſsij, & Monteiani conciſæ fuerant ad Fanum Maximini, & Magdalenæ (vt anteà tetigi) ac niſi quorundam Ducum altercationes interueniſſent, Galluſque duellum prolongâſſet, & Maſsiliæ capiendæ vanam ſpem quandam nonnulli oſtentâſſent: ac Antonius Læua Cæſaris eo bello Legatus, vir cùm fortiſsimus, tùm fœliciſsimus, ibi ingraueſcente veteri morbo ſuo mortuus fuiſſet, magna erat ſpes: animaduerſa Gonzagæ, & Dauali Marchionis Guaſti alacritate pugnandi, magnam, & acerbam cladem Gallo id temporis inferendi: ſed cum ad eam altercationem diſenteriæ accederet lues, caſtra Cæſaris (quæ Auguſto menſe ad Vineta aquenſia conſidebant) infeſtans: ac Franciſcus Rex Galliæ antè Auenionem vltrà Druentiam, & Rhodanum, duos rapidiſsimos amnes, magnis operibus, & præſidijs ſua caſtra muniret, nullamque pugnæ copiam faceret: receptui Cæſar cecinit more militari: copiaſque magna vaſtitate toti Prouinciæ (per Quadraginta leucarum ſpacia) illata: nulla cohorte, aut ala ſuorum à Gallis intercepta: in Italiam militariter, & fœliciter reduxit.

Sum-

Summa in hoc receptu tributa eſt laus Cęſari ab omnibus vetera nis,tàm militibus, quàm centurionibus. Etſi enim non parum erat tàm longè in Gallias progredi: tamen tamdiù in Gallijs hærere: & poſtquàm hæſiſſet, reuerti cum ſaluo exercitu (nullo ſigno amiſſo) plurimi omnes fecerunt.

Similis altercatio ad Landreciacam,& ad Metenſem obſidionem accidit, eaq; res impedimento fuit præter hyberni frigoris vtroque tempore inclementiam, quominus hîc Albanus: illîc Gonzaga: veteri ſua gloria, & fœlicitate militari, vti, & frui potuerint. Albanus enim & ex Pannonia, & ex Africa, & ex Italia, & ex Gallia, magnas victorias reportauit. Sed potiſsimum ex Hiſpania repulſo Henrico Valæſio Galliæ nunc Rege à Perpeniano: & nuper deuicta, & debellata ter per eum tota ſub Cæſaris auſpicijs Germania.

Tanta enim illis viris ſemper adfuit in ſuſcipiendis bellicis cogitationibus grauitas,& ſapientia militaris, cum ſumma alacritate,& fœlicitate coniuncta: vt duæ illæ cunctationes ſolæ noxiæ, reliquæ res omnes illis lætæ extiterint.

Cæſaris autem (ſicut dixi)tribus illis in expeditionibus virtus eximia bellica enituit, qui omnes cohortes, centuriones, tribunos, ſapientiſsimè, fortiſsimeque ad ſuos recepit, hyemi cedens.

Allobrogum quoque Princeps Philibertus, qui nunc patre mortuo Sabaudiæ Dux euaſit, præclaram Cæſari bellis Germanicis, & Gallicis operam nauauit,nouumq; illum Scipionem fore milites,& Tribuni omnes rebantur. Neque enim quicquàm Cæſaris Legatus cum eſſet bello Gallico vltimo,niſi laudabiliter,&magnanimè geſsit eique Teruanæ,& Heſdinij expugnationes violentæ,& nouarum vrbium trium exædificationes à Cæſare locis Limitaneis factæ, & Veromandui ſubacti, & duo prælia fœliciter in Belgica nuper pugnata à Belgis accepto fruuntur.

Gulielmus Orangię Princeps,ad Philippopolim Cęſaris in exercitu Legatus, & Carolus Berlemontij Dynaſta, ad Carolomontem pariter Cæſaris ſummus Legatus, totiuſque Cæſariani Dux exercitus, permagnas induſtriæ Belgicæ, Imperatoriæque virtutis, laudes ab omnibus centurionibus retulerunt.

In Amurate Gaueriorum Principe, Ægmondenſiumq; Comite, ſuprà omnes Belgas militarem genium, & ingenium ſe animaduertere Carolus dicebat: proximum huic Gulielmum Orangiæ Principem: tertio loco Carolum Megenij Comitem collocabat, eumque virum acerrimum dicebat.

Ac

Ac ſi Cęſar rem pręlio decerni,hoc poſtremo bello Gallico,quod ipſe Cæſar geſsit, permiſiſſet iamdudum, Philibertus Dux Sabaudiæ: Gulielmus Orengiæ princeps: Amurates Comes Ægmondenſium, Princepſque Gaueriorum: Ioannes à Ligneo Marchiæ, Arenbergæq; Comes, & Barbanſoniorum Dynaſta: Carolus à Brymeo Megenij Comes: Carolus Berlemontij Dynaſta, Arenbergani ſororius: ac Ioannes Marchio Bergenſium, VValenijq; Comes: Martis, & Bellonæ iudicio, cauſam Cæſaris definiendam mandaſſent: omniumq; iudicio veteranorum ad Quercetum, ad Rentiacum, ad Carolomontium, res in certamen cum Gallo fuerat deuocanda, cum certa ſpe, fiduciaque victoriæ.

Ac ego quidem hac Equitum illuſtriſsimorum nomenclatione viri illuſtres in præſens contentus ero: ſunt enim veſtri aurei velleris Equites, omnes quos commemoraui, nec ſolum mea laudatione, ſed ſempiterna hominum memoria digniſsimi.

Octauius autem Farneſius Cæſaris gener illuſtris Collega veſter, tàm præclaram multis bellis & Cęſari, & Philippo Regi Cæſaris filio, operam, induſtriamque nauauit: vt ſæpè Carolus coactus ſit dicere: Conſilia militaria Octauij, maius imperium, maioremq; authoritatem in exercitu expoſcere. Itaque eum, eiuſque coniugem, arcanè filio, & diligenter commendauit.

Temperantia Cæſaris in bellis eximia.

Cvm viri multi militares Cæſarem vincere quidem nôſſe: ſed victoria non peræque vti nôſſe, aut velle dicerent: ac Cæſaris Iulij commentarijs in medium adductis, celeritate victorias non ſolum nactum Iulium: ſed proſecutum proponerent. Reſpondere illis ſolebat Cæſar: veteres tantum vnum habuiſſe finem, videlicet honorem: nobis Chriſtianis duos eſſe propoſitos fines: illum ſcilicet; & animæ ſalutem.

Sæpè dixit Cæſar, Etsi haberem expvgnatvm totvm regnvm gallicvm, redderem illvd regi, quandò id exiguum (quod meum eſſe contendo) mihi relinqueret. Neq; enim (inquiebat) ego quicquàm in Regnum Gallicum iuris habeo: ac ſi haberem: alia mihi bellandi ingredienda eſſet via.

Caſtitas Cæſaris in matrimonio.

Caſtiſ-

CASTISSIMVS Cæſar fuit in ſeruandis legibus matrimonij: & quamdiu vxorem habebat: nulla de eo fama, aut ſuſpicio emanauit non caſta.

Quanquàm enim à nonnullis nonnunquàm ad libidinem prolectaretur, conſtantiſsimè ſemper tamen reſtitit illectamentis.

Quinimò Cæſar vxorem habens, ſæpè clauſit ipſemet feneſtram: ne inſpiceret formoſiores fœminas: cùm eas ex feneſtra eminus aduentantes, aut prætereuntes vidiſſet, aut etiam præterituras inaudiſſet.

Pudori fœminarum optimè ſemper cœlebs cùm eſſet, Cæſar conſultum voluit, vt nemini ipſe vnquàm ea in re propter exemplum fuerit offendiculo.

Quin verò nunquàm ſe ducturum vxorem ſæpè dictitauit, ſi Ferdinandum fratrem tàm fœcundum fora diuinâſſet.

Nec ſe appetere prolem olim dicebat: modò fratris filios videret.

Accidit autem vt vno tempore vtriuſq; vxoris vterus tumeſceret, fœlicemque partum eniteretur.

Sed poſtquàm hunc filium Philippum nactus eſt Cæſar (naturâ docente) omnia in illum charitatis, & liberalitatis paternæ officia contulit munificentiſsimè.

Nunquàm choreis, aut tripudijs delectatus eſt Cæſar, præterquã decoris, & honeſti reſpectu.

Sed nec veſtium ornatu operoſiorum, niſi coactus id faceret diei ſacri, aut Principum maiorum ergô.

Cæſar nunquàm iurabat in ſermone.

NVNQVAM per aliquod numen iurare auditus fuit, niſi cum fœdera inijt, aut Regnis inauguratus eſt.

Acumen ingenij, iudicijque Caroli.

CÆSAR ſuprà modum acuto ingenio, & perſpicaci fuit: ità vt humanam naturam præuertere iudicij ſui diuini acrimonia crederetur.

Eiuſque rei olim Carondiletus Archiepiſcopus Panormitanus, & Gran-

Granuellanus, & Cobonus, & Pratenſis, & Vaſtius, & Gonzaga, & Auria, omnes præclariſsimi Dynaſtæ, varia olim dederunt teſtimonia: qui ſæpè Cæſaris prudentiam, & ſapientiam admirati, multa illum in toga, & ſago animaduertiſſe, & prouidiſſe ſapientius, & diuinius confirmauère, quàm quiſquàm aut Senatorum, aut Tribunorum, vel omnes ſimul coniuncti feciſſent.

Sæpè ſuas ſententias ſcripto compræhendit, eaſq; per Adrianum Syluanum (qui legere non nôrat) ad Dynaſtas illos, alioſque armorum, togæque viros Principes mittebat: ac ſe tamen illorum iudicio ſubmittere præferebat.

Sed ferè ſemper, & vt plurimum in eius ferebantur ſententiam, eũ que melius res peruidiſſe, quàm ſeſe fatebantur.

Elogia de Carolo dicta.

HINC conſtans fama fuit ſemper CAROLVM SAPIENTISSIMVM SENATORVM: FORTISSIMVM CENTVRIONVM: PIENTISSIMVM IVDICVM FVISSE: ac ſæpè reorum crimina excuſaſſe: & benigniorem in partẽ, quàm res ferè pateretur, diuinitate ingenij ſui eſſe interpretatum. Idque in grauiſsimorum criminum ſuſpicione potentiſsimis Satrapis intentatorũ illi perfrequẽter accidiſſe ſcio.

Neruus belli, iudicio Cæſaris.

TRES belli neruos, commeatum: pecuniam: militem: eſſe aiebat.

Cùm aliquo carendum eſſet, militem ſe veteranum electurum: bellumque ſine reliquis duobus adminiſtraturum pronunciabat: reliqua enim duo ſe hoſtibus facilè erepturum promptitudine veteranorum.

Serenitas vultus admirabilis in Carolo.

CVM eſſet in cubiculo cum ſuis familiaribus, & domeſticis, nunquàm quiſquàm res lætas, vel acerbas ad eum eſſe allatas ex vultu eius potuit ſuſpicari: tanta erat oris, oculorumque, & totius vultus Cæſarei conſtantia, & quaſi perennis quædam ſerenitas.

Sententia Caroli in Senatu bellico ſemper grauis, & proſpera.

In Senatu bellico ſemper grauiſsimas dixit ſententias: quas cùm Duces, & Conſiliarij ſui ſecuti ſunt, res proſperè geſtæ, cùm altercando, tergiuerſandóue, aut cunctando non ſunt aſſecuti, inauſpicatè cecidiſſe ferebantur: idque pro certo grauiſsimi viri affirmârunt.

Interrogatus Cæſar quare coniuge mortua, alteram non duxiſſet vxorem, reſpondit boni publici cauſa noluiſſe.

Vita quotidiana Caroli æqualis fuit, & ſui ſimilis, quæ hîc deſcribitur.

Qvotidie tres quartas horę partes genu flexo, numen adorabat manè: longa talari ſupra ſubuculam indutus veſte: ac tùm nemini in cubiculum ingreſſus patebat.

Poſt patebat ijs, quibus ius ingrediendi erat, ac tùm preces ſeptenarias Eccleſiaſticorũ more perorabat. Deindè minus horæ ſpacio ſe veſtiebat. Poſt ad Rempublicã gerendam ſe componebat. Hinc ad ſacrum audiendum ſe comparabat: quod in omni vita ſemper audiuit: præterquã in bello Africano ſemel: quod Frãciſcus à Soto (Cõfeſſor Cęſaris) illi indulgendum Reip. cauſa tùm exiſtimauit.

A ſacro rectà ad menſam: nunquàm ad negotia ibat: niſi grauis aliquis eſſet caſus, quod rarô eueniebat.

Cùm miſſæ ſacrificiũ ad medium perductũ eſſet, mẽſa parabatur.

Cũ ipſe è ſacro egrediebatur, pariter cibi ex culina exportabãtur.

Halecibus, ſalſamentis, & piſcibus naturaliter delectabatur, ſed moderatè tamen, vt valetudinis in eo aliquam rationem habendam ſciret.

In menſa & ſi parum, aut nunquàm loqueretur, audiebat, tamen libenter aliquid nonnunquàm, præſertim ex ſacris depromptum.

Poſt prandium prolixiſsimè omnes audiebat, etiam infimæ fortunæ homines: ſupplicesq́; omnium libellos accipiebat.

Atq́; hic primus erat antemeridianus ſeptenarius officiorum Cęſareorum.

Poſteà in cubiculo ſe abdens familiariter cum ſuis agebat.

Rurſus ad Rempublicam ſe componebat gerendam.

Ac

Ac iiſdem officijs diem terminabat: in quibus duo ſeptenarij reperientur, quorum vnus antemeridianum tempus, alter pomeridianum obtinebat, nulla re variata.

Bella in hyemes cadentia, magnam illi moleſtiam conſiliorum, & fortunæ iniquitatem attulerunt.

Carolus Piratas omnes, omni expulit ex mari.

PIRATAS omnes ex Oceano Germanico, Britannico, Belgico, Celtico, Hiſpanico, Indico, Mediterraneoq; mari expulit, & initio ætatis ſuæ, hoc eſt, ſtatim poſt pubertatem, ex mari Africo illorũ claſſes eiecit, confregit, depreſsit, & in Meningem compulit, ibique coëgit laceras carinas recipere.

Sæpè Ænobarbi Barbaroſſæ claſſes à prora ad puppim trãſgreſſus cum paucis triremibus: validè illorum plurimas triremes auria oppreſsit, profligauit, contriuit, in mari Siculo: in mari Ægæo: in mari Africo.

Reliqua ſuperius curſim tacta, & in hiſtoria Auguſta fuſius, vberiuſque tractata ſunt.

Carolus omnibus Legatis, & Magiſtratibus valedicit Gandaui in loco natali ſuo.

MENSE Auguſto anni quinquageſimi ſexti, Cęſar Auguſtus Carolus Maximus, Gandaui in loco natali exiſtens, omnibus Legatis Principum, & rerumpublicarum, & Senatibus, Principibuſque ſuis valedixit, inquiens ſibi legationibus, aut Senatibus, haud amplius opus fore.

Omnibus etiam Magiſtratibus Municipalibus prolixè gratias egit de fide, & officio ſibi præſtito, ac illis filium Philippum Regem commendauit.

Carolus lectica vectus, egreditur Gandauum.

SVB finẽ Auguſti ad Aſſenediã arcẽ Gandauo abijt, lectica vectus: ac ex ea tripliciter feneſtrata, omnes obuios humaniſsimè ſalutauit,

Eleemoſinæ Caroli.

VARIIS eleëmoſinis, & largitionibus, per omnem vitam in omnis generis, & fortunæ homines vſus fuit Cæſar, adeo vt cùm puer eſſet, Quadragenos aureos in loculis habens, ſæpè ſepties vno die eos erogaret, clàm ſuis præfectis, & œconomis.

Virili autem in ætate, ſeniliq; in largiendis eleëmoſinis ad puellarum matrimonia: iuuenum ſtudia: ſenum vitam ſuſtinendam, & fouendam: & cùm ad captiuos ab hoſte redimendos: tùm ad ægrotorum vulnera, morboſq; ſanandos: omnium Regum, Principum, Cæſarum, liberaliſsimus, munificentiſsimuſq; eſt habitus. Quæcunq; enim eius generis donabat, clanculum, & ſecretò faciebat, partim pudori capientium conſulens, partim ſuæ modeſtiæ. In Germanos autem tàm viros, quàm mulieres, ab hæreticis compilatos: aut diuexatos: ſacros, profanoſq; homines: liberalitate ſua pientiſsimè vſus eſt. Sed nunquàm ferè tales dedit eleëmoſinas, quin lachrymas multas profunderet, pro ſuæ condimento eleëmoſinæ: conteſtans numen Dei (obſecrando, non iurando) grauiter ſibi diſplicere, quòd non omnibus ægenis poſſet ex æquo ſubuenire.

In Zelandiam extrà continentem cum Eleonore, & Maria, Reginis, ſororibus chariſsimis proficiſci ab Aſſenedia arce ſtatuerat, idq; ità fecit.

Parſimonia Caroli.

PATRESFAMILIAS attentiſsimos ſemper œconomiæ cauſa circum ſe habuit.

Illorum ſeueritate factum eſt, vt Princeps natura liberaliſsimus: haud profuſè, nec immodicè liberalitatis ſuæ fontem exhauriret, in eos, quos non eſſe egenos putaret.

Carolus quod promiſit, ſoluit.

SED quę cuiq; ſpopondiſſet, ad aſſem perſoluendo, reliquo ſe nexu prodigendæ, & enumerandæ pecuniæ exolueret, niſi per ſpeciem eleëmoſinæ, vt anteà dixi.

Morbi Cæſaris, oppugnantes naturam Cæſaris, ſed non expugnantes.

MORES & cogitationes habuit in vita, præſtantiſsima, & diuiniſsima natura Cæſarea dignas: ſed vi morbi ingraueſcente, præſertim

tim Emorroidum(qui illum magis,quàm podagræ,& artheticæ cruciatus,aut aſmatis angores torquebant)cum ſumma difficultate potuit eorum præſtantiam,excellentiamque retinere: ſic vt quæ anteà illi fuerant naturalia, & facilia, nunc eſſent violenta, & difficilia: ſed reprimebat ſe quantum humanitus poterat, & rectè filio regendæ Reipublicæ ſcientiſsimo, clementiſsimoq; Regi in tempore gubernacula viuens tradidit: ac in eo faciendo maioré Reipublicæ, quàm ſui rationem habuit,ac habere ſe dixit.

Caroli vmbræ tres.

QVEMADMODVM autem Sol ipſe, triplicem vmbram ſui, terris noſtris relinquit: videlicet Oriente Sole,vmbram Occidétalem: meridie Septemtrionalem vmbram: occidente Sole,vmbram Orientalem (ſemper enim in aduerſam Soli partem vmbra deflectitur) & ceu apud nos Auſtro nunquàm aduerſus eſt Sol (cùm nunquàm fines Septemtrionales attingat) & in auſtrum depelli Solis vmbra nequit.

Ità Sol hominum,& Regum maximorum Carolus Cęſar noſter, triplicem ſui vmbram in terris noſtris reliquit (cùm hæc ſcriberétur) triplicem ſcilicet fœtum,& prolem ſuam legittimam: quarum filius Rex noſter Philippus Iuſtus,in Belgica ſua Septentrionalem plagam vmbramq; nunc incolebat: filia vna Bohæmiæ Regina in Auſtria, Orientalem vmbram, tractumq; inſidebat: & filia altera, Occidentalem vmbram, oramque Luſitanicam, & Hiſpanicam in Hiſpanijs inhabitabat.

Veræ autem vmbræ Solis dici poſſunt, quia tàm perfectis ſunt corporis, & animi partibus, formiſque præditæ, vt (Deo ſic volente) niſi à Sole Cæſare: gigni tàm perfectæ nequiuerint Cæſaris imagines.

Eſt autem (ſi Platoni, veteribuſq; credendum eſt) Sol: inuiſibilis Dei: viſibilis quædam vmbra, & imago: eſtq; ille omnium motuũ apparens cauſa ignea: quam Deus ſolus nouit, & gubernat, pro ſumma numinis ſui voluntate: cui Deo honor, & gloria æterna ſit: ſiue enim illa prima apparés cauſa immobilis ſit(vt Ariſtoteli,& Copernico placet) ſiue mobilis (vt Platoni, & Ptolemæo placet)Sol ſemper,ſicut & terra, magnam in centro exprimendo affinitatem habet cum primo mobili,ſiue cum primo mouente: poſt Deum à primo ad vltimum omnia mouentem.

Illuſtris,& reuerendus Epiſcopus Atrebatenſis Antonius Perenottus,qui præter cæteros mortales omnes,totum ſeptennium ſumma apud Cæſarem ipſum poteſtate functus eſt: cuiuſq; pater Granuellanus Dynaſta,eadem poteſtate in ſummo Magiſtratu multas hebdomades annorum perfunctus erat : ſæpè Cæſaris genium ſunt admirati, & ingenium : atque planè ſui temporis, MIRACVLVM NATVRÆ CAROLVM FVISSE CONFITEBANTVR, tanta erat in Carolo & morum, & ſapientiæ, & pietatis præſtantia.

Atq; hic quidem Atrebatenſis,ſeptilinguis erat, ac patris virtutes (optimè, diligentiſsimeq; à puero educatus) multis paſsibus ſuperabat. Et in nouis ſubſtructionibus ſuis operoſiſsimis, maximeque admirandis, eundem ſeptenarium (natura genium eius perfectiſsimum hùc incitante) pulcherrimè,diuiniſsimeque expreſsit, ſeptem arcubus, ſeptem columnis, ſeptem feneſtris, ſeptem piramidibus, ſeptem vrbium picturis, ſeptem baſibus, ſeptem lalarijs, ſingulis in porticibus ſuis collocatis : ſeptemque nationibus ità gratè vtebatur, vt omnes eius culmini, & faſtigio, quàm plurimum fauerent. Neq; enim non illis homines fauent,quibus gratiæ fauent.

Septem mirabilia orbi in æuo Caroli oſtenſa.

EXTITISSE autem hoc æuo noſtro quædam hominum miracula nemo ibit inficias, qui illorum ſcripta, & facta æqua mente leget.

An non & vrbes ipſæ miracula quædam nouarum munitionum, nouorumque operum hoc æuo ſumpſerunt? totaq; res militaris, & naualis ſumma incrementa adepta eſt?ſummamq; admirationem?

An non machinæ bellicæ in omni genere nouas tempeſtates,nouas fulgurationes,noua tonitrua hoc æuo ædiderunt?

An non characteres impreſſorij nouum, & perfectum genus ſcribendi reppererunt? poſteritatiq; conſignârunt?

An non omnium Europæorum linguæ (libris vernacula lingua, tàm multis ſcriptis) perfectionem, maturitatemq; quandam dictionis nactæ ſunt? Ipſaq; Latina, Græca, Hebraica lingua optimè hoc tempore intellecta,& expreſſa fuit? omneſque artes,& ſcientiæ, tàm literariæ, quàm operariæ maturitatem, & perfectionem quandam nactæ ſunt?

An

An non noui orbis nauigationes,nouaque illic per Cæſarem Imperia, & Regna producta, ſubiugata, & ad Reipublicæ noſtræ formã reducta, pro miraculo haberi debent? & chriſtianiſmus ibi tàm admirabiliter,& latè plantatus, ſine miraculo Dei plantari potuit?

An non nouæ fontium ſcaturigines ſalubrium?nouę ærariæ gemmariæ:auri,argentiq; fodinæ?nouæ iaſpidis:marmoris: Hyacintorũ, & reliquorum lapidum fodinæ? noua maria piſcoſa reperta,pro miraculo ſummo haberi debent? quæ res omnes paſsim in Cæſaris iuriſdictione hoc eius,& noſtro æuo repertæ fuerunt?

An non Regni Anglici, ad nutum Cæſaris ope filij, nuruſque innixu oculi ad veteres religiones capeſcendas in vita Cæſaris Caroli facta conuerſio, pro ſummo miraculo haberi debebit? an non hoc pro miraculo haberi debet, quod Philippus Rex bis ſeptem Heroibus ſolis comitatus(reliquo comitatu longè à ſe remoto)ſolus in littus Anglicum deſcenderit,ac infinitæ Britannorũ multitudini ſponſus ſe miſcuit,ac implicuit?

Multa ſunt alia in eandem ſententiam hùc à me adſcribenda, ſed breuitatis cauſa omittuntur: hic autem ſeptenarius mirabilium numerus noſtri æui,& ſæculi ſufficere ſapientibus debet. Cùm illa Monarchia Imperiorum, & virtutum:quam in hoc Carolo renatam: & ad filium Philippum Iuſtum, Regem noſtrum clementiſsimum à viuo Cæſare fuiſſe tranſmiſſam: omnes mortalium gentes, & nationes admirantur.

Septem apophtegmata Caroli.

QVEMADMODVM autem Saturnus,qui ex ſeptem Planetis altiſsimum inſedit culmen, tardiſsimè circumducitur:ità Monarchas Auſtriacos, qui ſumma apud mortalium genus functione vterẽtur, quàm minimè præcipites oportere eſſe Cæſar aiebat.

Dicebat quoque, vt Sol non alius eſſet inopi, alius locupleti, ſed omnibus æquus, & communis: ità Reges perſonam ſpectare haud debere, ſed rem: iuſticiamque, & beneuolentiam eorum,omnibus ciuibus ſuis patere debere.

Et ſicut Solis defectio magnorum motuum plęrumq; argumentum trahit: ità Regum errores etiàm mediocres magnam rebus humanis perturbationem adferre.

Et vt idem Sol ceram liquefacit,& lutum indurat:ità eandẽ Regis liberalitatem,alios reddere meliores, alios ingratiores, & nequiores.

Quemadmodum verò Luna quo proprior eſſet Soli, hoc minus haberet luminis, minuſque irradiaretur: ita quoſdam, quo propius eſſent ad latus Regum, minus irradiari, minuſque diteſcere, & inaurari.

Et vt Luna præcipuè mouet inferiora, non quòd efficatior, ſed quòd vicinior: ità multum habere momenti ad motus belli, paciſq; ſedandos vicinitatem Regis.

Ac veluti quædam fulmina æs, ac ferrum liquefacerent, ne cera quidem confuſa: ità diuinam vim, ac Regiam poteſtatem in obſiſtentes ſeuire, mollibus parcere, & cedentibus.

Hæc ſeptem apophtegmata Cæſari attributa ſunt à multis viris fide dignißimis. Eſtq; veriſimile eum Cæſarem, qui aſtrorum, & ſydereorum motuũ cognitione flagraret ſimilitudinibus indè ſumptis ſymbola quædam ædidiſſe: quæ etiam ſi ab alijs obſeruata fuiſſent (ſicut nihil dictum eſt, quod non dictum ſit prius) magnam tamen à Cæſare hoc Carolo Maximo gratiam, authoritatemq; adipiſcuntur.

Prognoſticum Caroli de Religionis, & Turcicis negotijs.

CUM Cæſar Aquiſgrani, VVormatiæ, Auguſtæ, Ratisbonæ ipſemet ſępius negotia religionis, & Turcarum in Comitijs Germanicis fruſtrà tractauiſſet, dicere illum ſolitum aiebant: DIETA DIETAM PARIT, SED PARTVS MATREM SVFFOCAT.

Et cùm rurſus à Pontificibus Romanis nunc Romæ, nunc Bononiæ, nunc Florentiæ, nunc Placentiæ, nunc Ferrariæ, nunc Mantuæ, nunc Tridenti concilia generalia indici aduerteret, dicebat: CONCILIVM CONSILIVM EST DEI.

Ex ſeptenarij numeri obſeruationibus, & laudibus prouidentiam Dei colligere fas eſt, in quibus nomen, geneſis, mores, vita, actiones, bella, victoriæ, Cęſaris Maximi, non ſine multarum gentium admiratione collocatæ reperiuntur.

Laudes ſeptenarij apud veteres ſanctos ſcriptores.

Etſi

Et ſi enim ſeptenarius numerus perfectus: mundus: Deo conſecratus: ſpiritui ſancto dedicatus: à Deo ſanctificatus: & numerus, tempus, ordo, menſura, quietis: & ſymbolum ſpiritusſancti: & vniuerſitatis: paſsim apud ſacros ſcriptores eſſe dicitur: ac eadé confirmant, Ciprianus, Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, Beda: nemo tamen præter Auguſtinum, & Hieronymum Pythagoræ, Solonis, Hyppocratis, Platonis, Ciceronis, Philonis, Galeni, mentionem facit, qui de numeri huius ſeptenarij dignitate, maieſtate, virtute, plurima, ſummeq; admiranda literis mandârunt. Macrobius quoq; meminit perpaucorum: ſed Philo Iudæus omnis veteris, & nouæ diſciplinæ ſcientiſsimus, diuo Petro, Marcoq; Romæ familiaris qui fuit: rem ipſam ſatis pro dignitate varijs locis exaggerat. Præcipuè autem in eo libello, quem de mundi opificio inſcripſit: in quo ille multa ex Timæo Platonis tranſtulit, ſicut & Cicero in Scipionis ſomnio: vt non immeritò vterq; platoniſare ſit dictus.

Septenarij laudes, ſecundum Philonem, & rationes Geometricas.

Philonis autem verba hæc ſunt, quæ ſequuntur: eam autem inter Eccleſiaſticos ſcriptores, & Euſebius, & Hieronymus numerat non ſine magna doctrinæ, vitæq; eius commendatione.

Septenarij naturam neſcio an quis ſatis laudare queat: cùm ea ſit præſtantior, quàm vt vlla facundia poſsit exprimi.

Ponit autem duas ſpecies ſeptenarij: quarum vna eſt extra denarium: altera intrà denarium: ac vtriuſq; naturam mirificam varijs Arithmeticis deducit rationibus: & quomodò in cubum, & quadrâgulum, numerus ille exurgat: ac rurſus hic intrà denarium conſtitutus Diapaſon dupla proportione: & Diſdiapaſon proportione quadrupla: conſonantiam concinnè conficiat.

Hic oſtendit, quomodò diuidatur ſeptenarius in vnionem, & ſenarium: deindè binarium, & quincuncem: poſtremò in ternionem, & quaternionem: quam proportionem numerorum oſtendit eſſe valdè muſicam.

Sex enim ad vnum habent rationem ſexcuplam. Sexcupla autem ratio maximum inter tonos interſtitium facit: quo diſtat grauiſsimus ab acutiſsimo: ſicut demonſtrat, cùm à numeris ad harmonias

monias ſermonem traducit.

Quinq; ad duo, maximam in harmonia vim oſtendunt, fermè æquipollentem harmoniæ Diapaſon: ſicut in regulis eius artis liquidò apparet.

Quatuor autem ad tria, primam harmoniam efficiunt, ſupertertiam, quæ eſt diateſſeron.

Septenarius profert & aliam ſui pulchritudinem: eamq; ſacræ, & arcanæ cuiuſdam conſiderationis. Cùm enim conſtet ex triade, & quaternione: rectam in rebus, & nuſquàm vergentem, figuram naturaliter exhibet.

Rectangula figura (quandoquidem eſt principium qualitatum) conſtat ex numeris his, 3. & 4. & 5.

Tria autem, & quatuor (quæ quidem eſt eſſentia ſeptenarij) rectū angulum efficiunt.

Nam obtuſus, & acutus inæqualitatem, confuſionem, & imparitatem præ ſe ferunt, cùm ſint iuſto acutiores, obtuſioréſue.

At rectus collationem non admittit: nec fit recto rectior, ſemper ſui ſimilis: nec vnquàm propriam naturam varians.

Iàm ſi rectangulus, triangulus: figurarum qualitatum eſt principium: in hoc autem, rem maximè neceſſariam, rectum angulum eſſentiam ſeptenarij præbet, ternio ſimul, & quaternio: meritò cenſendus eſt hic fons omnis figuræ, & omnis qualitatis.

Hùc accedit, & illud quod 3. planæ figuræ eſt numerus, quandoquidem iuxta vnionem eſt punctum: iuxtà duernionem linea: iuxta ternionem ſuperficies ordinatur: quaternio porrò ad ſolidum corpus pertinet: per acceſsionem vnitatis, accedente ad ſuperficiem altitudine.

Vndè liquet eſſentiam ſeptenarij, Geometriæ, & ſolida metiendi eſſe principium: & (vt compendio dicit Philo) incorporeorū ſimul corporeorumq; perfectorū initiū: tanta in ſeptenario numero proprietas eſt ſita, cui ſoli nec gignere, nec gigni, apud Arithmeticos conceſſum eſt.

Opinio veterum de ſeptenario.

Et ob eam rem, Dei optimi Maximi laudi, & gloriæ, & nomini attribuebant veteres ſeptenarium.

Ecce virgo concipiet filium, & vocabitur nomen eius EMANVEL: ſicut legitur apud Eſaiam Prophetam.

Hic autē Emanuel erat MESSIAS: & apud Romanos SALVANS, vel

vel SALVATOR vocatur.

Cum igitur veteres aduerterent in nomine Emanuelis, & Meſsię ſeptenario datam prærogatiuam: ſeptenarium admirati ſunt. Cæteri quidem Philoſophi ſeptenarium, Palladi: Mineruæ: & virgini victoriæ comparant, ſimilemq́ue faciunt.

Pythagorici verò (vt inquit Philo) vniuerſitatis huius Imperatoris eum imaginem referre faciunt. Nam quicquid nec gignit, nec gignitur, immotum manet: in motu enim generatio. Quandoquidem & id quod gignitur, non caret motu: mouetur enim alterum, vt gignat: alterum vt gignatur. Solus autem nec mouet, nec mouetur, antiquus ille Princeps, & author: cuius imago meritò dici poteſt (vt inquit Philo) ſeptenarius.

Et adducit Philo aſtipulantem dictis ſuis Philolaum his verbis: Eſt (inquit) author, & Princeps rerum omninm DEVS ſemper vnus, ſtabilis, immobilis, ipſe ſui ſimilis, aliorum diſsimilis.

Ergo in rebus intelligibilibus, immobilis, & impatibilis apparet ſeptenarius.

In ſenſibilibus quoq; declarat ſuam magnam, latiſsimèq; patentem vim, natam ad vtilitatem omnium terreſtrium.

Ait deindè impoſsibile fuiſſe longitudine, altitudine, latitudine, tribus dimenſionibus: & puncto, linea, ſuperficie, ſolido, quatuor finibus (ex queîs conficitur ſeptenarius) corpora metiri, ni contigiſſet primorum numerorum Ideas, videlicet vnius, duorum, trium, quatuor, (in quibus fundatur denarius) in ſe complecti naturam ſeptenarij.

Nam modo dicti numeri quatuor quidem habent terminos, primum, ſecundum, tertium, quartum, dimenſiones verò tres, primam ab vno ad duo, ſecundam à duobus ad tria, tertiam à tribus ad quatuor: & hæc quidem omnia Philonis ſunt verba.

Septem ætates hominis, ſecundum Hypocratem.

SEPTEM ſunt ętates hominis apud Hypocratem infans, puer, adoleſcens, iuuenis, vir, ſeneſcens, & ſenex: quarum prima hebdomade infans infrà ſeptennium dentes amittit, & rationis, & orationis vim pronuntiando, & loquendo perfectè oſtendit: ſecunda pubertatis annos, & genitalis ſeminis excretionem: tertia hirſutiem barbæ: quarta totius corporis excreſcentiã in longum, latumq; oſtendit:

dit (vt anteà hæc quoq; dixi) quinta ætas ſimiles hebdomades annorum complectitur: vir enim cenſetur ab anno xxviij. vſque ad annum ſepties ſeptimum, hoc eſt, vndequinquageſimum. Hinc ſeneſcens ætas vna hebdomade addita conficitur, nempè ad annum octies ſeptimum, qui fuit annus Africani illius, cuius ſomnium Cicero in ſexto ſuo de Republica libro deſcripſit, deſumpto argumento ex Timæo Platonis. Atque hic idem annus fuit Maximi noſtri Cæſaris, cum relictis humanarum rerum curis: cùm claſſe ſeptuaginta roſtrararum nauium: in Hiſpanias menſe ſeptembri: ex Vliſſæa vrbe VValachriæ ad ſolitudinem vitæ nauigauit. Septima ætas eſt ſenectus ipſa, anni ſexageſimi tertij, qui annus climatericus dicitur, quo Cicero perijt.

Septenarius vitæ humanæ, ſecundum Solonem.

SOLONIS hebdomades vitæ humanę decem verſibus elegiacis deſcriptæ à Philone memorantur.

Septenarij laudes ex proportionibus.

ILLVD quoque ad peculiarem ſeptenarij commendationem affertur, quod mirum habeat in natura ordinem: conſtans ex tribus, & quatuor.

Tertium quidem ab vnitate, ſi quis duplicet, inueneniet quadrangulum: quartum verò cubum: ex vtroque autem compoſitum: cubum ſimul, & quadrangulum.

Itaque ab vnitate tertius in dupla ratione quadrangulus eſt.

Quartus verò ſcilicet octo, cubus.

Septimus autem, quatuor ad ſeptem: cubus ſimul, & quadrangulus: ità vt omnino perfectus ſit ſeptimus numerus: ambas æqualitates promittens, & ſuperficiariam per triangulum iuxta ternionis cognationem: & ſolidam per cubum: iuxta familiaritatem, quam habet cum quaternione.

Ex quaternione enim, & ternione fit methaphyſicè ſeptenarius, qui non ſolum multa perficiens, ſed plane Geometricus, & Arithmeticus, & maxime Harmonicus eſt numerus: & quodammodò fons pulcherrimi diagrãmatis, quòd omnes harmonias, ſcilicet diateſſeron, diapente, diapaſon: omnes item proportiones continet: qui-

quibus vel Geometræ, vel Arithmetici, vel Muſici, vel Medici, vel Phyſici, vel Theologi, vel Metaphyſici, vel Iuriſconſulti, vel Architecti, vel Pictores, vel Plaſtici, vel Statuarij, vel Grammatici, vel Dialectici, vel Rhetores, vel Geographi, vel Coſmographi, vel Chronographi, vel Aſtrologi, vel Poëtæ, vel Mathematici, vtuntur vbiq; gentium, & terrarum.

Multas certè idæas hic ſeptenarius oſtendit in rebus incorporeis, & intelligibilibus: extendit autem ſe natura eius in omnem viſibilē eſſentiam, quæ cœlum, ac terram, id eſt, huius vniuerſi fines occupat, Deo ſic ordinante, & volente.

Septenarius à Philone laudatus.

Qvæ enim mundi pars (vt ait Philo) ergà ſeptenarium non afficitur, amore, & deſiderio eius domita.

Septenarius ab Auguſtino commendatus.

Et vt vtar diui Auguſtini verbis, vndè quæſo iſta, niſi ab illo ſummo, atq; æterno principatu numerorum, & ſimilitudinis, & æqualitatis, & ordinis veniunt?

Septenarius ab Hieronymo honeſtatus.

Et vt vtar diui Hieronymi verbis, ardētiſsimæ febres die ſeptimo, aut bis ſeptimo, aut ter ſeptimo terminantur: & hi dies teſte Galeno, & Hypocrate, Critici: ſic ab initio mūdi, omnes labores, & moleſtiæ conquieſcunt.

Varij ſeptenarij.

Et in ſacris literis numerantur, Septem arbores in ſolitudine.
Septem oculi.
Septem Paſtores.
Septem mulieres, quæ patiuntur opprobrium.
Septem filij Synagogæ.
Septem peccata Caym.
Septem pœnæ Caym.

Septenarius in fluminibus.

Et Nilus, qui ex Auſtro in aquilonem, & Danubius, qui ex Occidente in Orientem ſolus tendit: ſeptemplices, & ſeptemflui, & ſeptemgemini, ab Auguſtino, & poëtis veteribus eſſe memorantur:

quæ duo ſunt orbi Chriſtianorum cognita maxima flumina, ac ob id magis quàm cætera obſeruatione digna: ſed & Padus ſeptem maria efficere legitur.

Septenarius in Muſica.

LYRA vetuſtiſsima inter omnia inſtrumenta muſica (vndè & Lyrici Poëtæ dicti ſunt Pindarus, & alij) ſeptem tenditur fidibus.

Et cantores noſtri in cantu bemollari, qui eſt omnium ſuauiſsimus, ſeptimam adijciunt notam, quam vocant ob molliciem, & ſuauitatem bemollarem, & alioqui ad ſeptimum numerum conquieſcit.

Septenarius in exequijs.

SEPTIMVS dies in exequijs defunctorum à veteribus obſeruabatur, ac eam rationem hebdomadarum, multi mortales adhuc ſeruant.

Septenarius numerus propter ſabbati ſanctificationem, Iudæis religioſus, & ſacer fuit.

Septenarius virtutum.

SEPTENARIVS virtutum legitur.

Septenarius vitiorum.

SEPTENARIVS vitiorum quoque inuenitur.

Septuageſimæ tres in Eccleſia.

SEPTVAGESIMÆ tres in Eccleſia memorantur, vna ſignificatiua, duæ ſignificantes.

Varij ſeptenarij.

ET Prouerb. 9. legitur, quòd ſapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.

Samuelis 10. Fuit ergo arca Domini in Regione Philiſtinorum ſeptem menſibus. Eſaiæ 3. Iamq; venerat menſis ſeptimus.

Act. cap. 11. Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti. Et 1. Reg. Sterilis peperit ſeptem. Et Samuelis 2. cap. 2. Septem dies expectabis, donec veniam ad te, & oſtendam tibi quæ facias.

Septenarij laus ſecundum Bedam.

VENERABILIS Beda inquit in 19. cap. Act. vndè ſeptenario numero ſolet ſpiritus ſancti gratia deſignari, in qua figura & Dominus poſt reſurrectionem cum ſeptem diſcipulis epulatur, & ſeptem fratres ad Corneliũ ſpiritu ſancto baptiſandũ euãgeliſaturi veniunt.

Et

Et idem in libro, quem de tabernaculo, & vaſis eius conſcripſit, cap. 2. ait, ſeptenario numero propter diem ſabbati, ſolet requies ſanctorum figurari.

Septimus dies natalis mundi dicitur.

Septimvs dies vocatur apud Hebręos, & Philonem natalis mundi, tùm enim omnia facta, & ædita apparuerunt orbi.

September menſis natalis mundi.

Septembri menſe natus eſt quoq; mundus, & hînc illum primū eſſe volūt Arabes: ſed quia exitus filiorum Iſraël ex Ægypto factus eſt Martio menſe, ideò illum Hebræi voluerunt eſſe primum. Martius autem à Septembri computando, eſt menſis ſeptimus: & rurſus à Martio computando, September eſt menſis ſeptimus, qui & ex illo numero ſic dictus eſt.

Et Eſaiæ 4. Septem mulieres apprehendent virum vnum.

Et in Machabæis, Septem fratres leguntur.

Septenarius in partu.

Et ſeptimi menſis partus ad vitam producitur, octauus ſterilis eſt, aut ſi naſcitur octauo, impoſsibile aiunt medici vicacem eſſe partum. Et vno partu, ſeptem homines generari poſſunt, nec plures.

Septenarius in iure ciuili.

Et Iuſtinianus, Imperator in ſeptem partes ius diſtribuit, eiq; diſcendo ſeptennium attribuit.

Septenarius in Aſtrologia.

Coelvm ipſum ſeptem aiunt cinctum eſſe circulis, nomina ſunt hæc, arcticus, antarcticus, tropicus ſolſtitialis, tropicus brumalis, æquinoctialis, zodiacus, & lacteus: nam horiſon noſtrum eſt accidens, quatenus quiſque aut acutè cernit, aut contrà: ſenſu circumquaq; protendente ſe vlterius, aut citerius.

Septenarius in cœlo.

Et vrſa, quę eſt nautarum deductrix, è ſeptem ſtellis cōſtat, quam ſpectando, mille itineribus gubernatores nauium ſulcant maria: tentantes rem arduam, & maiorem quàm pro humana ſapientia. Hoc autem ſcopo, & gnomone vſi, ſcrutando inuenerunt Regiones, ignotas maioribus: continentis incolæ Inſulas: Inſulani verò terras in continente ſitas.

Oportebat autem (vt ait Philo) à puriſsima cœli eſſentia, animali Deo charo, terræ ſimul, mariſq; receſſus abditos oſtendi.

Huc accedit etiam Pleiadum chorus, ex ſeptem ſtellis abſolutus: quarum emerſiones, & occultationes magnorum commodorum cauſa, & pro ſigno fiunt. Omnibus his enim occumbentibus ſulci proſcinduntur ad ſementem: ortu vero earum inſtante, lætum futuræ meſsis nuntium afferunt. Exortæ item agricolas geſtientes ad comportationem rerum neceſſariarum excitant: illi vero libenter recundunt cibaria, quæ mox in quotidianos vſus depromant.

Et vita noſtra quinq; ſenſibus, & organo vocis: & poſtrema vi generatiua ſuſtinetur. Quæ ſanè omnia (ſicut in miraculoſis fit machinis) à mente, tanquàm occultis quibuſdam neruis trahente, nunc mouentur, nunc ſinuntur quieſcere, vtcunq; motus, aut quies competit.

Septenarius in viſu.

SEPTEM ſunt quæ conſpiciuntur oculis, corpus, diſtantia, figura, magnitudo, color, motus, ſtatus: præterea nihil.

Septenarius in auditu.

VOCIS quoq;, & tonorum mutationes vniuerſæ cadunt in ſeptenarium acuta, grauis, circumflexa, quarto loco vox aſpera, quinto leuis, ſexto longa, ſeptimo breuis.

Septenarius in coloribus naturalibus.

SEPTEM ſunt colores naturales, niger, vt terræ: cæruleus, vt cœli, & maris: flauus, vt ignis: ruber, vt ſanguinis: viridis, vt herbarum: albus, vt grandinis, niuis, oſsis: mixtus, vt iridis in cœlo, iaſpidis in lapidibus, plumæ in multis animalibus volatilibus, florum quoq;, & piſcium, & aliorum animantium.

Septenarius in purgando.

EXCREMENTA corporis eidem ſubiecta ſunt numero. Ex oculis lachrymæ promanant.

Per nares purgationes capitis.

Per os ſaliuæ, quas expuimus.

Inſunt etiam geminæ cloacæ, per quas deriuantur ſuperfluitates corporum altera antica, poſtica altera.

Sextum eſt per totum corpus, ſudoris profluuium per poros.

Septimum locum occupant aurium ſordes.

Mulie-

Mulierum fluxus ad diem plærumq́; ſeptimum durat.

Septenarius in Hierarchia Eccleſiaſtica.

ET in Hierarchia Eccleſiaſtica eſt Papa, Cardinalis, Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Prior: aut loco Abbatis præpoſitus, loco Prioris Decanus.

Septenarius in Hierarchia profana.

ET rurſus in Hierarchia profana eſt Imperator, Rex, Dux, Marchio Princeps, Comes, Baro.

Septenarius in vita animantium.

ET rurſus animantia viuunt aut in aëre, aut in aqua, aut in terra, aut in aëre & aqua, aut in aere & terra, aut in aqua & terra, aut in aëre & aqua & terra.

Septenarius in ſubſtantia rerum, & accidentibus.

ET rurſus, aut eſt generatio, aut eſt corruptio, aut auctio, aut diminutio, aut habitus, aut priuatio, aut ſtatus in rebus humanis.

Euripus in Eubæa ſepties in die defluit, ac toties refluit, mira celeritate: idem tribus diebus, vnoq́; menſe ſtat immotus, ſeptima, octaua, nonaq́; Luna.

Septenarius in regeneratione mundi.

NOE cum ſeptem ingreſſus nauem, regenerauit, repullulauitque mundum.

Septenario itaq́; numero fiũt, quæ diuinitus perfecta ferè aguntur omnia, quæ argumentũ, & occaſionẽ cõmentandi, profundiuſq́; conſiderandi diuinam prouidentiam meritò mortalibus dabunt, non enim hæc temerè coaceruata ſunt. Sed faſtidij leniendi cauſa, ordinem certum haud ſum ſecutus: ne artificioſam Cæſaris vitam ſtruxiſſe videar: ſed vt quęq́; res mihi in mentem venit, ità illam nudè, & vulgaribus quidem verbis vobis viri illuſtres propoſui.

Vt cùm in omnibus rebus humanis certum, & definitum quendam ordinẽ, menſuram, numerũ, tempus aduerteretis: etiam in monarchijs ad certos, & definitos limites propagandis, modum, & tempus quoddam definitum, & attributum eſſe recordaremini.

Vt enim hoc iterum, & tertiò dicam, anno poſt ſalutem orbis, & nati CHRISTI octingenteſimo decimo quinto, mortuus eſt Carolus Magnus Imperator: ac ſeptingenteſimo anno poſt obitum Caroli Magni, ſurrexit hic nouus Rex, Carolus Maximus: anno Chriſtianè ſalutis milleſimo quingenteſimo decimo quinto, Belgicam, Hiſpaniam, Auſtriam, Neapolim, Siciliam, nouum orbem, & Africæ, Aſiæq́ue dominatum poſt emancipationem ſuam hoc anno gubernans. Ac rurſus anno octingenteſimo ſalutis humanæ, Carolus Magnus Imperator Romanus eſt deſignatus: Imperio ab Oriente in Orientem tranſlato.

Septingentis annis poſt illud tempus, hoc eſt, anno quingenteſimo poſt milleſimum natus eſt hic Carolus Maximus. Sic quòd duo ſeptenarij concurrant centuriarum annalium in initio natiuitatis, & initio Regni, huius noſtri Caroli Maximi.

Cùm itaq; in vita, & actionibus Cæſaris (ſicut varijs locis, & variè, & varijs in rebus Caroli, à me demõſtratur) occurrant iſti ſeptenarij tàm frequẽter, qui omnium numerorum ſunt perfectiſsimi, ac Deo in naturis, ac proprietatibus rerum vbiq; aſsignandis tàm grati, tàmq́ue accepti: exiſtimandum, & piè credendum eſt, huius Cæſaris Monarchiam ſingulari Dei optimi maximi beneficio, cogitatu, atq; ordine, mortalium generi fuiſſe demonſtratam.

Septenarius in motu trepidationis.

ETENIM qui motum trepidationis in aſtrorum ſcientia obſeruârunt, ſeptem milia annorum illi motui attribuerunt.

Hebræi ſingulis literis certos dant numeros, ſiue puncta, & in ea parte valdè ſolertes, ſagaceſq; viſi ſunt. Græci ſingulis vocalibus certam menſuram, longam, breuemq́;, aut communem concedunt.

Romani idem non literis, ſed in poëſi, & pronuntiatione ſingulis vocum ſyllabis indiderunt.

Pondere autem, & menſura, multò prior fuit in rerum natura numerus.

Eſt enim omni tempore, motuq; ſenior numerorum fons, ſicut & linea, & ſuperficie, & ſoliditate, longitudine, latitudine, altitudine, idem fons eſt multò antiquior.

Eſtq; vnitas puncto par, quod punctum omnis motus, temporiſq;, & menſuræ, principium à Mathematicis ponitur.

Septe-

Septenarij terribiles, obſtupeſcendæ, & perhorreſcendæ viſiones in Apocalypſi.

Divvs Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta (qui recubuit in cęna ſuper pectus Domini) ſcribens Apocalypſim de tempore,& modo finiendi mundi,ſingulis in capitibus libri ſui, obſtupeſcendas ſeptenarij numeri formas,& imagines ſe vidiſſe ſcribit : quas renouandæ memoriæ veſtrę cauſa magis viri illuſtres hîc attexui,quàm quod quenquàm veſtrum,hæc ignorare arbitrari queam.

Sunt enim terribiles, & perhorreſcendæ ſeptenariorum viſiones.

Capite primo ſic ait: Apocalypſis IESV CHRISTI, quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis : & iterum ſic ait,& ſignificauit mittens per angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei,& teſtimonium eius IESV CHRISTO quæcunque vidit: beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius. Deindè ſic incipit: Ioannes SEPTEM ECCLESIIS quæ ſunt in Aſia,gratia vobis,& pax ab eo qui eſt,& qui erat, & qui venturus eſt: & a SEPTEM SPIRITIBVS qui in conſpectu throni eius ſunt:& à IESV CHRISTO qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos,& à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: & fecit nos Regnum,& ſacerdotes Deo,& patri ſuo: ipſi gloria,& Imperium in ſæcula ſæculorum, amen. Deindè ſubdit, fui in ſpiritu in DOMINICA DIE, & audiui poſt me vocem magnam, tanquàm tubæ dicentis, quod vides, ſcribe in libro, & mitte SEPTEM ECCLESIIS, QVÆ SVNT IN ASIA, poſtea infert, & conuerſus vidi SEPTEM CANDELABRA AVREA, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis: deindè addit, & habebat in dextera ſua STELLAS SEPTEM, & de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat: & facies eius ſicut Sol lucet,in virtute ſua. Poſtremò concludit, ſacramentum ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea, ſeptem ſtellæ, ANGELI SVNT SEPTEM ECCLESIARVM,& candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.

Cap. 2. hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas, in dextera ſua,& ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.

Cap. 3. hæc dicit, qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellas.

Cap. 4. & SEPTEM LAMPADES ARDENTES antè thro-

num,quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei.

Cap.5. librum ſignatum SIGILLIS SEPTEM, agnum habentem CORNVA SEPTEM, & OCVLOS SEPTEM, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei,miſsi in omnem terram.

Cap.6. quòd aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſigillis.

Cap.7. Angeli adorantes dicebant, BENEDICTIO, & CHARITAS, & SAPIENTIA, & GRATIARVM ACTIO, HONOR, & VIRTVS, & FORTITVDO, Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen.

Et idem dixerant Angeli, cap. 5. dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere VIRTVTEM, & DIVINITATEM, & SAPIENTIAM, & FORTITVDINEM, & HONOREM, & GLORIAM, & BENEDICTIONEM, & id concordat cum cap. 6. Danielis, in quibus ſeptenarius eſt aduertendus.

Cap.8. & cùm aperuiſſet SIGILLVM SEPTIMVM FACTVM EST SILENTIVM IN COELO.

Deindè addit, & vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.

Cap.10. & cùm clamaſſet, locuta ſunt SEPTEM TONITRVA voces ſuas.

Et ſubdit, ſigna quæ locuta ſunt tonitrua, & noli ea ſcribere.

Deindè addit, quia tempus non erit amplius, ſed in diebus vocis SEPTIMI ANGELI, cùm cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangeliſauit per ſeruos ſuos prophetas.

Cap.11. & videbunt corpora eorum PER TRES DIES, & DIMIDIVM. Deindè inquit, & POST DIES TRES, & DIMIDIVM, ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos. Deindè ait, & occiſa ſunt in terræ motu nomina HOMINVM SEPTEM MILIA.

Deindè ponit, & SEPTIMVS ANGELVS tuba cecinit.

Cap.12. & ecce Draco magnus rufus habens CAPITA SEPTEM & in capitibus eius DIADEMATA SEPTEM.

Deindè infert, & datæ ſunt mulieri alæ duæ, aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur PER TEMPVS, & TEMPORA, & DIMIDIVM TEMPORIS, à facie ſerpentis.

Cap.13. & vidi de mari beſtiam aſcendentem habentem CAPITA SEPTEM.

Deinde ſubdit, & ne quis poſſet emere, aut vendere, niſi qui habeat characterem, aut nomen beſtiæ, AVT NVMERVM NOMINIS EIVS, HIC SAPIENTIA EST, QVI HABET SAPIENTIAM,

TIAM COMPVTET NVMERVM BESTIÆ: numerus enim hominis eſt, & numerus eius, 666.

Cap. 15. Vidi Angelos ſeptem, habentes PLAGAS SEPTEM NOVISSIMAS, quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.

Deindè dicit, Et qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, & NVMERVM NOMINIS eius.

Deindè inquit, Et vnum de quatuor animalibus, dedit ſeptem Angelis SEPTEM PHIALAS AVREAS, PLENAS IRACVNDIÆ DEI VIVENTIS IN SÆCVLA SÆCVLORVM.

Poſtremò addit, Et nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur SEPTEM PLAGÆ SEPTEM ANGELORVM.

Cap. 16. Et audiui vocem magnam de templo dicentem Angelis, Ite, & effundite ſeptem Phialas iræ Dei in terram.

Et SEPTIMVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM ſuam in aëré, & exiuit vox magna de templo ad thronum dicens, Factum eſt.

Cap. 17. Et venit vnus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem Phialas: & vidi MVLIEREM HABENTEM CAPITA SEPTEM, & dixit mihi Angelus, quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem: beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitãtes terram (QVORVM NON SVNT SCRIPTA NOMINA IN LIBRO VITÆ A CONSTITVTIONE MVNDI) videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt: & hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiã, SEPTEM CAPITA SEPTEM MONTES SVNT, SVPER QVOS MVLIER SEDET, ET REGES SEPTEM SVNT.

Et hæc hactenus de ſeptenario numero dicta ſufficiant: ſeptenarius enim, & quadragenarius numerus, teſtes ſunt virtutis Cæſareæ.

Profectio Cæſaris in Hiſpanias vltima, quæ & ſeptima fuit.

ANTEQVAM Cæſar in Hiſpanias nauigaret, inducias quinquennales ipſe, & filius Philippus Rex, cum Henrico Galliæ Rege pactus eſt.

Hinc poſt ſepté menſes, anno ſalutis 1556. decima quarta die Septembris, antè occaſum Solis, nauim ingreſſus eſt Cæſar Carolus.

Die

Die decima ſeptima Septembris, Sole in Libra, Luna in piſcibus verſante, Cæſar Carolus manè hora ſeptima anchoras ſoluit ab Rammeca propè arcem, quæ ab ipſo tota noua à fundamentis fundata, & dicta fuit MARIS TVTELA in Zelandia.

Filius eius Rex Philippus, cum Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, veſtri ordinis præclaro ornaměto, pridie illum officij, & Reip. cauſa in naui conuenerat, ac ab eo ſalutari præcatione conſalutati illinc diſceſſerunt.

Cæſar omnium primus cũ naui ſua prætoria ſtationem egreſſus reliquis, tribus bombardarum ictibus, per tria horarum interualla æditis, ſignum profectionis dedit.

Ac Euro vento prouectus veſperi ad horam ſeptimam, antè portum Neoportuenſem ſeſe oſtendit: deinde reſumpta velificatione fretum Britannicum (quod ſeptem miliaribus communibus latè patet) traijciens, in Hiſpanias ſine vlla nauſea, aut cunctatione peruenit.

Septuaginta naues roſtratæ Cæſarem officij, & præſidij cauſa, in Hiſpanias comitabantur, ex ijs quindecim erant Cantabricæ, quarũ Ductor erat D. Lodoicus Caruayal, Cantabrici maris Præfectus: atque ille in auguſta prætoria naui principem militiæ maritimæ locum obtinebat.

In ſecundo agmine erant viginti naues militares Belgicę, quarum præfecturam gerebat generoſus Prætor Gandenſis VVackeneius Toparcha, Burgundici Cæſarei ſanguinis ſoboles, ac is in ſua prætoria naui Eleonoram, & Mariam duas Cæſaris ſororęs, & Reginas vehebat.

Vltimum agmen, quod ex hulcadibus Batauicis conſtabat, ducta uit Meckerius, Flandrici littoris vice Admirallius.

His claſsibus ſe iunxerunt in itinere ad fauces freti Britannici ſeptem armatæ Britannicæ, deindè ad Porſemuam aliæ ſeptem, & ad Vectem Inſulam aliæ ſeptẽ: ſic vt ſeptuaginta nauium (ſicut accepi) armatura Cæſari nauiganti adfuerit: ingens certè lectiſsimarum nauium apparatus, ſed Britannicæ præ cæteris maximè præſtabant.

Septem Cæſar Dynaſtas circum ſe habuit, & ex omni familia homines Quadraginta, ſicut audio, quorum opera in hoc itinere præci puè vti decreuerat.

Septem Cæſaris profectiones in Hiſpaniam.

Anno

Anno decimo ſeptimo prima fuit Cęſaris in Hiſpanias profectio: anno 22. ſecunda: anno 33. tertia: anno 36. quarta: anno 38. quinta: anno 41. ſexta: anno 56. ſeptima, & vltima.

Hiſpaniam nunc vltimò attigit, ad Aredum portum appellens, ac finitis aliquot diebus, quos ad valetudinis curam ſibi deſumpſerat, aſcendit in veram Placentinam.

Victoria Cæſari Carolo nunciata.

Cum eſſet in itinere, venit ad eum, & ad Regem Philippum Iuſtũ. nuncius liberatum obſidione Turcarũ, Afrorumq; eſſe ovranvm Africæ Promontorium, ac in ea multa vtriuſq; gentis Turcicę, Africæq; milia conciſa: virtute, & induſtria Comitis Alcaudeti Hiſpani, ac in auro quinq; miliones aureorum Carolinorum, & in lapidibus præcioſis duos miliones Hiſpalim ex orbe nouo Carolino eſſe allatos: quæ res bellica cum ſeptem illis milionibus, mirificè Cæſarianos omnes delectauit: virtutemq; Hiſpanicam decretis ſupplicationibus, Rex, omneſq; Belgæ, verbis, & laudibus cœlo commendàrunt.

Ea autem res tanto fuit celebrior, quòd iàm anteà Rex Philippus illas priuilegij Indicas licitationes decreto publico ferè finierat, aut ſaltem per occaſionem ſe finiturum oſtenderat.

Stupendus auri aceruus ex Peruaca, Mexicanaq; plaga tùm expectabatur: quem vtinam ad orbis, & nominis Chriſtiani tutelam, laudemq; vna cum reliquis Chriſtianorum theſauris vertant cœlites: vt poſitis ſemel Chriſtianorum Principum motibus, compoſitiſque legittimè diſsidijs, Reſpublica Carolina à bellis iſtis ciuilibus (pacificante cuncta hoc Iuſto Philippo Rege) reſpiret, & conquieſcat.

Nulla etenim res Turcarũ rabiem melius retardabit, quàm quies & pax ſyncera Principum Chriſtianorum: quæ ſi ſemel annos Quadraginta perdurare queat, antequàm chiliadem annorum ſuorum Maometica ſecta cõficiat: magnoperè foret ſperandum vniuerſam gentem Turcicam, Imperio Chriſtianorum eſſe parituram: ac porrò mortalium genus ad vnum paſtorem, vnumq; ouile eſſe rediturum. Quod tandem eum perfecta iuſtitiæ adminiſtratione, perfectoq; Dei, & proximi amore, & cum certa fiducia, & ſpe, & expectatione ſalutis æternæ, & immortalis gloriæ, & fœlicitatis humanæ, nobis Chriſtianis hominibus concedat omnipotẽs deus pater, deus filius, & deus ſpiritusſanctus, non quidem tres Dij, ſed vnus, & ſolus devs.

Locus

Locus quietis Caroli, & mortis.

IN vera Placentina ſodalitium erat Hieronymitanum, qui locus IVSTVS vocabatur. Locus rupibus altiſsimis vndiquaq; ſeptus erat: ac perpetuum ver, nullas hyemes habere dicebatur.

Diſtabat hic locus à ciuitate Placentina miliaribus ſeptem, in qua habitabat illuſtris, & magnanimus D. Lodoicus ab Auyla, & Zuniga leuis armaturæ equitum Tribunus quondam generalis: à cubiculis, & conſilijs arcanioribus Cæſaris Maximi, & Regis Philippi eius filij: militiæ Alcantaricæ Præfectus: vir ſummis virtutis militaris laudibus inſignis: & propter incredibile maximarum artium ſtudium, & ſcientiam Cæſari, Regi, populoque gratiſsimus: Cæſar illum initio ſolitudinis ex omni nobilitate circum ſe habebat: deindè Ludouicum Quixadam, illo abeunte retinuit.

Author librum Ludouico ab Auyla oſtendit, qui illum Cæſari Carolo commendauit.

HIC Auyla hunc librum, aut potius ſummam eius legens, tantoperè Cæſari commendauit, vt cùm eius authoritas, tùm veſtra viri illuſtres, me potiſsimum ad editionem, abſolutionemq; impulerit: ex omnibus autem veſtris Collegis, Lalænio Comiti Carolo ſummè placuit.

Domeſtici Caroli in Heremo Iuſti.

SED intrà domeſticos parietes duodecim tantũ homines, habebat inter quos nõ infimę authoritatis erat municeps meus Malinęus. Hi in Curia Cæſaris omnes duodecim comedebant, præter hos nemo: nullũ ſacrificum, nullum pagium, nullũ nobilem, nullos ſatellites, nullos ambulones, vnum equum per id tempus retinuit. Hoc in loco Cæſar ità ſe continebat, vt diuinis cogitationibus in ſolitudine quàm optimè vacaret: magna continentia vitæ, magna morum tẽperantia, magna cibi, viniq; abſtinentia, ſi vnquàm aliàs, hoc tempore in illo apparebat.

Regina Eleonora, & Regina Maria, illa Gallica, hæc Pannonica, duæ

dux Cæſaris ſorores ad Gadalaiar ſe ſubducere meditabantur, vbi perilluſtris Dux infantaſcij caſtrum quoddam habebat, ſed prius illa filiam ſalutare Luſitanicam cupiebat, in quo itinere mortua eſt.

Carolus in ſolitudine, nullos ad colloquium admiſit.

AD colloquium admittebat ferè nullos. Perilluſtris vir Rodericus Gomezius à Sylua Meliti Comes, ſummus Regis Philippi Iuſti Cubicularius, & Conſiliarius ter ad Cæſaré officij publici cauſa veniebat, cùm in Hiſpanijs nuper eſſet: fuit & vir clariſsimus, & humaniſsimus D. Diegonus ab Azeuedo, Oëconomus Regius ſimili de cauſa à Cæſare ad colloquiũ admiſſus. Ianellus Turrianus horologiſtarum vertex (qui motũ octauæ ſpheræ inſtrumento faberrimè cõfecto Cæſari quotidiè ferè oſtendebat) familiariſsimè, conſuetudine Cæſaris vtebatur, vt qui vnus eſſet ex xij. Cæſaris miniſtris.

Carolus rogat, victorias Deus ſic diſpertiat, vt pax oriatur.

DVM Cæſar pace per inducias quinquennales, facta in orbe Chriſtiano, quiete domeſtica in hoc cœnobio iuſto vteretur: ecce ad eum literæ perferebantur, quibus pacem publicam intrà vnius anni ſpacium turbatam, tentato per aſtum militarem à Gallis Duaco in Belgica nunciatur. Ea res Cæſaris animum nõ parum initio commouit: ſed poſteà ſeſe confirmans: Deo Reipublicæ curam iàm pridem ſe reliquiſſe dixit. Orare itaq; ſe vt Deus victorias ità diſpertiat Regibus Chriſtianis, vt res ad tranquillitatem, & otium publicum reuerti queat.

Victoriæ Cæſari nunciatæ.

SEPTEMBRI poſteà menſe Philippus filius patri nunciauit quomodo decima die Auguſti, cum Galliæ Rege Henrico in Veromanduis conflixiſſet, vbi Emanuel Philibertus, Allobrogum Dux toti exercitui ſuo præfuiſſet: in eo prælio omnes Gallorum copias fuiſſe profligatas, tormenta Gallica capta, equitatum totum diſiectum, omnia impedimenta rapta, xxx. ſigna Germanica, totidem ferè Gallica, in caſtra relata: omnes equitatus, peditatuſq; Duces captos, ipſum Annam Ducem Montmorantij, magnum vniuerſæ Galliæ Dictatorem, quem Conneſtabilem vocant, totius exercitus Gallici caput captum: cum illo multos alios illuſtres viros captos, veluti

Ducem Monpenſerium, & Ducem Longeuillanum, Comitē Ringrauium, Mareſcallum diui Andreæ, Marchionem: Principem Mantuanum: Mombronium Conneſtabilis filium: multoſque Torquatos Gallici ſupræmi ordinis Equites, multos Tribunos, multos Centuriones, cum omnibus machinis, & impedimentis.

Anguianum Comitem, Ducis Vendomij Fratrem, cum multis alijs in acie cęſum, triginta hominum milia hoc prælio à ſe debellata fuiſſe.

Poſt eam cladem, Fanum diui Quintini Veromanduorum Auguſtam appellatam triplici irruptione facta vi ſe expugnauiſſe. Hinc ad Hanium, & ad Caſtelletum Menilium duxiſſe. Ea omnia in ſuā poteſtatem redacta, magnis operibus munire, agrumque omnem Gallicum limitrophum eruptionibus conceſsis euaſtare.

Nouiodunum, Royam, Chaunium, aliaque oppida ignobiliora poſteà ſe ſubegiſſe.

Cæſar etſi affatim conſolabatur ſpe pacis: diſsimulata tamen humanæ cladis lætitia Deo gratias egit, & ad Philippum filium ternas: ad Emanuelem Philibertum Allobrogum Ducem, Belgicæ per id tempus Gubernatorem: vnicas literas dedit, quibus victorias victorijs accumulatas gratulabatur.

Amurates Princeps Gaueriorum, Comes Ægmondanus, & Fieneſiorum, Armentiriorumq; Dynaſta, leuis armaturę equitum Pręfectus, primus cum Gallico exercitu conflixit, & ad totius victoriæ adeptionem, viam ferro cùm fortiſsimè, tùm fœliciſsimè patefecit.

Ericus, & Erneſtus Duces Brunzvvicenſes, ſingularem Regi Philippo in hoc prælio operam nauârunt.

Comes Hornenſis, & Altenay Dynaſta Philippus à Montmorantio appellatus, virtute bellica, vir valdè illuſtris, & Erneſtus Māſuelcij Comes: ſolers, & ſtrēnuus Princeps: duo chiliadis Equeſtris Tribuni: præclaram, & permagnis honoribus commendabilem gloriam ea pugna retulerunt. Sed & Antonius Lalænius, Comes Hocſtratius, capto in prælio Principe Mantuano & detractis illi ex manibus ganteletis ſiue chirothecis ferreis more militari: quantam laudem imberbis Princeps meruit? captis imberbis Principis Mantuani ſpolijs? ô quam mirifica fuit patris, & patrui eius virtus?

Solus equitatus ſeptem milia hominum cōplexus, vniuerſas Gallicas copias profligauit, ſine vllo Regis Philippi peditatu: qui diſiectis & profligatis Gallorum iàm antea copijs: ad impedimenta diripienda, & captiuis, deditijſque lora inijcienda, poſteà ſuperuenit.

Caſtel-

Caſtellonij Dynaſta,Conneſtablij ex ſorore nepos,magnus Gallici maris Præfectus ,quem Admirallum vocant,in Fano Quintini, cum fratre ſuo Dandelotio,& cognato Meruaco,Conneſtabilis Gallici filio ,alijſq; Gallicis proceribus captus fuit. Is vti pacem pepigerat ,ità primus ad Duacum ruperat, & ità inter primos violati fœderis pœnas (hominum opinione) luit.

Comitia Francofordiæ vltima, in vita Cæſaris Caroli.

Cæsar veteribus ſuis conſilijs inſiſtens, his victoriarum curſibus auditis, mãdat Gulielmo Aurengiorum Principi: Naſſauiorum, Burenorum, Lærdammorumq; Comiti: Brædamorum, Yſelſtenij, Salynarumque Dynaſtę, ſumma alacritate ,authoritate, efficacitate prædito Heröi, vt forum Francorum, ſiue Francofortum in Germaniam , ad mœnum amnem proficiſcatur, vbi Electores Germaniæ Principes conuentus habebant, vt ſuo nomine rurſus Imperio renunciaret , & diademata in manibus eorum deponeret.

Quemadmodum Francofordiæ deſignatus erat Imperator, ità illic deponere Imperium cupiebat, ſi poſſet. Sperabat autem eo in loco fœlicius ceſſurum negocium, quàm Auguſtæ, aut Nurenbergæ, aut Spyræ.

Iàm anteà in Italia Dux Albanus ,Ferdinandus Aluarus à Toleto, (totius Italiæ per id tempus Adminiſtrator, à Philippo Rege deſignatus) perquàm fœliciter in latio hoſtia expugnata, prælia committebat ,& res ad pacem bellicas ducendo bello deducebat ,cuius pacis interpres Carolus Caraffa, Cardinalis Bruxellam venit in Belgicam, Paulum quartum Pontificem Maximum, cum Philippo Rege arcto vinculo fœderis publici(vt ferebant,& ſperabatur)cum tempore con nexurus. Bello vtrimque capta, hoc fœdere Pontificio erant reſtituenda , ac Paleanum à Pontifice Sequeſtro dandum. Boncompaignus, & Canobius Regi, & Regijs effecti gratiſsimi: magnam nominis ,authoritatis, virtutis ſuæ famam concitârunt in Aula Regia. Ille diſceſsit , hic manſit Regi , & Regijs omnibus chariſsimus. Multi Pontificios viros à Rege alieniores fore rebantur: ſed hic Canobius tantam pietatem Regis Philippi eſſe contendebat, vt non modo Pontifex, & Pontificij, de Philippo Rege benè ſentirent, ſed Gallos, ſed Germanos, ſed exteros omnes Regi pro tempore addictiſsimos fore iudicaret.

Pacem cum Gallis omnes boni optabant: alij tamen prælia prælijs accumulanda,& Galliæ Regem,Regnumq́; nouis quotidiè inundationibus militaribus atterendum, & cicurandum putabant: quibus facilè quidam aſſentirentur, ſi victoriarum numeros compertos haberent.

Guyſius Dux intereà ad Icium portum, & Guyneas, & Hamas in Britannico freto, magnas Anglis commoditates bello abſtulit, ac Theonis villam multis irruptionibus tentatam, deditione accepit in agro Lucenburgenſi, ſicut & hæc, & alia prius attigi.

Contrà illius copias Philippus Rex nouas inſtaurabat: ac Sabaudiæ Dux, Bellicam omnem curam in ſe recipiebat.

Conſilia Caroli Cæſaris abeuntis, ad Rempublicam pertinentia.

CONSILIA Caroli abeuntis, ad Rempublicam conſtituendam,& conſeruandam pertinentia, talia erant: vt Centurionibus, & militibus cunctis, quod debebatur perſolueretur: vt mercatoribus, ſi quid debebatur, enumeraretur; vt Belgica conſtitutis nouis Epiſcopis, & Archiepiſcopis: & lata noua religionis tuendæ cauſa lege: & iudiciorum, Magiſtratuumq́; cura ad nouam formam redacta: PACE PVBLICA FRVERETVR DIVTVRNA.

Carolus Lalænij Comes, veſtri ordinis perilluſtris Eques, toto hoc vltimo bello Gallico (Rege Philippo, & Sabaudiæ Duce abſente) Proconſul Belgicæ remanſit, cum ſumma Imperij Belgici gubernatione: ac iſte quidem in his extremis, & vltimis Cæſaris conſilijs exequendis, multum temporis, induſtriæq́; conſumpſit, iubente cùm Cæſare, tùm Rege.

Ego qui huius Principis dotes, tàm animi, quàm corporis penitius introſpexi, repperi iuſticię, prudentię, tẽperantię, fortitudinis, pietatis, religionis, ſapiẽtię, cùm togatę, tùm armatę numeris omnibus abſolutiſsimum, ac vnicũ fuiſſe ex ſepties ſeptem aurei velleris Equitibus, cùm Cęſar Regna deponeret, Carolum appellatum.

Ac eius quidem ſocer Carolus à Croia, Princeps Symay, vir multorum Regum, & Satraparum maximorum ſanguine, & affinitate clariſsimus, Carolo noſtro Cęſari hoc nomen Caroli in Baptiſterio indiderat, ac phœnicem donauerat (vt dixi) quæ raritas muneris, ra-

ram

ram præſtantiam, virtutem, ſapientiam, & dantis, & accipientis, & generi Caroli futuram oſtendebat. Faxit Deus, vt conſilia viri fœliciter ſuccedant: belli enim finiendi, & pacis cōſtituendæ aperta ianua fuit.

Redemptiones captiuorum Quadraginta centena milia.

QVADRAGIES centena milia aureorum Carolinorum, Gallici proceres captiui pro libertatis ſuæ redemptione hoc bello numerârunt.

Carolus Germanos Principes rogat, vt Imperium ſe dimittere patiantur.

CVM bellum, ſic rurſus arderet, Carolus Cæſar veteribus innixus conſilijs, ſummo ſtudio à Germanicis Principibus ſeptemviris frequenter etiam, atq; etiam petebat, vt ſeſe Imperij Romani faſces, diadema deponere paterentur. Erant autem tùm adhuc Francofordiæ in Germania.

Diu deliberârunt Principes, & quamuis iàm anteà grauiſsimè, cōſtantiſsimèq; pluribus, varijſq; comitijs ea de re habitis renuiſſent ſe facturos. Tandem ſeptennio elapſo (poſtquàm de tranſlatione Imperij cum illis primum Cæſar, & Maria Pannonica Regina Auguſtæ in comitijs egiſſent) aſſenſerunt.

Carolus die natali ſuo ceſſit Imperium Germanis.

AC xxiiij. Februarij DIE NATALI CÆSARIS CAROLI, anno ætatis eius ſeptimo, & quinquageſimo: tranſlationem, ceſsionemq; Imperij in Ferdinandum Romanorum, Hungariæ, Bohæmiæq; Regem à Carolo factam approbârunt, ac Ferdinandum Cæſarem, & Imperatorem ſuum fore ſpopōderunt, eumq; pro tali renunciârunt Francofordiæ.

Cæſar vbi initia cepit, ibi finem inuenit.

ITAQVE vbi nactus eſt, ibi depoſuit Imperium Carolus: ſicut, vbi Regnum nactus eſt, ibi depoſuit, videlicet Bruxellæ in Brabantia, & vbi natus eſt, ibi Legatis, & Magiſtratibus, & mundo valedixit, videlicet Gandaui.

Eccè quomodò Dei prouidentia, vbi initium vitæ, Regni, Imperij, repperit: ibi finem Regni, Imperij, & vitæ mundanæ, conſtituit, & collocauit in hoc Carolo Maximo: num cæteris omnia eadem, vel paria acciderint aliorum eſto iudicium: mihi hæc ſcribenti, & commentanti magis Dei prouidentia, quàm Cæſaris laus ob oculos obuerſata eſt: ac illius inculcandæ cauſa potius, quàm huius commendandi (qui commendatione mea nullatenus egebat) toties, & ſeptenarij, & quadragenarij, & ordinis, menſuræ, numerorumque myſticorum Dei, totiens (inquam) feci mentionē: vos, quàm rectè fecerim, iudicabitis.

Hac re intellecta, Carolus mirificè de Germanicorum Principū ſummo erga ſe ſtudio in Imperij ceſsione admittenda, & transferenda, gauiſus eſt, ſed Pontifex Romanus Paulus Quartus, authoritate ſua Pontificia ad eam rem opus eſſe arbitratus, antequàm Ferdinandum Imperatorem eſſe Romanum pronunciaret, variè hac de re conſultabat.

Victoria vltima Carolo nunciata.

INTEREA Cæſar cùm clariſsimam victoriam Grauelingenſem, menſe Iulio in Flandria, à Philippo filio ſuo rurſus adeptam intellexiſſet, in qua Gallicus maximus exercitus, ab Ægmondano Comite Amurate, Gaueriorum Principe, vti fortiſsimo, ſic fœliciſsimo, fuerat rurſus interfectus, & deletus vniuerſus, & Quadraginta equitum, peditumq; ſigna capta: dici non poteſt, quàm diſertè, & grauiter filio conſilia pacis, & tranquillandi orbis commendârit.

Germani Ferdinandum Cæſarem eſſe proclamantes, eum pro Cæſare habuerunt.

Hunc Cæſarem laudare pro meritis qui volet, alia quàm mea dicendi facultate indigebit.

Carolus Torquem Regi Galliæ remittit.

CAROLVS ſola iàm Equeſtris dignitatis gloria ſeptum ſe videns, Torquem Gallici ornamenti, Gallico Regi Henrico, per Bellencurtium velleris aurei Fęcialem, eodem menſe Iulio remiſit.

Caro-

Carolus inuitus à Pontifice Paulo Quarto vocatur Imperator.

Cvm omnibus honoribus ſe defunctum putaret, necdum Pontifex aliter eum, quàm Imperatorem eſſe aiebat, appellabatque, ac pro tali haberi volebat.

Carolus ſe Carolum, non Imperatorem vocat.

Ipse autem Carolus haud aliter ſe, quàm Carolum appellabat, & omnes dies, noctéſq; precibus ad Deum effundendis conſumebat.

Oratio Caroli morientis.

Ipse ſe inutilem mundo, inutilem Deo eſſe in hac vita deinceps iactitabat: rogare itaq;, & orare ſe, vt in altera vita æterna, Dei laudibus inſeruire poſſet, ac ſe ab hoc corpore CHRISTVS liberaret.

Inter cætera cùm vehementiſsimè orabat: ſæpè, & valdè piè pro concordia Eccleſiæ Deum rogabat, inquiens, IN MANVS TVAS DOMINE TRADIDI ECCLESIAM TVAM.

Sæpè errores ſuos publicè ingemiſcens lamentabatur: ac ex tot annis, quos vixiſſet, nunquā vnū diem Deo (prout decebat) ſeruiſſe.

Crucifixi Chriſti demum Imaginem per multos dies vlnis, oculis, oreq; complexus: ſeptimo poſt tranſlationem Imperij menſe (præſente Archiepiſcopo Toletano) omnibus ſacris charismatibus, & ſacramētis Eccleſiæ imbutus, maximam vim lachrymarum effundens expirauit: ac ad cœlites (vndè illam ſui veniſſe dicebant) animā remiſit, menſe Septembri: hoc eſt imperij ſui anno Quadrageſimo, ac Quadrageſimi anni die, poſtquàm ſuſcepit Imperium Quadrageſimo: vitæ autem ſuæ, octauo & quinquageſimo.

Antequàm autem expiraret, poſt ſacram vnctionem, etſi anteà corpus Domini acceperat, iterum illud guſtare voluit, inquiens, IN ME MANES, EGO IN TE MANEAM.

Vixit itaq; Cæſar quinquaginta, & ſeptem annos, & ſeptem menſes: mēſe eſt Februario natus, qui ſolus menſium ex quater ſeptenis diebus (vt dixi) conſtat, menſe eſt Septembri mortuus, qui ſolus inter omnes menſes à ſeptenario nomen accepit: & à menſis Februarij die natali ſuo erat ſeptimus.

Septimus Cometa mortem Cæſaris præcedens, & morbi diem notans.

HVNC obitum eius Cometa menſe Auguſto præceſſerat,eodemq; die,quo in Hiſpanijs Cometa eluxit, Cæſar in morbum incidit:& Quadrageſimo poſteà die obijt,ſeptem viris illuſtribus mortem eius conſtanter,chriſtianèq; ab eo perlatam inſpectātibus, atq; atteſtantibus:neque enim plures erant,ac inter eos Ludouicus ab Auyla,& Zuniga fuit,qui vnus fuit ex omnibus Hiſpanis Cæſari in cubiculo,& militiæ,domiq; familiariſsimus.

Huius ſyderis ſpecimen,& ſpectaculū varias Principū mortes denunciabat. Erat autem hic ſeptimus, poſt imperiū & Regnū Caroli Cometa,armataſq; duorū Regum potentiſsimorum acies (in Arteſia haud procul Dorlentio)contrà ſe ſtantes, & omnium mortalium iudicio iàm iàm tertiò conflicturas, abſtinentia belli, & ſpes pacis continuit.

Philippus Rex audita in caſtris,per epiſtolas,Caroli patris ſui morte,pro eo,ac debuit,vehementer etiam,atq; etiam doluit.

Ac poſtquàm Quadraginta dies totos,caſtris apertis ſe hoſti oſtendiſſet,permiſſa Duciſſæ Lotaringicæ,nepti ſuæ:& Atrebatium Pontifici Antonio Perenotto:& Albano Duci:& Meliti Comiti: & Aurangiæ Principi:pacis cum Gallico Rege faciendæ tractatione.

Abſtinentia belli,& ſpes pacis tempore mortis Caroli.

ABSTINENTIA belli in caſtris edicta, ad viridem Vallem (quod in Zoningenſis ſyluę latebris fanum eſt) ſeceſsit:ac funus patri, vt Imperatori,Regnorumq; multorum Monarchæ ſplendidiſsimè, ornatiſsimèq; apparādū xix.Nouembris die incipi decreuit Bruxellæ,intrà diem Quadrageſimum finiendum.

Ex his liquere arbitror duos hoſce ſanctos,perfectoſq; numeros ſeptenarium,& quadragenarium ſcilicet,Imperium, Regnum, Geneſim,ętatem,matrimonium, ſobolem, affinitates, itinera, bella, victorias,aulam,vrbes,mores,mortem Caroli Maximi ab initio, ad finem vitę eius comitatos,omneſq; Cęſaris actiones, notas, obſeruationes,in hos numeros ſe recepiſſe, quòd cum fine ſingulari Dei

prouidentia,iudicioq; fieri nequiuerit,perſonam, ſobolem ,familiam eius(inſpecta ſanctitate vitæ,mortiſq; eius)Deo gratam,non ingratam fuiſſe,multi mortales exiſtimârunt.

Conſilij Tridentini ſeſſiones ſeptem.

ETSI in concilio Conſtantienſi,& Baſilienſi errores à quibuſdam hæreticis ſuſcitati,fuerant damnati,qui rurſus à multis iàm mortui reſuſcitati ſunt in vita Caroli Maximi:& quanquàm in Quadrageſima ſeſsione conſilij Baſilienſis,quæ & vltima illius concilij ſeſsio fuit : Finem accepit illud concilium : ac Nicolaus Papa Quintus: &antè illum Martinus Papa Quintus,bullas promulgârunt,propter ſecuritatem animarum,& cauenda pericula conſcientiarum, quas totus tūc mundus Chriſtianorum accepit,& admiſit: & quanquàm concilium Florentinum tractauit,& concluſit vnionem Eccleſiæ Orientalis,cum Eccleſia Latina,ſiue Occidentis:quod cœperat celebrari ferrariæ,præſente Palæologo Imperatore, & Patriarcha Conſtantinopolitano,cum alijs Eccleſiæ Orientalis Pontificibus,in quo de initio,vſu,authoritate, materia,forma, effectu,& prærogatiua ſeptem ſacramentorum Eccleſiæ,& nouæ legis abunde tractatum, &concluſum fuit : quam concluſionem Ioſeph miſeratione diuina Conſtantinopolis Archiepiſcopus,ac Oëcumenicus Patriarcha, die octaua menſis Iunij,anno 1439.comprobauit Florentiæ : & Patriarcha Armeniorum amplexus eſt,cum omnibus ſuis armenijs: atq; multa in concilio Lateranenſi:Secundò,quòd Iulius ſecundus inchoauit Romæ,& Leo decimus ibidem perfecit, anno Domini, 1517: ad vtilitatem,ſecuritatemque Eccleſiæ rectè fuerant ordinata: Tamen eodem anno Domini,1517. cœpit Martinus Luther excitare illum,quem videmus,& dolemus,in toto Chriſtianorum orbe tumultum opinionum(qui tumultus cùm in ſexaginta diuerſas ſectas diſſectus ſit primarias,præter alias minores,& quotidiè renaſcētes)Cæſar initio,morbo huic,tanquàm peſti,& labi animi ægrotantis mederi cupiens,flagitauit à Leone concilium : poſteà ab Adriano Pontifice:poſteà à Clemente : demum à Paulo tertio Pontifice Maximo. Paulus Pontifex illud igitur ſolemniter indixit primò Mantuæ, deindè aliquibus de cauſis motus, Vincentiæ, tertiò Tridenti:ſed nec tunc quicquam ibi factum fuit. Quartò rurſus Tridenti deſignauit locum concilio Oëcumenico, & vniuerſali Synodo. Quod concilium generale,poſt pacem in Gallia,& Britannia,

ope Cæſaris,& Dei aſpiratione,& nutu factam, inceptum eſt decima tertia die Decẽbris, anno Domini 1545. Ac illa quidem ſacroſancta Tridentina Synodus, in ſpiritu ſancto legittimè congregata, ſeptem habuit ſeſsiones in vita Pontificis Pauli. Ac ſeptima ſeſsio, quæ & vltima fuit, habita eſt tertia Martij, anno Domini 1547. in qua de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ pulchrè ſtatutum eſt, non eſſe plura, nec pauciora, quàm ſeptem.

Hinc cùm Bononiam certis de cauſis tranſlatum eſſet concilium, poſteà mortuus eſt Paulus. Huic ſuccedẽs Iulius tertius, qui in concilio præſederat, reuocauit illud Tridentum, ac ibi rurſus inceptum, Mauricius bello illato diſturbauit: Deus det finem perficiendi.

Omnium rerum principia parua ſunt, teſte Carolo Cæſare.

OMNIVM rerum viri illuſtres, principia parua ſunt, teſte Cæſare veſtro Carolo Maximo: ſed ſuis progreſsionibus vſa augentur: nec ſine cauſa id fit, quodcunq; fit.

Inſpicite quæſo ſemina altiſsimarum arborũ, quàm ſunt exigua? videte naturas fluminum, quàm paruis ex fontibus emergunt?

In animis, & mentibus hominum ſimile eſt: principio ætatis, quàm imbecillus eſt animus, quàm inutilis, quàm inefficax? Sed poſteà quàm exceſsit pubertatis annos corpus, vt ſe amplificat? vt ſe attollit? vt ſe erigit?

Neq; ſolum hæc animaduertuntur in generationibus rerum: verum ſimilia, & paria conſideramus in morte, & rerum omnium corruptione, & interitu.

Conſideremus incendium, ruinam, naufragium: nónne ex minimis igniculis maximarum vrbium conflagrationes natæ ſunt? nónne ex paruo fundamenti vitio ampliſsimarum arcium ædificationes corruerũt? nónne vniuerſæ claſſes vnius Gubernatoris, nónne vniuerſi exercitus vnius Imperatoris, aut Ducis, exigua culpa ſæpè interierunt?

Atq; hæc ad ſtabilitam in nouo orbe religionem veterem, & ortodoxam: eandemq; in Germania & alibi turbatam, permiſſu Dei, Cæſar Carolus transferebat.

Oportet (inquiebat Carolus) hæreſes eſſe, vt probentur ij, qui ſunt boni: vt, Oportet ſcandala eſſe. Sed væ illi, per quem ſcandalum venit. Dicebat Cæſar, VNVS HOMO NOBIS SCRIBENDO PERDIDE-

DIDERAT REM.

Omne animal ſeipſum diligit, & ſui conſeruationem naturaliter expetit. Sed non ex eo appetitu ſtatim à catholica Eccleſia, & traditionibus maiorũ diſcedendum eſt: PECCATA NOSTRA MERVERVNT, INQVIEBAT CÆSAR, DISCINDI ECCLESIAM.

Nouus orbis à veteri ſeptem horis diſtat, in curſu Solis.

SEPTEM horis prius luceſsit Sol in freto Gaditano, ſiue Hiſpali, quàm in Mexico: illiſq; ſeptem horis prius eclipſes ſolſtitia, & æquinoctia apparent in limite noſtri veteris orbis, quàm in limite noui orbis Carolini.

Initium Euangelij in Regno Mexicano, quandò, & quale fuerit.

ANNO Domini 1524. venit in ciuitatem Mexicanam, frater Martinus de Valentia, duodecim Monachis comitatus, tanquàm vicarius Papæ, à Carolo Cæſare, illùc cum authoritate Romani Pontificis miſſus. Atq; hoc anno prædicatum fuit ab eo Euangeliũ Chriſti, in noui orbis terra continente: magnoſq; progreſſus, magnaq; incrementa in illa noui orbis Carolini plaga fides Chriſtiana adepta eſt.

Prima Synodus habita, in Regno Mexicano.

CVM tàm multa hominum milia quotidiè baptiſarentur, & matrimonio legittimo (dimiſsis cęteris vxoribus) chriſtianè iungeré tur: magna incidit difficultas, cuinam mulierum in matrimonio copularentur. Itàque Ferdinandus Corteſius Marchio Vallenſis, vir non ſolum fortitudine militari, ſed Zelo pietatis chriſtianę omnibus noui orbis Tribunis, & Centurionibus anteferendus, nomine Caroli Maximi Synodum ea de re habuit eodem anno vigeſimo quarto ſæculi noſtri: in qua Synodo generali noui orbis Carolini præſedit Martinus de Valentia, tanquàm Vicarius Papæ, in ciuitate Mexicana, Clementis inquam Septimi.

Solennis, & generalis illic facta eſt Synodus: grauis, & longa diſputatio eſt habita. Tandem illa in Synodo determinatũ fuit, quòd Catechumini illi, & religionem Chriſtianam, cum omnibus veteri-

bus

bus ritibus ſanctæ Romanæ,& Apoſtolicæ Eccleſiæ amplectentes,ex omnibus quas anteà habuerant vxoribus, vnam tantum ducerent, ritu, & more Chriſtiano, eamq́;, quam vellent.

Multitudo Chriſtianorum repentè facta in nouo orbe Carolino, & præcipuè in Regno Mexicano,& terra cõtinente.

IDOLIS omnibus ex templis ſublatis:cruce Domini noſtri:& Deiparæ virginis Mariæ imagine: in templis multis loco idolorum pręfixa: ſacramento corporis Dominici populis oſtenſo: miſſæ ſacrificio à Martino, & duodecim Collegis eius, ciuibus patefacto: & verbi Euangelici pura, & pia à pijs,& puris ſacerdotibus facta prædicatione (quæ per interpretes ad noui orbis incolas transferebatur) tot baptiſabantur paucis annis in ea noui mundi Carolini plaga, vt qui calculum ea de re inierunt, alij ſeptem miliones hominũ, alij quatuordecim miliones fuiſſe illîc baptiſatos retulerint, in ſolo inquam illo Regno Mexicano. Magna etenim copia fuit hominum in illo orbis noui tractu: vſq; adeò, vt quindecies centena milia hominum in Inſula Fani diui Dominici fuiſſe reperiantur: ſeptem: poſt Quadraginta: poſt centum milia hominum in proceſsione ſe cędebant.

Iudicium Corteſij de Carolo Cæſare, & Phœnix Cæſari ab eo datus, cum Elogio ſempiterno.

HÆC animaduertens magnos progreſſus habere Corteſius: admiratione diuini numinis, & fortunę Cæſareæ non mediocriter percullus, & tranſuerberatus: pias Deo Optimo Maximo gratias egit, iuſsitq́; cantari publicè, GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO. Ac tùm ex Mexico miſit Corteſius Carolo Cęſari epiſtolam datam decima quinta menſis Octobris, eodem anno 24. cum qua per Diegonem de Soto miſit Cæſari ſeptuaginta milia Caſtellanorum Ducatorum aureorum, vnamq́; culebrinam argenteam quadraginta nouem milibus aureorum Carolinorum eſtimatam (in qua erat Phœnix faberrimè effigiatus): Erat autem Elogium inſcriptum, & inſculptum Phęnici his verbis Hiſpanicis.

Aqueſta

Aqueſta naſcio ſin par:
Io en ſeruir os ſin ſegundo:
Vos ſin igual en el mundo.
Hęc latinè ſic ſonant.
Iſta naſcebatur, ſine pari:
Ego tibi ſeruio, nemini ſecundus:
Tu ſine æquali, in mundo.

Non caruit inuidia Corteſius ob verſiculorum præſtantiam: ſed Andreas de Tapia excuſauit Corteſium duobus verſiculis.
Aqueſte tiro à mi ver
Muchos neſcios ha de hazer.

Elogium de Cæſare, & duobus Martinis in dogmate ſeptem ſacramentorum.

CVM Martinus de Valentia, vitæ ſanctitate, & miraculorum operibus (Deo inſpirante, & permittente) maximè inclareſceret ſeptennio poſt natum dogma Lutheranicum in Germania: Catholici hoc Elogium de Cæſare, & illis tulerunt.

Inuito potuit Romano Præſule Luther
Sacramenta Dei vellere non premere,
Septem poſt annos validus Martinus in orbe
Illa tuo repetit Maxime Carle nouo.
Iſte duodenis ſociatus fratribus ipſum
Prototipum ſequitur Legis Euangelicæ.
Hunc ſequitur, quemnam ſequitur Germania Cæſar?

Cauſa ſectarum nouarum.

CVM inueſtigarem nouarum ſectarum cauſas, repperi illas ex diſſentione, & contradictione, ſeu potius eliſione mutuarum opinionum natas. Itaq; alios Anabaptiſtas, alios Sacramentarios, alios ſimplices Lutheranos, alios ſpirituales appellari: Anabaptiſtarũ alios Adamitas, alios Stebleros, alios Sabbatarios, alios Clancularios, alios Manifeſtarios, alios Dæmoniacos, alios Dauidicos, alios Mēnonianos, alios Batenburgenſes, alios alijs, & quidem multis, & cōtrarijs appellationibus vocari: ſciſmata enim hęc nunc, vt olim, mu

tuo

tuo ſe laniatu perimunt.

Sacramentarij alij Significatiui, alij Tropiſtæ, alij Energici, alij Arabonarij, alij Svvencfeldici, & alij alterius nomenclaturæ familiam nacti ſunt.

Sunt & Lutherani ſimplices, varijs & ipſi appellati nominibus: alij enim facti ſunt confeſsionis Anguſtanæ, & vocantur Homologiſtæ, & hi aut Antinomi, aut Samoſatenſes, aut Inferiani, aut Antadiaphoriſtæ, aut Antiſvvencfeldiani, aut Antoſiandrini, aut Anticaluiniani, aut manus impoſitorij, aut Biſacramentales, aut Triſacramentales, aut Maioriſtæ, aut Adiaphoriſtæ, aut Quadraſacramentales, aut Leuterocaluiniani, aut Amneſtitæ, aut Medioſandrini, aut Oſiandrini, aut Svvencfeldiani, aut Stancariani, aut Antiſtancariani, aut aliter ex eliſione, & colliſione diuerſarum ſuarum hæreſeum dicuntur, alij rurſus alio vocantur nomine: vt Interemiſtę, & hi quadruplices. Melanthon his initio fauit, poſteà ab his diſceſsit. Caluinus totus Svvinglianicus eſt, & amplius.

Spirituales ſunt Svvencfeldici omnes: & qui illum ſequuntur ſpiritum, non literam ſequentes.

Effecta Lutheraniſmi.

QVOT ſunt Principum cędes? quot vrbium exuſtiones ex hoc Lutheraniſmo natæ? Eccè quomodo pater à filio, ſocer à genero, vxor à marito, frater à fratre, ciuis à ciue, vicinus à vicino, diſcipulus à præceptore diſſentit, religionis quiſque nouæ tuendæ cauſa? Chriſtianorum nomen perit, dum alij alio appellantur nomine. Cæſar res iudicatas per Apoſtolos, & concilia generalia, retractari ſine Pontificis, & concilij generalis aſſenſu noluit: dicebat enim abuſus Eccleſiaſticorum, vſum, & authoritatem Apoſtolicæ Eccleſiæ non tollere: ceu nec ferri abuſum ferrum, nec vini vinum. Lutherus condemnat Sacramentarios, & Anabaptiſtas hæreſeos: Sacramentarij Lutheranos, & Anabaptiſtas: Anabaptiſtæ vtrumque: Svvencfeldici ſpirituales, omnes: vultq; vnuſquiſq; aduerſarium gladio puniri: atque hæc à ſtrago demonſtrata ſufficiat, pudet enim me noſtri ſæculi.

Atq; hîc huius libri finem facio, Regiq; Philippo, & Eccleſiæ Dei iudicio totum volumen recognoſcendum offero.

Cùm autem memini vnquàm iracundiæ ſignum Philippus Rex oſtenderit (ſicut omnes qui eum à teneris vnguiculis, ad hunc vſque diem